M. TVLLII CICERONIS FRAGMENTORVM TOMI IIII.


cum

ANDREAE PATRICII STRICECONIS ADNOTATIONIBVS.

Omnia ex eiusdem secunda editione.

Indices item, ueterum scriptorum, & rerum ac uerborum copiosissimi.

CVM PRIVILEGIO.







Venetijs, ex officina Stellæ Iordani Zileti,
M D LXV.

AMPLISS. VIRO, PHILIP. PADNEVIO NOVINAE, EPISC. CRACO-VIEN. SEVERIEN. Q. DVCI, *Patrono Opt.*



ANDR. PATRICIVS S. P. D.



TERVM ad te librum eundem mitto PHILIP. PADNEVI, teſtem, ut arbitror, locupletem conſtantiſſimæ meæ erga te uoluntatis. Cui ſi tu quoque pari & mutua uoluntate reſpondere uiciſſim uolueris, nihil eſt, quod me facti huius conſiliiq; mei poſsit pœnitere, qui librũ meum in eiuſdem patroni nomine uoluerim rurſus populo apparere, cuius tutelæ iam inde a principio commiſſus per me eſſet & conſecratus. Quanquam ego quoque, cum hanc ſtudioſorum hominũ conditionem mecum reputo PHILIP. Pontifex, haudquaquam ita præclare cum litteris in Polonia agi uideo, ut nimis multos habere poſſimus in hac noſtra Repub. ex quibus idoneos librorum patronos præcipuè deligere, & ad quos potiſſimum hæc eiuſmodi, cum ulla bonarum litterarum dignitate atque fructu, mittere poſſemus. Circumfer enim mihi paulisper oculos, & uniuerſam Poloniam animo complectere, reperies,

ries moribus, legibusq; nostris nunquam informari homines, ut aut ipsi in studiis æquè aliis cum gentibus excellere, aut ea, sic ut par est, pro dignitate eorum æstimare uelle uideantur. Quæ duo ubi ita absunt, ut neutrum appareat, ibi miserrimam omnino esse studiosorum & in litteris uersantium hominum conditionem necesse est. Nos autem, quot, quæso, leges habemus, aut quàm diligenter latas, de studiis litterarum, deq; his, qui ea forte consectaturi essent? Perpaucas sanè, in tabulis, & monumentis publicis numerare possumus, quæ ipsæ per speciem tantum, &, ut loquimur, dicis tantum causa, in comitiis ferri solent, obseruari certè in ciuitate non solent. Eæ autem quoque ipsæ cuiusmodi sunt? Non excutio: tibi potius uiro prudenti, totum hoc cogitandum relinquo. Ego quidem, ne, si obseruarentur quidem quæ sanciuntur, nimis beatam esse dicerem litterarum in Polonia conditionem. At uerò moribus forsitan correximus, quod ferundis legibus omissum fuit: sicut Lacedæmoniorum Remp. moribus magis quàm legibus administratam fuisse auctores prodiderunt. Vtinam id PADNEVI uerè dicere possemus aut utinam in hoc genere, si legum curam posteriorem duximus, mores saltem maiorum nostrorum, moribus nostris, retinere uoluissemus: qui studiis quidem ipsis eiusmodi olim præmia in hac Repub. proposuerant, ut sine ullo discrimine, Tros Tyriusq;, qui modo in ullo litterarum genere mediocriter uersatus esse uideretur, is ad summos quosque, in primis uerò ad Ecclesiasticos honores, ex æquo apud nos admitteretur. Nos uerò eorum posteri quid? Nimirum

mirum hanc tam diffusam, & tam latè patentem ma iorum nostrorum liberalitatem, qui hanc nostram Rempub. cõmunem quasi omnium gentium & nationum patriam esse olim patiebantur, semel atque iterum ita sensim astrinximus, ut primum quidem externos tantum excluderet, nostros omnes complecteretur, deinde uerò, nostra iam fere memoria, delectu etiam inter nostros facto, ad partem duntaxat ciuium uniuersa propemodum redacta iam esse uideatur. Id quod adhuc quidem non tam reprehenderem, si citra summam bonarum omnium artium & litterarum ignominiam factum extitisset, & si suus ac debitus bonis litteris & artibus honos, suaque ac debita dignitas in Repub. remansisset. Nunc autem omnibus honoribus Reipub. translatis a litteris, ad quæuis alia, qui quæso sunt mores nostri? Equidem qui aditum sibi ad honores sine litteris patere uidẽt, litteras ferè aspernantur. Cur enim non aspernentur plenas sudoris & pulueris, minimè sibi fructuosi? Qui autem ne cum litteris quidem aliquid se magnum in Repub. adipisci posse intelligunt, eorum omnem industriam, cum in maxima sanè præmiorum desperatione uersari oporteat, mirumq; non est, si nihil ab illis præclari, nihilque ad posteritatis non modò admirationem, sed ne commendationem quidem possit proficisci. Omnes quidem ferè a nutrice tradimur passim ad magistros, sed cur? nisi, ut ne litteras prorsus nescire uideamur. Quantulũ enim est id quæso, quod cum magistris sumus? aut quantam demum in illa breuitate temporis, operam litteris damus? Aut uerò magistri etiam ipsi mediusfidius,

quid

quid ſpectant, cum pueritiam noſtram formandam ac regendam ſuſcipiunt? nimirum hi quidem, ſi modò ſunt elegantiore aliquo, nec ſeruili prorſus ingenio præditi, non ſpectant, ut quamdiutiſſimè ornent Spartam, quam ſemel nacti fuerunt, ſed ut ipſi quoque hoc labore ſuo quàm breuiſſimo tempore perfungantur: & ut munus hoc docendi non diutius ſuſtineāt, quàm ut in gratiam modo uiri alicuius Principis illabantur, qui eos ad ſuas aulicas operas, id autem eſt, ad nihil propè agendum, pelliciat & inuitet. Nos uerò uiciſſim, qui in illorum diſciplina ſumus, atque adeò hi quoque ipſi, qui nos in eorum diſciplinam tradiderunt, propinqui noſtri, nihilo ab ijs diuerſi, eodem ferè omnes, quò & magiſtri ipſi, collineare conſueuimus: nimirum uix quinquennio, interdum illo Pythagorico apud magiſtros exacto, omnino autem pueritia ipſa uix prætergreſſa, ſtudia & magiſtros deſerimus, & ad aulas conuolamus. Pauci, pauci, quos æquus amauit Iupiter, illud uix tandem ſuſtinemus, ut adoleſcentiam etiam integram in ſtudiis litterarum tranſigamus. Quid tum autem præterea? quid? Illud uidelicet, quod noſtra ingenia, nihilo, ut arbitror, ingeniis omnium politarum gentium ac nationum inferiora, non ſolum obtundit, ſed etiam enecat, quòd omnia quæ litteris cunque continentur, ut fortè fortuna in quodque eorum inciderimus, ita corripimus, ut ſi in tumultu aliquo, aut ſi in naufragio res ageretur, non aliter ageretur: uidelicet modò hoc corripimus, modò illud: conſtantiam quidem certè in perſequendo uno atque eodem ſtudiorum genere, adhibemus nullam.

Ita

Ita cum uarii esse uolumus, simus nulli. Cum enim breue admodum tempus in litteris ponamus, tum præterea omnem illam breuitatem temporis, in carpendis modò summis diuersorum studiorum apicibus transmittimus: quæ res cum delectationem quidem habeat, fructu planè destituta sit, speciem nobis tantùm eruditionis cuiusdam adumbratæ conciliat, ueram autem & expressam sapientiæ & prudentiæ effigiem non præstat, quarum ueritas non in fastigio collocata, sed in profundo, ut Democritus dicebat, a natura est demersa. Hoc autem eiusmodi consilium nostrum, & hæc eiusmodi remissa erga bonas omnes artes animi nostri affectio, admirationem, mea quidem sententia, non habet. Neque enim studiis litterarum, sed quibusuis rebus aliis, honores in repub. propositos habemus: & eos, qui inter nos perpauci admodum, Solonem imitati, in studiis fortè diutius permanere constituerunt, per probrum, ignauos & umbratiles homines appellamus. Hi sunt uidelicet mores nostri, quibus id, quod in ueterum legibus & moribus, pro parte bonarum litterarum, parum cautum fuit, pulcherrimè correximus: nimirum ut bonæ artes omnes, quæ antea in repub. nostra uix hærebant, hac ratione quamprimum inde præcipites eiicerentur. His autem nostris moribus, quotumquenq; existimas studiis litterarũ ex animo benè uelle? mitto benè uelle: quotumquenq; uero existimas uel simulare saltem benè se ijs uelle? Quod ubi sit, ecquem nam ex omnibus deligas, cui potissimum librum tuum rectè te dedicare posse existimes? Qui optimi sunt, ij in libris

quidem,

quidem, qui sibi dedicantur, non aliud intuentur, quàm quòd libri utiq; illi per nundinas & mercatus, tanquam in pompa aliqua circumferuntur, qui eorum nomen ac titulos, æneis expressos characteribus, repræsentant. Ceteri aut totum ipsum scholasticorum librorum genus perosi, nisi si qui fortè liber idem doceat, quod quilibet de populo scire se profitetur, omnes prorsus respuunt, & pro nihilo ducunt: aut uerò etiam, quod multò magis est deplorandum, totum hoc philosophari palam irrident, & eos qui id genus uitæ consectantur, in uilissimis habent: cùm sint ipsi tantò mancipia uiliora, quantò magis philosophi quidem nihil eorum admirantur, quæ ipsi contemnere se audeant profiteri, ipsi autem nihil ferè aliud admirari solean, quàm quæ contemnuntur a philosophis, non uerbis solùm, sed etiam animo, & genere prorsus professionis toto. Itaq; hi quidem dedicandis sibi libris, non modò non capiuntur, sed etiam si quis bonus hoc officio aduersus eos utatur, eum, quasi arcæ suæ, quam omnibus omnium generum libris longè anteponunt, insidias facientem, suspectum prorsus habent ac inuisum: illi uerò, molles scilicet atque delicatuli homines, primùm scholastica omnia, nihil ad se existimãt pertinere, quippe quæ sibi duriora ac rigidiora uideãtur, deinde autẽ cetera quoq;, quæ secundo populo in uulgus ferè emittuntur, ea ubi semel atq; iterum, temporis causa, satis frigidè laudauerunt, paullò post non minus ac priora fastidiunt. Ex quo sanè, in hac eiusmodi morum ac temporum nostrorum peruersitate, fit, ut eum, cui liber rectè dicari possit,

possit, inuenire, quàm librum ipsum conscribere, non multò facilius existimetur. Ex quo ipso illud etiam sequitur, ut non modo iam scholas uix teneamus, summo consilio a maioribus nostris fundatas ac constitutas, sed ut etiam priuatorum hominum studia, qui utcunq; hactenus in litteris uersari uidebâtur, prorsus extinguamus, litterasq; ipsas ita paullatim ex Polonia tollamus, ut propediem ne uestigium quidem illarum relictum esse uideatur. Honore enim aluntur studia: qui si absit, aut si cesset, iacere ea primum ac languescere, deinde etiam cito post interire ac emori necesse est. Sublatis autem e medio atque emortuis litteris, quæ erit obsecro uita et consociatio hominum? aut quod exilium huic ciuitati, quæ seruitus huic libertati, qui tumultus huic otio, quod bellum huic paci, quæ confusio huic gubernationi, quæ mors denique huic eiusmodi uitæ, nõ anteponenda uidebitur? Quo magis sanè tuum est, PHILIPPE Præsul, prouidere, ut si uetus bonarum litterarum & pristina dignitas recuperari planè non potest, ne quid saltem amplius de conditione illarum apud nos detrahatur. Cum enim tu, non solùm commune cum multis alijs, Episcopi munus atque officium in Ecclesia Dei geras, sed etiam peculiarem præ ceteris tuis æqualibus, magistratum Cancellarij in schola nostra Cracouien. more maiorum sustineas, prætereaque etiam, cum ipse in his nostris artibus ita priuatim uersatus sis, ut tibi inde maximum ad maximas opes & honores aditum in Repub. nostra compararis, debes mehercle, id in quo tam feliciter ipse uersatus es, saluum ac in-

tegrum posteris uelle relinquere, & totum id, quod bonarum artium præsidio in hac Repub. tibi acquisisti, ad earundem rursus præsidium hoc tempore conferre, opesq; has istas, quas tibi omnes boni & fauemus, & quammaximè diuturnas esse optamus, hancq; adeò tantam auctoritatem, quantam tibi locus et dignitas tua facile conciliat, ad earum salutem & dignitatem conuertere: quæ nunc ad omnium uestrum pedes proiectæ, opem, consilium, auxiliumq;, non amplius dubiis, sed prostratis iam penè rebus suis flagitant, a uobisq; contendunt, ut quæ uobis omnia dederunt, quibus clari inter homines ac illustres estis, earum uita saltem & incolumitas hoc tempore conseruata per uos esse uideatur. Equidem tibi, PADNEVI Pontifex, cum semper aliâs, in unius cuiuslibet afflicti hominis casu & calamitate, laborandum, & omni studio pro tua pietate, contendendum esset, tum id præcipuè in hac tam acerba & & indigna fortuna bonarum litterarum, si prætermittis, culpa grauissima uacare non potes. Cum enim litteræ ipsæ ita de te sint olim meritæ, ut te suis propè manibus in tam alto dignitatis gradu collocarint, eò etiam loci hoc tempore constitutæ, ut in quarum tu quondam patrocinio suauissimè conquiesti, eæ nunc ipsæ in tuum patrocinium deuenerint, non potes nunc profectò, salua tua dignitate, quam mihi semper maximo studio tueri es uisus, supplicum & manus ad te tendentium, preces auersari, quin ita te compares, ut earum fortunis labentibus, præsentissimum subsidium attulisse uideare. Noli id, per Deos, aut differre ulterius, aut ad quosuis alios relegare

gare

gare. Dilationem enim nec res ipsa amplius pati po test, & si posset, tamen, cum uideamus uitam ipsam tuam, item ut aliorum omnium, infinitis casibus esse circumseptam, magnopere nobis pertimescendum esset, ne qui casus insperatus, præclaram tuam in hoc genere uoluntatem, prius intercepisse uideatur, quàm eā potueris explicare. Quo sane fato miserabili nostra memoria extinctum esse IOAN. Choinium Episcopum Cracouiensem, tunc patronum, nunc uerò antecessorem tuum, cum magno nostro & Scholarum omnium incredibili dolore recordamur. Alios autem si respectas, næ tu mihi quidem cum ab animo ipse ingenioq; tuo, tum ab omnium denique magnorum uirorum natura & consuetudine dissentire uideris: quibus, ut scis, illud ferè semper propositum extitit, ut soli honestorum studiorum ac laborum quantumuis difficilium principatum ac functionem præ ceteris appeteret, nec quenquam ferè ad eorum communionem ac societatem secum admitterent, fructus tantummodo laboribus suis partos, multis, atque adeò, quantum in se esset, etiam omnibus hominibus, communes facerent, neque in eo ullum adire uitæ discrimen recusarent: cum contrà, quo quisque sit homo ignauior, hoc magis labores quidem omnes, aut in uniuersum sibi parcens, defugiat, aut, si aliter fieri non potest, socios eorum quamplurimos & adiutores quærat: fructibus autem alieno labore comparatis, tanquam fucus aliquis, totus inhiet. Quæ uis enim, obsecro, ad tantos labores apud Græcos adegit Codrum & Herculem? quorum alter interitu suo salutem patriæ uo

lens repræſentauit,alter autem conſeruandis ac iuuandis hominibus, maximas ærumnas moleſtiasq;, ſumma ſua uoluntate exantlauit? Aut quod tandem eiuſmodi fatum crudele urſit Curtium apud Romanos? cuius ſingularis pietas in patriam morte ipſius pro ſalute Reipub. ultro ſuſcepta,nobilitata manet. Equidem non uis eos, neque fatum ullum, ſed natura quædam melior, & uirtus pectoribus ipſorum inhærens, ad eiuſmodi decus incitabat. Quid Decios tam patrem quàm filium? quæ eos potio Thracia, aut quod tam potens uenenũ efferauit, ut ſe pro Repub. ad perſpicuam mortem deuouerent, & in medias hoſtium copias, in perniciem ſuam inſtructas, nullis eius rei ſociis expectandis, immitterent? Eadem illa uirtus,& eadem Reipub. charitas,quæ in ceteris, in his quoque tam magnifici operis effectrix extitit. Quorum paucorum uirtute & labore, non modo iam urbes & Reſpub. ipſorum,temporibus illis reſpirarunt,ſed etiam genus ipſum humanum penè uniuerſum in omnem æternitatem quodammodo eſt recreatum. Quid autem quoque? ne uetera tantum & externa commemorem. quæ res,præter alios, permouit LASCVM noſtrum? aut quæ omnino tyrannica ſæuitia tanta ceruici ipſius incubuit? qui, cum poſſet inter ſuos, ſumma cum animi ſui tranquillitate, & ſine ulla ignominia certe quidem, addo etiam & cum honore, ea pace frui,quam tunc nobis diuina SIGISMVNDI regis, AVGVSTI huius patris,prudentia pepererat,peregre tamẽ profectus, difficillimis & periculoſiſſimis laboribus ſe immiſcuit, rebusq;ſuis geſtis omnium ferè nationum hiſtoriam

aſpergere,

aſpergere, quàm domi ſuæ uitam ſilentio tranſigere maluit. De quo uiro cum ceterorum hiſtoricorum & poetarum, tum ne tuæ quidem, quod ſcio, PADNEVI, litteræ conticeſcent. Licuit, licuit profectò omnibus his, quos dixi, & reliquis horum ſimilibus, otioſis uiuere. Sed ineſt nimirum in magnis mentibus, cura & ſolicitudo illa ſingularis, quæ aſſidue animos eorum exſuſcitat, & maximos ad rem gerendam facit, ignauiã fugere, labores præ ceteris ultro appetere, & deniq; ſe totos in utilitatem communem effundere. Quamobrem ſi tu quoq; uti es, ita haberi in magnis uiris uoles, alios quidem ad rem gerendam ſocios non magnopere reſpectabis, ipſe autem propugnationem ac defenſionem litterarum quamprimum ſuſcipies, teq; ita geres, ut malis ceteros homines in hoc genere fructuum potius tuorum fieri participes, quàm laborum conſortes. Hanc ego tuam eſſe propriam cogitationem exiſtimo, hoc munus ferè præcipuum Pontificatus tui: quem ſi ulla alia re, hac certe una, crede mihi, admodum inſignem, & ad hominum memoriam maxime commendabilem reddideris, ſi præter communem uniuerſo ueſtro ordini ſacrorum & cæremoniarum curam, in quam te tamen iniquis iſtis temporibus non minus quàm alios Pontifices incumbere neceſſum eſt, patrocinium tibi litterarum priuatim præ ceteris deſumpſeris, easq; in locum et dignitatem ueterem ac debitam repoſueris. Id quod tu quidem non minus poſſe quàm debere uideris. Quod ſi tamen facti iſtius inter mortales pulcherrimi, aut tu collegam, propter inuidiam, deſideras, aut uerò res etiã

ipſa

ipsa in omnes diffusa & omnibus communis ab uno administrari rectè non potest, potius quàm hanc tā præclaram & nobis pernecessariā cogitationem temere abijcias, libentibus tibiq; suffragijs nostris socium adiungemus, hominem amore coniunctissimū, uoluntate ad omnia honesta & laudabilia prorsus parem PETR. Miscouium Regni Procancellarium: qui hos præstantes ac insignes conatus tuos studio suo libentissime prosequetur, tibiq; omni facultate eius muneris, quod sibi post te in Repub. delatum, cum assidua beneuolentiæ erga te suæ significatione administrat, uolens aderit. Tu modo dux & auctor tam præclari facinoris, erige te: & ad quæ te præclara natura ac institutio tua, ad quæ officij tui ratio, ad quæ rei ipsius necessitas & temporis opportunitas, ad quæ omnes boni uocant & inuitant, ea suscipe, & quantum potes, potes autem ferè quantum opus est, perfice, ut honos bonarum artium ac litterarum, in Polonia magna ex parte collapsus, per uos tam priuatim quàm publice, uindicatus, & in iusto dignitatis gradu repositus esse uideatur. Varsouiæ, in conuentu ordinum Poloniæ. Idib. Apr. M D LXIIII.

Auctores

Auctores ex quibus fragmenta hæc Cic. collegimus.

Acro.
Aquila.
Asconius.
Augustinus.
Ausonius
Boethus.
Carisius.
Cicero.
Columella.
Diomedes.
Donatus.
Festus.
Fortunatianus.
Fronto.
Gellius.
Hieronymus.
Isidorus.
Lactantius.
Macrobius.
Marcellinus
Marcianus Capella.
Nonius.
Petrarcha.
Plinius.
Porphyrio.
Priscianus.
Quinctilianus.
Rufinianus.
Seneca.
Seruius.
Seuerianus.
Solinus
Suetonius.
Tritemius.
Valerius.
Victorinus.
Vlpianus.


Indices eorum librorum, quæ ſingulis tomis continentur, ſuis quoſque tomis annexos reperies.

ANDR. PATRICII STRICECONIS SCHOLIA

In Tomum Primum

FRAGMENTORVM M. TVLLII CICERONIS.





MPERAVI mihi, ne quid sciens in his meis adnotationibus attingerem eorum, quæ ante me, cum a ceteris, tum a Sigonio præsertim, peritissime ad eos libros adnotata fuerunt. quid enim hunc honorẽ eruditis viris non habeam? aut quid etiam cum me, tum lectorem quoque ipsum inani molestia onerem? id quod hoc quidem loco semel pro omnibus dictum esto.

Orationes Ciceronis, præter eas quidem, quæ vulgatis libris continentur, has fuisse reperio, primum.

Pro Tullio.
Pro Vareno.
Cum Lilybæo decederet.
Pro Oppio.
Pro Manilio.
Pro Fundanio.
Pro C.Cornelio, quæ duæ sunt.
In Competitores.
Pro Gallio.
De L.Othone.
De proscriptorum liberis.
Metellina.
De suo consulatu.
In Clodium & Curionem.
De Rege Ptolemæo.
Pro Vatinio.

Pro Scauro.
Pro Gabinio.

Quæ quidem singulæ non solum titulis, & inscriptionibus, sed iam etiam fragmentis ipsis, in lucem, quoad eius, partim a nobis, partim ab aliis, fieri potuit, propositis, satis notæ sunt. Præter eas autem sunt illæ quoque.

Pro Coruino.
In deponenda prouincia.
De Bestia.
In Gabinium.
Pro Crispio.
Pro Q. Mucio.

De lege Agraria breuis: & si quæ sũt eiusmodi aliæ: quas cũ adhuc ita latere in obscuro certum sit, vt vix nominis vestigiũ retinere ex tanta calamitate videantur, non nihil, vt puto, de illis præfari hoc tempore necesse est: vt aliqua saltem ex parte labenti iam & occidenti illorum memoriæ succurratur. Nam de reliquis, cum alii ante nos iam dixerunt, tum nos quoque ipsi, si quid erit, quod dicendum sit, suo loco dicturi sumus.

Itaq; orationis quidem pro L. Coruino mentionem apertam facere videtur Quinctus Marci frater Cicero in libro de petitione cõsulatus. Hoc biennio, inquit ad M. fratrem, quattuor sodalitates ciuium ad ambitionem gratiosissimorum tibi obligasti. M. Fundanii, Q. Gallii, Cn. Cornelii, L. Coruini; & horum in causis ad te deferendis quidnam eorum sodales receperint & confirmarint, scio, nam interfui. Quo quidem ex loco tempus etiam constat habitæ eius pro Coruino orationis. habita est enim illo biennio ante consulatum M. Ciceronis. Quanquam Coruinum ne, an Coruum appellare debeamus, alii abunde adnotarunt.

De oratione in deponẽda prouincia, locus ille notissimus testatur, qui consulares orationes recitat, lib. II. epistolarũm ad Atticum. Vbi hæc quoque inter ceteras numeratur. Res ita habet. Cicero & Antonius coss. cum prouincias sortiti essent, Ciceroni Macedonia, Gallia Antonio euenit: postea in gratiam Antonii Macedoniam illi concessit Cicero, Gallia recepta: in quam tamen & ipsam profectus non fuit, sed Metellum Celerem misit cum imperio. testatur Dio. lib. XXXVII. de qua re extat etiam quiddam sub initium epistolæ secundæ lib. V. ea-

rum,

tum, quæ ad familiares scribuntur. Salustius in coniuratione Catilinæ de eadem re ita habet. Cicero, inquit, collegam suum Antonium pactione prouinciæ perpulit, ne contra remp. sentiret. Vnde ipse quoque Cicero in oratione in L. Pisonem. Ego, inquit, prouinciam Galliam, senatus auctoritate, exercitu, & pecunia instructam, & ornatam, quam cum Antonio commutaui, (sic enim lego, non, vt vbique legitur, communicaui) quod ita existimabam tempora reipub. ferre, in concione deposui, reclamante populo Romano.

De L. Bestia, orationeque de eo habita, sic scribit Tacitus li. de oratoribus. Satis constat C. Cornelium, & M. Scaurum, & T. Milonem, & L. Bestiam, & P. Vatinium concursu totius ciuitatis & accusatos esse, & defensos. Cicero etiam ipse lib. epistolarum. I I. ad Q. fratrem, sic. Ad I I I. idus dixi pro Bestia de ambitu, apud prae. Cn. Domitium, in foro medio, maximo conuentu, &c. Intelligendus est autem fortasis Bestia is, qui cos. Cicerone tribunatum pl. gessit, & qui, vt scribit Salustius in Catil. queri in concione de actionibus Ciceronis, bellique grauissimi inuidiā optimo cos. imponere, quo debuit. De etiam Brutus in epistola ad Atticum loquitur, quæ est in libro epistolarum ad Brutum. Equidem oratio fuit habita Marcellino, & Philippo coss. Effectum autem non fuisse consecutum, ostendit Cicero Philippica. XI. Quo ex loco intelligi etiam potest de ambitu illum in præturæ petitione fuisse accusatum. Quid Bestiam, inquit Cicero, qui se cōsulatum in Bruti locum petere profitetur? atq; hoc quidem detestabile omen auertat Iupiter. Quàm absurdum autem, qui prætor fieri non potuerit, eum petere consulatum? nisi forte damnationem pro prætura putat.

In Gabinium autem quoque scriptam fuisse a Cicerone orationem, Quinctilianus aperte testatur lib. XI. ca. I. sic scribens. Dixit Cicero pro Gabinio, & P. Vatinio, inimicissimis antea sibi hominibus, & in quos, inquit, orationes etiā scripserat. Nam Dionis locus lib. XXXIX. ad eam rem demonstrandam parum facere videtur, qui accusatum tantū a Cicerone fuisse Gabinium scribit, orationem in eum scriptam fuisse non scribit. Multo autem minus locus Lactantij cap. XIX. lib. IV, qui nonnullis exēplaribus mendosissime, crucē Gabinianam, pro, Gauianam, habet. Respicere enim locus debet ad Verris factum crudele, qui P. Gauium, non Gabinium, cruci affixerat. de quo vide oratio-

nem VII. in Verrem. Interim aũt, etsi Quintilianus orationem in Gabinium scriptam esse affirmet, ego tamẽ hoc loco nimium non pugnabo, an præter eam in L. Pisonẽ, in qua nõ minus perstringit Gabinium, proprie scripserit aliam in ipsum Gabiniũ.

Orationis pro Crispio meminit ipse Cicero in ea pro Cn. Plancio, sic Laterensem alloquens. Atque etiam clamitas Laterensis, Quousque ista dicis? nihil in Crispio profecisti, absolutæ iam sunt preces tuæ. De Crispio mihi ne tu obijcies? inquit, quem ego de me bene meritum, quia te teste cognoueram, te eodem auctore defendi? & ei dices, quousque, quem negas, quod pro Crispio contenderit, impetrare potuisse? & infra. Et mihi lachrymulam Crispiani iudicij obiectas. Significat enim, & Crispium se cum contentione defendisse, & eum tamen absolutum non fuisse.

Pro Q. Mucio etiam illum dixisse, constabit ex fragmentis orationis in toga candida, quæ superius proposita sunt, accusabatur nimirum is furti a L. Caleno.

De breui vna, quæ de lege quoq; fuit Agraria, sic ipse eodem illo iam nominato loco, lib. II. Att. Sunt præterea, inquit, duæ breues, quasi ἀποσπασμάτια legis agrariæ. Extat autem vna, alteram desideramus.

Duas præterea ipsius orationes legisse se Brutus significat in epistolis, quę inter fragmenta epistolarum tomo hoc secundo repositæ sunt, epistola quidem, quæ incipit Litteras tuas.

Præterta autem vnam se ad illum missurum esse scribit ipse Cicero epistola, quæ ibi sequitur.

Defensos etiam, & accusatos fuisse plerosque alios a M. Cicerone, sunt quæ testentur, cum ipsius, tum scriptorum aliorum monumenta: imprimis autem illud ipsius, quod ita magna libertate, & confidentia in suo ad Brutum oratore extulit, de suis orationibus loquens. Nemo, inquit, orator tã multa, ne in Græco quidem otio scripsit, quã multa sunt nostra. Defendit enim pręter ceteros Antonium, collegam suum, vt ipse fatetur in ea pro domo. Defendit & C. Pisonem consularem, vt ait in ea pro Flacco. Vbi & A. Thermum bis a se eodem anno defensum esse narrat. Defendit & C. Mustium, vti meminit III. Verrina sub finem, & Cæsarem Vopiscum, vti scriptum extat Philip. XI. non longe ab initio. Egit & Reatinorũ causam contra Interamnates, apud consulem Appium, & decem legatos. Defendit item Messium,

Messium,& eodem tempore Drusum. lib. I I I. ad Att. epistola De Eutijchide,& epist. sequenti. Et item Titiniam Cottæ,vt est in Bruto, & Scamandrum , vt pro Cluentio, & Atratinum,& Ascitium,vt pro Cœlio. Defendit & Saufeium bis, primum lege Pompeia , mox Plautia de ui, vt Asconius in Milonianam,& Popillium Lænatem, a quo post occisus est , vt Seneca in declamationib. & alij scribũt. & mulierem Aretinam apud decemuiros,vt ex oratione pro Cæcina patet. Pugnauit & pro Crasso in senatu , vt constat ex lib. I. Fam. epistola Periucundæ, & lib. v. epist. Quantum meum studium. Defendit præterea,& Dolabellam,& Acilium, ambos bis, ambos capitis iudicijs, epistola ad Appium Cum est. lib. III. & epistola ad Curionem Ego vero. li. VII. & Caninium Gallum, lib. eodem, epistola. I. ad Marium. Defendit & alios innumerabiles: præsertim vero illo tẽpore,de quo ipse lib. I I. epist. ad Q. fratrem scribit,nullum adeo diem esse, quo non dicat pro reo. Accusauit autem cum T. Munatium Plancum Bursam (de quo scribit ipse lib. VII. fam. epistolarum,& Dio in tertio consulatu Pompeij) tũ ceteros,de quibus Pedianus in fine cõmentarij in Milonianã. Atq; hæc quidẽ ita se habent de accusationibus,& defensionibus ipsius: quarũ tamẽ vix omnium arbitror, orationes aut scriptas, aut editas extitisse. Nam & illam profecto, cuius paullo ante meminimus, pro Mucio orationem,& hanc,cuius modo, pro Mustio, scribit diserte suis locis Asconius, editas non fuisse. Nisi fortasse pleraque omnia in commẽtarijs reliquerit. omnino ex illo fere quinquennio, de quo ipse in Bruto ait , cum post quæsturam Siciliensem in vrbem rediisset, orationem nullam habemus: & tamen tunc se scribit in plurimis causis , & in principibus patronis fuisse versatum. Et rursus ante id quinquennium ex alio item fere quinquẽnio,cum post primam causam publicam pro Sex. Roscio dictam, tantum se commendationis adeptum, in Bruto paullo ante eum, quem modo citauimus locum , significat,vt non vlla causa esset,quæ non ipsius patrocinio digna videretur. Deesse enim eius quoque temporis videntur multæ, quas non minus diligenter elaboratas etiam quàm elucubratas afferebat . Equidem Beatus Rhenanus nonnullas eiusmodi, quę non extant flagitare videtur ab amico,vt alibi dicemus.

Aeschinis autem & Demosthenis contrarias orationes in hoc numero non recenseo,quod eæ non in foro habitæ,sed in otio

de Græco conuersæ fuerunt. Vide de his Ciceronem ipsum in fine libri de optimo genere oratorum.

In orationem pro M. Tullio.



ACITVS in dialogo de oratoribus ita eius orationis meminit. Quis nunc ferat, inquit, oratorem de infirmitate suæ valetudinis præfantem, qualia sunt ferè principia Coruini? Quis quinque in Verrem libros expectauerit? Quis de exceptione, & formula perpetietur illa immensa volumina, quæ pro M. Tullio, aut A. Cæcinna legimus? Quibus ex verbis duo mihi præ ceteris, quę hanc orationem attineant, videntur esse obseruanda. Vnum orationem longam extitisse: alterum de exceptione, & formula sermonem multum in ea fuisse.

A familia P. Fabij commissam.] Lego, FABII VIM COMMISSAM. Nam in superiore fragmento sic loquitur. DICO VIM FACTAM A P. FABII FAMILIA, ADVERSARII NON NEGANT. Et item. VIM HOMINIBVS ARMATIS. NON NEGAS. Alioqui quid sit COMMISSAM, non intelligo. Nam commissam rem, non placet: quam prius gestam dixit. Verendum autem quoque esse arbitror, ne hoc fragmentum cum superiore idem sit, verbis tantum diuersis a diuersis auctoribus Victorino, & Marciano recitatum.

Quis hoc statuit unquam.] Affinem huic Ciceronis sententiæ sententiam extare video apud Gellium, lib. VII. cap. III. noctium Atticarum. Hominum, inquit, vita non tam iniquis neque tam indomitis necessitatibus circumscripta est, vt idcirco prior iniuriam facere debeas, quia, nisi feceris, pati possis. De quo tamen ipso ita ab Vlpiano responsum esse video, leg. Sed etsi V. D. ad L. Aquilliam. Sed etsi quemcunque alium ferro se petentem quis occiderit, non dubitabitur quin lege Aquillia non teneatur: sin autem cum posset adprehendere, maluit occidere, magis est vt iniuria fecisse videatur, ergo & Cornelia tenebitur.

Si quis furem.] Solebat Sigonius, pro sua humanitate, & erga me

ga me beneuolentia singulari, quo tempore priorem fragmentorum suorum editionem adornabat, vt ferè quodq; folium ex officina librarij exierat, id a me Venetijs Patauiũ mittere, itaq; cum eius etiam orationis ad me folium misisset homo officiosissimus, scripsi verecunde, videri postremum hunc orationis locum non optime habere, corrigendumque ad eum fortasis modum esse, vt pro, Quid si se telo defenderit? iniuria: legeretur, QVID SI SE TELO DEFENDERIT? HAVD INIVRIA. Quam nostram emendationem quomodo tum acceperit vir eruditissimus, satis indicauit, cùm ita fere ad finẽ eiusdem editionis adiiciẽdum curauerit. Quid si se telo defenderit? iniuria. quid ita? quia constitutum est. Andr. inquit, Patricius Polonus acute vidit legendum esse. Haud iniuria. Ita enim sententiæ ratio postulat vt legatur. Nunc, &si de veritate emendationis, approbante Sigonio, dubitare non oporteat, tamen quibus rebus adductus ad emendationem ipsam descenderim, putaui mihi breuiter esse exponendum: idque etiam hoc magis, quòd ea deinde nullo, vt puto, auctoris ipsius studio, sed tamen typographorum, vt fit, errore deformata ac peruersa esse videatur. Legunt enim totum fragmentum sic. Si quis furem occiderit, haud iniuria occiderit, quamobrem? quia ius constitutũ nullũ est. quid si se telo defenderit? iniuria. quid ita? quia constitutũ est. Qua quidẽ sanè lectione, particula, Haud, de inferiore ad superiorem locũ importunissime translata est. Sed nos ad rationem emendationis nostrę veniamus. Habet Cicero in ea pro Milone sub initium, Quod si duodecim tabulæ nocturnum furem quoquomodo, diurnum autem, si se telo defenderit, interfici impune voluerunt, quis est, qui. & quę sequuntur. Gellius autem scribit lib. xi. cap. xviii. Decemuiri, inquit, furem, qui manifesto furto prehensus esset, tum demum occidi permiserunt, si, aut, cum faceret furtum, nox esset, aut interdiu se telo, cum prehenderetur, defenderet. Nota est igitur sententia xii. tabularum, furem, si se telo defendisset, perimi sine iniuria licuisse. Sed & in libris veterum iurisconsultorum extant eius rei aperta vestigia. scribit enim Vlpianus L. Nec timorem. D. de eo, quod metus causa. Non omnem, inquit, adulterũ licet occidere, vel furem, inquit, nisi se telo defendat. Apertissime autem Caius in L. Itaque D. ad eandem L. Aquill. lex duodecim tabularum, inquit, furem noctu deprehensum occidere permit-


tit,

tit, vt tamen id ipsum cum clamore testificetur. interdiu autem deprehensum ita permittit occidere, si is se telo defendat, vt tamen æque cum clamore testificetur. Et post. L. Si pignore. §. Furem. D. Furtis. Furem, inquit, interdiu deprehensum non aliter occidere lex XII. tabularum permisit, quàm si se telo defendat. Quæ sententia etiam ab Augustino lib. XII. quæstionum super Exodum vsurpata, in ipsos quoque sacrarum legum canones, totidem penè verbis relata est, addita etiam ratione, quod qui se telo defendat fur, iam amplius is, quàm furi sit, Cap. Si perfodiens. Extra de homicidis. Vnde Marcianus quoque. I. c. l. I. D. ad L. Corneliam de sicarijs, lege Cornelia teneri scribit, non modo qui hominem occiderit, sed etiam qui illius occidendi, furtiue faciendi causa cum telo ambulauerit. Cum igitur hoc quidem loco ad illarum legum vim & rationem manifeste orator respiciat, profecto quemadmodum quidem locus legi debeat, dubitari nihil potest. Quod autem hic de fure loquitur Cicero, id de adulteris quoque M. Cato locutus fuisse videtur in oratione de dote, cuius fragmentum extat apud Gellium lib. X. cap. XXIII. In adulterio, inquit, vxorem tuam si deprehendisses, sine iudicio impune necares, illa te, si adulterares digito non auderet contingere, neque ius est. Dicit enim ius esse, quod Cicero, constitutum esse, vel, ius, ius constitutum esse. Fragmentum ex Rufiniano sumptum est, in apophasi. Cohæret autē mirifice cum eo, quod præcessit. Quis hoc statuit vnquam &c. vt inde ad hunc ferme modum videatur esse inferendum.

NE IPSE POSTERIVS OCCIDERETVR. HVIVS AVTEM REI TANTA VIS EST, VT ID FERE SOLVM LICERE NOBIS PVTEMVS, QVOD LEGE STATVITVR, QVOD NON STATVITVR, NON PVTEMVS. SI QVIS FVREM, & quę sequuntur.

In orationem

In orationem pro L. Vareno.



ETERA ex Sigonio. Euentum sanè eius defensionis ex Quinct: lib. VII. cap. III. conijcere possumus, quo loco ait de probatione ex causis. Nam cum accusatorē satis instruxisset, quomodo probationem eiusmodi tractare debeat. Patronus vero, inquit, quoties poterit, instabit huic loco, vt nihil credibile sit, factū esse sine causa. Quod Cicero vehementissime, inquit, multis orationibus tractat, præcipue tñ pro Vareno, qui omnibus malis premebatur. nā & damnatus est. Quē tñ ipsum locū video a Sigonio posterius esse adnotatū.

Insequuntur studio] Lego. Insequuntur: studio.


Nam C. Varenum.] Videndum an Ciceronis sit. Quinctilianus enim neminem citat, sed exempli tātum loco ponit. Cuiuscunque autem sit, pro L. Varenum occidendo, quod olim legebatur, lego, C. VARENVM OCCIDENDO: sicut & Aldini libri indicant, & res ipsa.

L. ille Septimius] Sumptum ex Prisc. lib. I. Extremum autem eius fragmenii extat etiā apud Quinct. lib. VIII. cap. III. non longe initio. Erucius Antoniaster. De hoc Erucio, vide orat. pro Sex. Roscio Amerino. Totum hūc locum, sicut est, correxit, & emendauit Petr. Victorius lib. XIV. cap. XXIII. Var. lectionū.

Ea cædes si potissimum] Reposui τὸ POTISSIMVM, ex meo Prisciano lib. XII. in fine. Nisi quòd ibi quoque non suo loco repositum videtur. Planè enim ita sentio legendum esse. EA CAEDES SI CRIMINI DATVR, DETVR EI POTISSIMVM CVIA INTERFVIT, &c.

Deum fidem] Ex Prisc. lib. VII. pro. deorum.

In orationem, quum quæstor Lilybæo decederet.



ESTIGIA eius orationis ex Asconio apertissime deprehendi possunt, tum in præfatione in diuinationem Ciceronis, tum paullo post, in explicatione illorum verborum, sæpe esse pollicitum. Quibus vtrisque ex locis apparet institutā a Cicerone hanc fuisse orationem, vt quę-

sturam suam rebus & officijs multis hactenus Lilijbætanis commendatam, verbis etiam ad extremum commendatam redderet; atque adeo significaret, se, etiam absentem non modo cœptam erga prouinciales homines beneuolentiam Romę conseruaturum, sed eam quoque libenter, omnibus suis & assiduis officijs auctiorem facturum esse: si modo vnquam tempus aliquod idoneum inciderit declarandæ suæ in illos perpetuæ voluntatis. editam autem ab illo eo cõsilio putarem, quo postea etiam orationes suas consulares ediderat, nimirum, vt, quemadmodum illæ consulatus, sic hæc quæsturæ ipsius quasi monumentum extaret: in quo primo veluti gradu honorum, administrandæque reip. tantam sibi continentiæ, diligentiæ humanitatisq; laudem comparasse videbatur, vt nullam vnquam vllius quęsturam pręstantiorem, & clariorem fuisse existimaret. Qua de re Plutarchus in eius vita, & ipse Cicero in defensione Planci. Tempus porro quo ea oratio habita est, cum ex iisdem quorum paullo ante meminimus Pediani locis colligi, tum ex ipsa quoque orationis inscriptione, & libro de claris oratoribus plane cognosci potest. Ex libro, inquam, de claris oratorib. illo loco: Cum rediissemus ex Asia, causas nobiles egimus cum quæsturam nos, consulatum Cotta, ædilitatem peteret Hortensius. interim me quæstorem Siciliensis excepit annus: Cotta ex consulatu profectus est in Galliam: princeps & erat, & habebatur Hortensius. Cum autem anno post e Sicilia me accepissem. &c.

Quod non detrectare.] Fragmentum recens allatum a me ex Frontonis quodam libro, qui continet exempla elocutionum. Quem quidem librum, cum Io. Zamoscius noster, adolescens litteratissimus, ex Italia in Poloniam ad me misisset, quoniam antea quoque ex eo Sigonius quadraginta ferè alia fragmenta elicuerat, inque suam posteriorem editionem transtulerat; dedi & ipse operam, vt inde etiam & huic nostræ cõmentationi accessio nonnulla quæsita esse videretur. Vidi autem præterea alium eiusdem auctoris librum, inscriptum de nominum verborumque differentijs, sed eo libro noster quidem hic labor minime potuit adiuuari. Hunc sane grammaticum Gellius lib. I I. cap. XXVI. facit de coloribus cum Phauorino philosopho disputantem: itemq; cum quodam alio de verbis Quadrigarij historici lib. X I I. cap. antepenultimo, & de verbis

Ennij lib.xix. cap.x. libro autem xix. cap. xiii. ostendere videtur discipulum fuisse Sulpicij Apollinaris. Breuitatem & siccitatem ipsius in epistolis comprobat Macrobius in Saturnalibus. Fragmentum porro hoc citatur ab eo, illo in lib. qui, vt dixi, exempla elocutionum complectitur, ad demōstrandam hanc locutionis formulam, Detrecto hanc rem,.

In orationem pro P. Oppio.


REMEBATVR is Oppius in primis Cottæ testimonio, sicut scribit etiam Sigonius. Probari id autem eleganter potest ex Quinct. lib.v. cap.xiii. Superba, inquit, ille, actio est, vt in Oppium ex epistola Cottæ reum factum. Sed hunc quoq; Quinctiliani locum citat Sigonius fragmento extremo.

Etenim multum posse.] Sumptum ex Marcellino, lib.xxx. Isocratis vox est perpetua, inquit, docentis, ignosci debere interdum armis superato rectori, quàm iustum, quid sit ignoranti. Vnde motum, inquit, existimo Tullium præclare pronuntiasse, cum defenderet Oppium. Etenim multum posse. & q. s. Haud scio autem an hoc sit illud, cuius Quinctil. ita meminit lib. xi. cap.i. Cicero quanquã erat in Cottã grauissime dicturus, neq; aliter agi P. Oppii causa poterat, longa tamen præfatione excusauit officii sui necessitatẽ. Vel illud potius, cuius meminit Seuerianus: misericordiam inquiens, nos mouere, si ab ijs nos impugnari dicimus, quorum auxilio tuti esse deberemus: vt Cicero pro Oppio. Certe quod eius loci sententiam attinet, sic scribit etiam Valerius Max. lib.viii. cap.i. Quemadmodum splẽdor, inquit, amplissimorum virorum in protegendis reis plurimum valuit, ita opprimendis non sanè multum potuit: quin etiã eui dẽter noxijs, dũ eos acriter impugnauit, profuit. Et statim pòst: Nolumus, caput alterius petẽtem in iudicium triumphos, & trophæa, spoliaq;, ac deuictarnm nauium rostra deferre. Terribilis fit is aduersus hostem: ciuis vero salutem tanto fulgore gloriæ subnixus ne insequatur. Quod mihi totum Valerius ex Cicerone sumpsisse videtur, in ea pro Muræna. Sic enim eo loco orator inquit. Primum illud deprecabor, iudices, ne L. Murenæ dignitas Catonis, ne'ue soli huic ea obsint illius bona, quæ ille

adeptus est vt multis prodesse posset. Bis consul fuerat P. Africanus: & duos terrores huius imperij, Carthaginē, Numātiamq; deleuerat, cum accusauit L. Cottam. Erat in eo summa eloquentia, summa fides, summa integritas, auctoritas tanta, quanta in ipso imperio populi R. quod illius opera tenebatur. Sæpe hoc maiores natu dicere audiui, hanc accusatoris eximiam dignitatem plurimum L. Cottæ profuisse. noluerunt sapientissimi homines, qui tum rem illam iudicabant, ita quenquā cadere in iudicio, vt nimiis aduersarij viribus abiectus videretur. Quid Sergium Galbam (nam traditum memoriç est) nonne proauo tuo, fortissimo atque florentissimo viro M. Catoni, incumbenti ad eius perniciem populus R. eripuit? Semper in hac ciuitate nimis magnis accusatorum opibus, & populus vniuersus, & sapientes, ac multum in posterum prospicientes iudices restiterunt. Nolo, accusator in iudicium potentiam afferat, non vim maiorem aliquam, non auctoritatem excellentem, non nimiam gratiam: valeant hæc omnia ad salutem innocentium, ad opem impotētum, ad auxilium calamitosorū: in periculo vero, & in pernicie ciuium repudientur. A quo etiam non magnopere abhorret illud eiusdem Ciceronis in oratione post reditum ad Quirites in fine. Vlciscendæ, iuquit, iniuriæ facilior ratio est quam beneficij referendi, propterea &c.

O amorem mirum.] Ex Quinctil. lib. ix. cap. 11. in medio. Non in personis tantum, inquit Quinctil. sed & in rebus versatur, hçc contraria dicendi, quam quæ intelligi velis, ratio, vt totum pro Q. Ligario procœmium, & illæ eleuationes, videlicet. O dij boni. Scilicet is superis labor est. Et ille pro Oppio locus. O amorem mirum &c.


In orationem pro C. Manilio.



ANILIVM hunc accusatum fuisse constat, vel quod iudicium Cornelianum per operarum duces turbauisset, Cominijsq; accusatoribus mortem intētasse diceretur, vt Pedianus significat, in præfatione Cornelianæ primæ: vel, vt Plutarchus scribit in vita Ciceronis, repetundarum. Defensum fuisse a Cic. illud quodammodo fragmentum indicio est, quod in. 1. Corneliana extat his uerbis. Petiuisse

uiſſe a ſe,ſiue Cornelium,vt exponit Aſconius,ſiue populum ip ſum,vt ſcribit Plutarchus,vt cauſam Manilij defenderet : Idem autem aperte ſignificat,tum Plutarchus ibidem,tum etiã fragmentum ipſum orationis huius. Cum iudicio non reſpondiſſet,damnatus eſt : vt ſcribit ibidem Aſconius. Quo quidem in loco quæri poteſt,quomodo videri poſsit a Cicerone eſſe defenſus, cum iudicio non reſponderit. Qua de re ego ſane ita ſtatuerem,vel reuera non reſpondiſſe eum iudicio, atque ita Ciceronis orationem hanc,ſcriptam tantum ad Cornelij petitionem, & deinde in commentarios ipſos,cum multis alijs orationibus relatam,non etiam habitam fuiſſe : vel,quoniam habitam fuiſſe orationem Plutarchus ſcribit, cum priore actione reſpõdiſſet, ad quam fortaſsis maiore ſpe,patrono Cicerone,acceſſerat,altera non reſpondiſſe, neque ad iudicium deinceps adfuiſſe: cum iam videlicet non obſcure intelligeret,ex ijs,quę priore actione non difficile animaduerti poterant, ſe omnino iudicio condemnatum iri. Sicut Verrem quoque feciſſe Pedianus extrema ſua in ſecundam Verrinam commentatione ſcribit. Locus Pediani,vbi ſcribit de Manilij condemnatione,non nihil eſſe videtur hac parte inquinatus.

In orationem pro M.Fundanio.



ABITA hæc eſt oratio biennio illo ante conſulatum M. Ciceronis. Id liquet ex Q. Cicerone de petitione conſulatus,loco notiſsimo.

Non modo hoc a Villio Annale.] Olim,Iulio Annale. Sed profecto Annalium familia ex gente erat Villia,non Iulia,vt erudite Sigonius ipſe in Liuij lib. XL. adnotauit,ex epiſtolis Cœlij manu ſcriptis.

Arcades ſe proſelenos] Auſus ſum hoc fragmentum in contextum recipere, Seruij auctoritate commotus in II. Georg. quam etiam adducit Sigonius. De antiquitatẽ Arcadum, ſic canit Ouid. I. Faſtorum.

Orta prior luna (de ſe ſi creditur ipſi)
A magno tellus Arcade nomen habet. Et lib. II.
Ante Iouem genitum terras habuiſſe feruntur
Arcades, & luna gens prior illa fuit.

Commiſſura.] Auſus ſum & hoc item alterum adijcere,ex eo-

dem Seruio in IX. Aeneid. illud, Portam, quæ ducis imperio commissa. Vbi Seruius commissuram, tabularum coniunctionem exponit, ex auctoritate Ciceronis in Fundaniana. Vtitur autem præterea commissuræ vocabulo Cicero in lib. de nat. deorum, & vniuersitate.

Puncta.] Neq; hoc, ex Acrone in poet. Horatij, ommittendum putaui. Puncta, inquit, dicuntur populi suffragia. Vsus est hoc verbo Cic. in Fundania.

In primam pro Cornelio orationem.



HAEC oratio implere poterat, vt ex Asconio côijcio, viginti amplius folia excusa: qua quidem magnitudine nullam ferè reperies inter eas orationes, quę Ciceronis numerantur. Itaque non immerito in Hortensio hanc istā orationem longam vocat, & Plin. lib. II. epistolarum, in hunc grandem librum, omnia quę per dies quattuor latius dixerat, coarctasse dicit Ciceronē. Nunc, si frustra omnia, lacera sparsimque dispersa, vnum in locum congerantur, vix folium ex ea retinemus. Meminit huius quoque orationis Fortunatianus lib. II. Rhetorices. Hypophoræ, inquit, plenæ copiosæque ponuntur irridendi aduersarij gratia, si hoc augeat, de quo nulla quæstio est, vt Cicero pro Cornelio maiestatis. De dispositione autē eius orationis sic scribit Marc. Capella lib. V. ubi agit de dispositione. In oratione, inquit, pro Cornelio, primo refutata sunt crimina, quæ secuta sunt tribunatum, post ad ipsum tribunatum recursus est factus: quæ dispositio, inquit, artificialis, vt diximus, nominatur.

Vt ab Ioue opt. max.] Morem hunc inuocationis in iudicijs, vt ea, quæ commemorauit Sigonius, non commemorem, eleganter & totidem penè verbis expresit quoque alibi ipse Cice. VI. in Verrem. Quid huic, inquit, sacri vnquam fore, aut quid fuisse religiosi putatis, qui nunc tanto scelere se obstrictum esse nō sentiat, qui in iudicium veniat, vbi ne precari quidem Iouem opt. max. atque ab eo auxilium petere more omnium posit? Nostri qui præsunt sacris concionibus, id etiam solenne in ijs & constitutum habent, vt ab inuocatione numinis auspicentur: maiore multo, quām ceteri ratione, qui eam in rebus propha-

nis

nis intermittendam non esse putauerunt. Pertinet autem hic locus ad vim ominum: quæ quanta apud veteres Rom. fuerit, alius est dicendi locus.

Postulatur apud me prætorem.] Hoc fragmentum non existimo sine menda esse, illo præcipue in loco. VIDELICET COMINIVS: VIDELICET HOMINES. Ceterum de Catilina fortasſis, præter ceteros, hæc dici; mihi quidē fit verisimile, cum ex ipso Pediano paullo infra in illam periodum. Alijs ille in illum furorem &c. tum quod etiam sic scribit Sallustius in Catil. L. Tullo M'. Lepido coss. P. Autronius & P. Sylla dess. coss. legibus ambitus interrogati pœnas dederūt. Post paullo Catilina pecuniarum repetundarum reus, prohibitus erat petere consulatum. Et Asconius deinde, in illud Ciceronis ex oratione in competit. A quibus Catilina consulatum petis? a principibus ciuitatis? qui tibi cum Volcatius consul in consilio fuisset, ne petendi quidem potestatem esse voluerunt. Is igitur, vt dico, Asconius scribit hoc ideo factum fuisse de Catilina, quod is tum, Volcatio videlicet & Lepido coss. quęreretur repetundarum. Atqui notum est, vel iam ex eodem Asconio in eius orationis argumento, his coss. Ciceronem prætorem fuisse. De pecunijs autem repetundis quæsiuisse, ipse in Cluentiana auctor est, vti adnotauit etiam Sigonius: quanquam ego iudicium hoc Catilinæ ad annum insequentem vsque protractum fuisse, facile intelligo. Ergo de Catilina fortasſis locum accipi, non nimis absurdum fuerit. Nisi forte totum id ita dicatur, vt sine vlla personarū ratione, postulatum in genere fuiſse, apud prætorem Ciceronē de pecunijs repetundis, significetur.

Quid Metellus.s.n.ac.u.cum bis iurasset, semel priuatim, priuatum parte publice legis deiectus est ratione an ui, an ueri suspicionem animi tollit, &c.] Locum esse vitiosum asterisci indicant, qui plurimi sunt in meo Asconio. In restituendo, primum sensus ipse requirit verbum. ITERVM. idq; etiam aperte est in commentario Asconij. Cetera attingere vix audeo. Quid tamen si sic? CVM BIS IVRASSET, SEMEL PRIVATIM. ITERVM APERTE ET PVBLICE, TAMEN IS DEIECTVS EST ACCVSATIONE, AN VI, AN VERITATE. IN QVO SVSPICIONEM OMNEM TOLLIT C. CVRIONIS VIRTVS &c. Expono. Metellus bis iurauit Curionem accusare, semel priua-

tim, a patre moriente adactus, vt testatur Asconius, iterũ aperte & publice, legatus, vt habent vulgares libri in Asconij commentario, vt ego autem legẽdum existimo, lege actus, (respondet enim illi, a patre adactus, significatq; iuramentũ calumniæ, de quo multa in libris iurisconsultorum) & tamen destitit accusatione, siue vi, metuebat enim ipse quoque Curionis accusationem, de qua Asconius in commentario: siue veritate, ut qui Curionem non tam ob ipsius culpam vllam, quàm ob patris sui imperium, accusaret, (quanquam hoc quidem ab oratore causæ interim seruiente dictum existimari debet.) Quin tu igitur quoque, o Comini accusator, desistis, inquit, accusatione tua? præsertim cum in hoc Metelli facto, ne quid prorsus turpe subesse existimare possis, ipsius faciat, & Curionis probitas nota, & perspecta. Hoc enim addidit, teste Asconio, ut tegeret, (sic enim lego, non, ut est in omnibus, quæ vidi, exemplaribus, legeret) id quod illi vtilius inter se, quàm honestius fecerant. De hac autem eiusmodi transactione vide in Cod. de transactione L. Transigere. Hæc cum ita scripsissem, venit in mentem alia lectio, haud multum etiã ab hac differens, sic, METELLVS. S.NOB. AC VIR CVM BIS IVRASSET SEMEL PRIVATIM, A PATRE, ITERVM PVBLICE, LEGE ADACTVS, DEIECTVS EST. Cetera, ad eum modum, quem dixi. Erroris occasio fuit, quòd librarius verbum, PRIVATIM, modice commutatum, bis inaniter repetierat, & pro, PATRE, PARTE, reposuerat, & ante id verbum particulam, A, post id autẽ verbũ, particulã, ITERVM, omiserat, & pro, ADACTVS, quod erat proximum, DEIECTVS, quod erat remotius, posuerat, & OMNEM, in, ANIMI, commutauerat. Sigonius, ad restituendum eum locum, hanc, in posteriore editione, lectionem attulit. SEMEL PRIVATIM, ITERVM PVBLICE LEGE DEIECTVS EST RATIONE AN VERO? SVSPICIONEM ENIM TOLLIT. &c. Nos vtranque in medio reliquimus, nec, præter additum verbum, ITERVM, quod & sensus requirit, & Asconius suggerit, & recipit Sigonius, in contextu ipso quidquam mutauimus: vt videlicet tanto expeditior ceteris quoque deliberandi facultas relinquatur, si præiudicium veluti nullum adferatur. Sed postquam semel in eius loci emendationem ingressus sum, conabor adhuc

adhuc opẽ, si potero, afferre Asconio. Is ita loquitur in eorum verborum expositione. Hoc exemplum, inquit, adfert hoc loco, quòd vult probare, desistere eum debere ab accusatione, quanquam neque accusauerit, neque fecerit pactionem. Puto enim pro, ACCVSAVERIT, ACCVSATVS FVERIT, esse reponendum. Nisi forte actiuum vsurpauerit pro passiuo, vt sæpe alias vsurpasse antiqui reperiuntur.

Legem inquit] Hæc ad confutationem videntur pertinere. Verba enim aduersarij recitari, verbum, INQVIT, indicio est: qui vltra institutam accusationem maiestatis, criminabatur etiam fortasis, legem de libertinorum suffragijs, a Manilio tribuno latam, a Cornelio suggetente desumptam fuisse. Vereor modo ne pro, TVLISSE, aliud quippiam sit reponendum: vt pote docuisse, vel suasisse, vel quid eiusmodi. Sic enim distinguo. QVID HOC EST, DEDIT? AN TVLIT? AN ROGAVIT? AN HORTATVS EST? NAM DOCVISSE QVIDEM RIDICVLVM EST. Videlicet verbum, DEDIT, quo vsus erat aduersarius, quadrifariam interpretatur: vt sit Dedit, vel tulit, vel rogauit, vel hortatus est, vel deniq;, vt nos legendũ exempli causa suspicamur, docuit, vel, suasit. Et quoniam postremum, maxime ex aduersarij sententia esse videbatur, idcirco ceteras interpretationes omittere, hanc autem postremam ridiculi appellatione explodere atque reijcere videtur. Quod autem legem nominat de libertinorum suffragijs, illam significat, de qua scribit Pedianus in Milonianam, vt libertinis in omnibus tribubus suffragium esset.

Petuit tamen] Hęc etiam, ex aduersarij obiecta criminatione, repeti videntur de Cornelio. Cum enim defendisset orator, legem ipsum Manilio non dedisse, respondendum fuit, cur causam tamen Manilij sic curæ haberet, vt eam a Cicerone prætore defendi peteret. Cui ego rei statim responsum fuisse credo.

N*am cum is trib. pleb. &c. id extra ordinem fuit.*] Non immuto, quod vir doctus Sigonius reposuit. admoneo tantum, apud me in Asconio sic legi. IN VESTRI ORDINI * fuit. Dictum est etiam supradictis legibus &c. Vt τὸ FVIT, videri posit non ad Ciceronis, sed ad Asconij commentarium pertinere. Illud autem, IN VESTRI ORDINI * aliquo fortas-

fortaſſis alio modo corrigi poſſe. Nam qđ Aſconius, EXTRA ORDINEM, habet, non cogit nos illud idem in Ciceronem recipere. Sed tamen, vt dixi, nihil muto, quia, & ſententiam habet, & a me melius hoc tempore reperiri nihil poteſt.

Alijs ille] ILLE, Manilius, qui iudicium apud L. Caſsium prætorem Cornelio intentatum, per operarum duces turbauerat, alijs auctoribus eſt impulſus, quā auctore Cornelio. Et hoc ad confutationem pertinet. Ibi aūt in verbo. PERNICIOSISSIMVM, aliquid deeſſe exiſtimo, fortaſsis ſic. REIP. PERNICIOSISSIMVM.

Poſſum dicere] Hæc ad illud pertinere videntur. Cùm enim Cornelius maieſtatis eſſet accuſatus, idque ex eo primùm, vt ſignificat Boethus in libro de differentijs topicis, quòd malam legem tuliſſet, neceſſe fuit oratori ad eam obiectionem reſpōdere. Nunc itaque, quaſi per conceſsionem videtur reſpondere, etſi legem malā tuliſſet, tamen maieſtatem populi non minuiſſe Cornelium, quod quidem hoc loco exemplis legum Aureliarum duarum, & Liciniæ Muciæ demonſtrare conatur.

Duo coss. omnium ſapientiſſimi] Sic. III. de officijs. Eſſe pro ciue, qui ciuis non ſit, rectum eſt non licere: quam legem tulerunt ſapientiſsimi coſſ. Craſſus, & Scæuola. Pernicioſam autem appellat ideò, quòd ea vel maxime cauſa Italici belli extiterit, vt ſcribit hoc in loco Pedianus.

Tertium eſt de legem derogationibus] Quartū ex ſententia Paulli Manutij, vide apud ipſum in libro de legibus.

De ipſa lege Calpurnia] Hanc ſignificat in ea in competitores, ſic inquiens. Sed ego ea lege contentus ſum, qua duos coss. dess. vno tempore damnari vidimus.

Nihil ſenatui] Hoc ad illud pertinet, quod diximus Cornelium legem malam non tuliſſe.

P. Africanus ille ſuperior] De ea re ita Liuius lib. XXXIIII. Megaleſia ludos ſcenicos C. Attilius L. Scribonius Libo ædiles currules primi fecerunt. Horum ædilium ludos Romanos, primum ſenatus a populo ſecretus ſpectauit: præbuitq; ſermones. ſicut omnis nouitas ſolet: alijs tandem, quod multo ante debuerit, tributum cenſentibus ampliſsimo ordini, alijs demptum ex dignitate populi, quidquid maieſtati patrū adiectum eſſet, interpretantibus: & omnia diſcrimina talia, quibus ordines diſcernerentur, & concordiæ, & libertalis æque minuendæ eſſe.

esse. Ad quingentesimum quinquagesimum sextum annum in promiscuo spectatum esse. quid repente factum, cur immisceri sibi in cauea patres plebem nollent? cur diues pauperem consessorem fastidiret? nouam, & superbam libidinem ab nullius ante gentis senatu, neque desideratam, neq; institutam. Postremo ipsum quoque Africanum, quod consul auctor eius rei fuisset, pœnituisse ferunt. Ita Liuius. Videtur autem hoc quoque ad illud pertinere, maiestatem non facile lædi quibusuis legibus, aut institutis.

Est utique ius uetandi.] Ante eius fragmenti initium, sic lego in Asconio. Circa medium, quo loco numerat, cum lex feratur, quot loca intercesſionis sunt. Reliqua esse corrupta, indicat asteriscus in meo libro appositus. Ipsa autem verba Ciceronis ita in meo Asconio sunt perscripta. EST VTIQVE IVS VETANDI CVM EA FERATVR QVANDIV * FERVNDI TRANSFERVNTVR. ID EST * LEX DVM PRIVATI DICVNT DVM * DVM SITELLA DEIERTVR. Quibus sanè verbis tot esse appositos asteriscos, indicium est loci corrupti & viciati. Quid nos? possumus ne aliquam facere medicinam? vix puto. Sed tamen conatui nulla est pœna proposita. Itaque sensum fragmenti cum ex Asconio ostenderim, numerari hoc quidem loco ab oratore, quot loca intercesſionis sint, cum lex feratur, uidendum esse puto, an aliquid ad eum modum legi posſit. EST VTIQVE IVS VETANDI CVM EA FERATVR, QVANDIV VIDELICET NON PERFERTVR, ET QVANDIV VARIIS ADHVC OPINIONIBVS II, QVI SVFFRAGII CONVENIVNT GRATIA FERVNDI TRANSFERVNTVR, ID EST PRORSVS ANTEQVAM FIAT LEX, DVM PRIVATI DICVNT, DVM TABELLAE DIRIBENTVR, DVM SITELLA DEFERTVR &c. Totum autem hunc morem, de priuatorum concionibus, tabellis diribendis, sitella deferenda, æquatione sortium, sortitione ipsa, copiose ante me explicarunt, Nicolaus Gruchius, qui de comitijs, & Paullus Manutius, qui de legibus Rom. eruditisſime scripserunt. Ego sensum tantum Ciceronis verbis paucis illustrabo. Ius, inquit, legi intercedendi, vel proprie magis vetandi, (hoc enim verbo solenni, qui intercedebant, vtebantur) est

eo die,

eo die, quo ipsa fertur, non antè, cum trinūdino promulgatur. alioqui enim ante tempus, vt Liuius lib. XLV. ait, intercessio fieri videbatur. neque pòst, cum iam perlata est, id quod Plato etiam in libris suis nominatim prohibuit, sed in ipsis comitijs legum ferendarum causa, vbi lex iam a præcone recitata, a populo autem nondum iussa & accepta est: dum priuati dicunt, producti in concionem a magistratu, legem suadendi, aut dissuadendi gratia: dum tabellæ, duabus notis V. R. & A, insignitæ, populo diribentur, id autem est, distribuuntur: dum sitella, in quam tabellas diribitas conijciant, defertur per rogatores; dum æquantur sortes, hoc est, dum sitella ita agitatur, ne qua sors subsultans existat, sed vt pariter omnes æquatæ iaceāt: dum sortitio fit, id est, dum sortes ipsæ & tabellæ, ex vrna extrahuntur; dum alia denique fiunt eiusdē generis. Hæc ita ad verbum ex priore editione nostra. Nunc enim cum Sigonium intueor, hunc istum locum, quem priore editione intactum reliquerat, castigantem, sic corrigendum esse existimarem. EST VTIQVE IVS VETANDI CVM EA FERATVR, QVANDIV VIDELICET NON PERFERTVR, ET QVANDIV IN TRIBVS SVAS II, QVI SVFFRAGII CONVENIVNT GRATIA FERVNDI, TRANSFERVNTVR. ID EST PRORSVS ANTEQVAM FIAT LEX, DVM PRIVATI DICVNT, DVM TABELLAE DIRIBENTVR, DVM SITELLA DEFERTVR. Placet nimirum Sigonianum illud, QVANDIV SVFFRAGII FERVNDI CAVSA IN TRIBVS SVAS TRANSFERVNTVR.

Codicem attigit] Sumpsi ex Quinctil. li. v. cap. XIII. Si accusator est minus efficaciter locutus, ipsa eius verba ponātur: sin acri, & vehementi vsus fuerit oratione, eandem rem nostris verbis mitioribus proferamus. Vt Cicero pro Cornelio: Codicem attigit. Videlicet, cum dicturus erat, Codicem præconi, aut scribæ eripuit, ipseque recitauit. Est enim sermo de Cornelio ipso, pro quo hæc dicuntur. Quod vt intelligi posit, sciendum, ipso die ferendæ legis, solitum fuisse ipsam legem a præcone recitari, subijciente scriba, vt constat ex Asconio, in argumento huius orationis. Nam ex Plutarcho, in vita Catonis Vticensis, illud modo constat, per alium quendam ministrum, non per eum, qui

ipse

ipse legẽ ferret, legem recitari solitam. de quo etiam vide Appianum lib. I. bell. ciuilium. Nunc autem contra perpetuam istam consuetudinem, Cornelius ipse legislator, impediente Globulo collega præconem recitare, & scribam subijcere, ipse recitauit. De quo vide etiam orationem in Vatinium sub initium. Quem locum, quoniam magnopere huc pertinet, totum non piget adscribere. Sed quæro a te, inquit Cicero, cur C. Cornelium non defenderem? num legem aliquam Cornelius contra auspicia tulerit? num Aeliam, num Fusiam legem neglexerit? num consuli vim attulerit? num armatis hominibus templum tenuerit? num intercessorem vi deiecerit? num religiones polluerit, ærarium exhauserit, rempub. expilarit? tua sunt, tua sunt hæc omnia. Cornelio nihil eiusmodi obiectum est. Codicem legisse dicebatur: defendebatur testibus collegis suis, non recitandi causa legisse, sed recognoscendi. Constabat tamen Cornelium concilium illo die dimisisse, intercessioni paruisse. Tu vero &c. Cum igitur ex Asconio constet, vt dixi, ipso ferendæ legis die fieri hæc solita, coniunxi duo fragmenta antea diuulsa, quæ mihi id maxime exprimere videbantur: coniunxi inquam in vicinitatem, si modo non ijsdem cancellis, ijsdemque asteriscis includi ac circumscribi debent. loquor autem de hoc, & quod proxime antecessit. Ex promulgatione, &c.

Vnum tamen quod ipso tr. pl.] Cornelium ipsum intelligit, pro quo habetur oratio. Cum autem deinceps de re alia, alium tr. pl. A. Gabinium nominans, dicit, PLVS VNIVS COLLEGAE SVI, oratorie loquitur, nec enim minus L. Roscius Gabinio tunc intercessit, vt significant historici, quàm L. Trebellius, vt exponit hoc loco Asconius: qui quidem locus Asconij, post aliorum emendationem etiam mea sententia, sic legendus est. L. autem Trebellius tribunus plebis est, quem non nominat. Abest enim verbum, Est, ab exemplaribus: sicut & paullo infra. Neque apud Sallustium, inquit, neque apud Liuium, neq; apud Fenestellam, vllius alterius latę ab eo legis mentio, pręteream, &c. pro, mentio est. Gabinij historiam eam, cuius hic meminit, vltra Asconium, qui eam hoc loco explicat, vide in Dionis. XXXVI. & Plutarchi Pompeio, & Appiani bello ciuili, & Ciceronis ipsius ea, quæ est pro lege Manilia. Ferebat enim tum Gabinius trib. rogationem de bello pyratico Pompeio man-

D dando,

dandó,quam vt hoc quidem in loco rem optimam appellat orator,ita in ea quę est post redi. in senatu,hæc verba habet. A.Gabinius, nisi in tribunatu rogationem de pyratico bello tulisset,profecto, & egestate & improbitate coactus pyraticam ipse fecisset. Iure igitur rem optimam appellat. Plura vide in ea pro lege Manilia.

Illam quę ex S.C. ferebatur, repudiabat] Fortasis Calpurniam intelligit,quam legem repudiatam cum auctore ipso fuisse, significat infra Pedianus in fragmento.At enim extremi.Quam aũt,aut cuiusmodi legẽ tũc promulgaret de ambitu Cornelius, quàm hic a populo R. flagitatã esse ait,aliunde perquirendum.

Idque vir is doctissimus] Corruptas voces esse, facile intelligi potest, verba autem esse Ciceronis,ex Asconio conieci,qui fragmentum,Vt spectaculum, recitaturus, sic addit. Et de eadem re, inquit, paullo post. Itaq; ergo ad contextum apposui. Constat enim manifeste Asconiũ eo loco respexisse ad duorũ coss. designatorũ calamitatem,de qua ẽt tertiũ fragmentũ loquitur.

Repugnat enim] Hoc ex prima Corneliana esse,testatur Marcianus Capella, vbi agit de repugnantibus.

Vt spectaculum] De eadẽ re loquitur non solùm, vt diximus, fragmento ab hinc tertio,sed etiã n oratione in toga candida.

Res vulgare nomen esse Philerotis] Propter asteriscum, quem meus Asconius hoc in loco præ se ferret,sic.RES * VVLGARE NOMEN ESSE PHILEROTIS: scripseram olim ad hunc modum in scholijs editionis prioris. Quid? si,inquam, lacuna,hoc loco & esse concedatur,& eadem repleatur si? RES NOTA EST, VVLGARE NOMEN ESSE PHILEROTIS. Quod ipsum ne nunc quidem admodũ repudio.

At enim extremi ac diff. temp. vocem illam] Non est mirũ quod superius, dixerit S. C. de lege Calpurnia factum fuisse vt derogaretur, cum hic de lege eadem, vt aperte significat Asconius, verba faciens,per tantam contentionem latam eam fuisse ostendit,vt ad vocem extremi ac difficillimi tẽporis decurrere coss. necesse fuerit. Ac de contentione quidem vide Asconium, de uisa autem voce, quam extremi, & difficilimi temporis appellat, vide ipsum Ciceronem. IIII. Tusculana, vbi de nece Ti. Gracchi, & eundem in ea pro Rabirio perduellionis reo,& Liuium lib. XXII. post Cannensem pugnam, & alibi alios. Cicero ipse sic in ea, quę in senatu post reditum ab ipso est habita, de ea vo-

ea voce loquitur. Quid magnificentius, inquit, quid præclarius mihi accidere potuit, quam quod illo (videtur autem loqui de Lentulo consule) petente vos decreuistis, vt cuncti ex omni Italia, qui rempub. saluam vellent, ad me vnum hominem fractum & prope dissipatum restituendum, & defendendum venirent? vt qua voce a te Romule post Romam conditam consul vsus esset pro vniuersa repub. apud eos solum, qui eius vocem exaudire possent, eadem voce senatus omnibus agris, vicis, atque oppidis ciues totamque Italiam ad vnius salutem defendendam excitaret.

*Potestate abalienemur * qui restituerunt.*] Hic aliquid deesse, & res ipsa indicat, & notat asteriscus. Ac omnino totum huius fragmenti initium suspectum mihi videtur. Interdum pro, ANNOS, ANIMOS, legere in mentem venit, & ANNE pro, ANTE. Sed ne id quidem satis est, imo fortassis ne satis tutum quidem. Omnino in hac voce, ANTE, sæpe ab Asconij librario error est commissus: vt in illud in orationem in Pisonem. Ante biennium autē antequàm restituerentur collegia, Q. Metellus Celer consul des. Vbi, ANTE, bis frustra repetitum est. Et paullo infra. Ante cœptum bellum Punicum tertium. Vbi Sigonius, Manutio teste, legendum putat POST COEPTVM. Et in huius ipsius orationis argumento. Paucos ante me ergo Cornelius, perterritus Manilij exitu, in iudicium adhibuit. Quo in loco idem Sigonius legit. PAVCOS AVTEM ERGO.

R*omam armati reuerterunt.*] Nam infra vbique eodem casu, consederunt, venerunt, creauerunt. Alioqui libri, quos vidi, hoc quidem loco habent, REVERTVNTVR.

Per Pontificem, quod magistratus nullus erat.] Notādus locus de Pontificatu, quem quidam magistratum esse negant, alijs affirmantibus. Qua de re quæ sit nostra sententia, in Miscellaneis nostris coniectationibus exposuimus, an potius exponemus. Ibidem autem paullo pòst, vbi legitur, suffragiorum ius potestasq; conualuit, mallem, suffragiorum vis potestasq; : sicut extare quoque video in Asconio Manutij.

Cum primum senatores cum Equitibus Rom. lege Plotia iudicarent.] Non dicit, lege Plotia primum Senatores cum Equitibus Rom. iudicasse. id enim multo ante Plautium trib. vsitatum fuisse, pluribus verbis aliàs exposuimus. Sed dicit, cum primum lege

Plotia senatores cum equitibus iudicarēt, Pompeium lege Varia causam dixisse de maiestate. Cum primum autem intelligit statim vt, id est, primis ipsis Plotiæ legis temporibus. Hoc primum. Deinde sciendum, quod nos etiam vberius, in eodem illo libro nostro, in quo id argumentum de industria persequimur, demonstramus, id quod hic præcise de senatorū & equitum iudicio dicitur, plene intelligendum esse de iudicio vtriusque ordinis ex ęquis partibus: cū antea videlicet iudicassent ex iniquis. Lege enim Plotia, vt notat hoc loco Asconius, tribus singulæ ex eo numero quinos denos suffragio creabant, qui eo anno iudicarent. Quanquam hic quoque libris Asconij menda insidere videatur, quæ mea quidem sentētia, vnius verbuli mutatione tolli potest, si pro, EX EO NVMERO, legatur, EX SVO NVMERO.

Hominem dijs ac nobilitati peruiuisum Cn. Pompeium.] Dijs, quia fulmine ictus interijt. Cuiusmodi hominibus ne iusta quidem fieri oportebat legibus Numæ, quarum particulam huc pertinentem exponit Festus, dictione Occisus lib. XIV. Nobilitati autem peruiuisum, quia, nec mortuus odio ipsius eximi potuit, quin, & lectus eius diriperetur, & corpus vnco traheretur, & corpus vnco traheretur. Plutarchus, alij. Est autem hic Pompeius Strabo, Pompeij Magni pater.

Qui eloquentia ceteris antecellit.] Ex Prisciano lib. X. quanquā alibi, EXCELLIT, pro, ANTECELLIT, legitur.

Quid, quod ne cum ijs quidem.] In Cominium accusatorē, qui duces operarum, per quos Manilius iudicium turbauerat, in ius non uocauerit.

Aperuit fores scalarum.] De eodem fortasis Cominio, qui iudicio turbato in scalas quasdam profugerat, ibiq; se occultauerat. Pedianus in argumento.

Legite ut legebatis.] Hæc Boethus in lib. de definitione, Ciceroni tribuit. Ego autem ad orationem pro C. Cornelio alterutram putaui pertinere. Nam & Cornelij aperta est mentio, & locutio ipsa illi est persimilis, quæ extat item in oratione II. pro codē, ex Frontone. Facite, ut facitis, qui ad causam adestis.

In secundã pro Cornelio orationem.



VGNEM aperte.] Hoc fragmentũ extat etiam in Fortunatiani rhetorica, prętet Aquilã: sed ibi multo magis truncatum. vide lib. III. extremo. Omittit enim primum, PVGNEM APERTE, deinde omittit etiam verbum, VOLVNTATES: pro, COGITATIONES, autem habet, RATIONES.

Testes dare volumus] Testes, nimirum, qui vidisse se dicturi sunt, cum Cornelius ipse trib. pl. codicem, quod nefas est, recitaret.

Sed si familiariter] Recte Sigonius adnotat, cum Q. Catulo agi: sed plura non dicit tamen, præsertim cum menda in contextu insidiet: quam ego hoc in loco leuabo, vt opinor, ex ipsius mente atque sententia. Si enim cum Q. Catulo agit, profecto cum paullo infra loquitur, AVVNCVLI TVI Q. CATVLI, expeditius est, vt legatur, AVVNCVLI TVI Q. CATVLE: nec expeditius solum, sed etiam verius. Loquitur enim de Domitio tribuno pl. Q. Catuli auunculo, ut aperte extremum fragmenti insequentis attestatur. Quid? Idem Domitius, & q. f. Q. autem Catulus Q. Catuli, quem Cicero alloquitur, auunculus esse non potuit, quòd notum sit, uel iam ex libris iurisconsultorum, cognatos in familia non esse, adgnatos tãtum esse: quòd uidelicet ij soli gentilitatis ius habeant. Legendum igitur, ut dixi, auunculi tui Q. Catule, non autem: Q. Catuli, E videlicet non I. De menda, vidi etiam, postea, quã id adnotassem, Paullum Manutium suspicari, in suis in Pedianum scholijs eruditis. Cum autem emendationem quoque ipsius re mecum consentire animaduerterem, verbis solum differre, Cn. Domitium enim, & intelligit, & in contextum recipit, non dubitaui meam, quę a vulgata scriptura fere non recedit, iterum hic proponere, in ipsumq; adeò contextum referre. Lego igitur planè AVVNCVLI TVI Q. CATVLE.

Quid? auunculus tuus, clarissimus vir] Quid sit clarissimus, alio loco ostendit Asconius: cuius uidelicet maiores magistratus adepti fuerunt. Sane hunc Domitium Q. Catuli auunculum, etiam clarissimum appellat idem Cicero in oratione de

leg.

leg. agr. ad pop. quo loco de erepta cooptandi potestate collegijs loquitur. de qua re ipsa scribit etiã Suet. in Nerone, & causam commemorat.

Nam neque me dimitiæ]. Cicero in Oratore, habet. NEQVE ME DIVITIAE. Ego ex Quinct. lib. IX. cap. IV. reposui. NAM NEQVE. Illud autem, quod statim sequitur, QVI REBVS HIS VRBEM, &c. sic legit Prisc. li. X. QVI EIS REBVS VRBEM. ITALIAMQVE REFERSERVNT. Ego autem præterea in illo loco, MVLTI VENALICII MERCATORESQVE, legendum existimo, MVLTI VENALICIARII, MERCATORESQVE. Venalicius enim, ipse seruus venalis dicitur: Venaliciarius autem venditor ipse seruorum, quem alij alio nomine mangonem vocant. Locus est apud Africanum lib. IV. quæst. Extat autem repetitus in D. verb. & rer. significationibus. is ita habet. Mercis appellatione homines non contineri, Mela ait: & ob eam rem mangones non mercatores, sed venaliciarios appellari ait: & recte. Coniunxit igitur Cicero venaliciarios cum mercatoribus, vt omne genus negotiatorum complecteretur. Vtitur hoc vocabulo Vlpianus lege. I. D. tribut. act. & LXXXVII. D. Aedilicio edicto. L. Papinianus LVII. D. Mandati. Vtitur & Varro, & Plinius. Error autem idem qui huic fragmento inhæserat, libros quoque Suetonij de claris Rhetoribus videtur occupasse; vbi venalicios, cùm gregem venalium Brũdusij producerent, puero ait bullam, & prętextam imposuisse.

Quis tam abundans] Eius fragmenti præter Priscianum meminit etiam Fronto ipse, initio libri sui de exemplis elocutionum.

Qui tum affuerunt] TVM, non dicit in iudicio (cũ per quattuor dies causa hæc acta sit,) præter enim Globulum ipsum, qui prius intercesserant, deinde autem in iudicio aderat, paucos Cornelius, perterritus Manilii exitu, in iudicium adhibuerat; vt scribit Asconius in argumento: sed, TVM, cum videlicet legem perferret de CC. senatoribus. Ea enim quanquam inimicis optimatibus, tamen sine tumultu est perlata, teste eodem Asconio.

Quid enim] Legendum fortasse: QVOD ENIM.

Sed ad vrbem dierum] Hoc citatur a Frontone, in exemplo locutionis eius, cum dicimus, abesse aliquẽ tot millia. Cuius quidem

dem rei eo libentius admoneo, quòd inde palam fit, id quod etiam alioquin non valde erat obſcurum, fragmentum ipſum nō omninò bene ſe habere. Nuſquam enim video fieri mentionem verbi abeſſe: ad quod verbum, vniuerſum hoc locutionis Ciceronianæ exemplum accommodatum eſt a Frontone.

In orationem in toga candida.



IN SENATV eſſe habitam orationem, præter Quinctilianum, quem citat Sigonius, primum etiam ipſum fragmentum teſtimonio eſt.

Noti & cogniti] Non exiſtimo prorſus locum integrum eſſe.

Cum ſequeſtribus ſuis.] Hoc Q. frater in lib. de petitione cons. & Marcus ipſe in oratione pro Cœlio, ſodales cuiuſpiam appellat: in Verrem, interpretes corrumpendi: pro Plautio, corruptores. Erant videlicet amici candidatorum, qui pro ipſis candidatis pecunias tribubus largiebantur.

Qui tot ciues trucidauit.] De Catilina.

Qui in ſua ciuitate.] De Antonio. Adnotauit Pedianus.

Cum peregrino negauit ſe iudicio æquo.] Q. Cicero de petitione conſulatus. Vocem audiuimus iurãtis ſe Romæ iudicio æquo cum homine Græco certare non poſſe. Quid ſit autem æquum iudicium, ita exponit M. Cicero in ea pro Cluentio ſub initiũ. Illa definitio, inquit, iudiciorum æquorum, quæ nobis a maioribus tradita eſt, retineatur, vt in iudicijs, & ſine inuidia culpa plectatur, & ſine culpa inuidia ponatur. Hoc etiam in ea pro Quinctio, item ſub initium, ius par, videtur appellare. Cum adhuc ei, inquit, propter vim aduerſariorum, nō ius par, non agendi poteſtas eadem, non magiſtratus æquus reperiri potuerit. Alioqui ius par, aut ius æquum dici videtur inter ciues, ſi neq; ſummiſſi & abiecti in ciuitate ſimus, neque nos denique efferamus: quemadmodum definire videtur Cicero idem in libro de officijs primo, vbi de magiſtratuum & priuatorum officio loquitur. Sic Anno Carthaginienſis de Annibale, apud Liuium lib. XXI: Ergo iſtum iuuenem, inquit, domi tenendum ſub legibus, ſub magiſtratibus docendum viuere æquo iure cum ceteris cenſeo.

Nec

Nec se iam tum respexit.] NEC, pro NE, reposui. Agere autem de Catilina incipit, cum hactenus de vtrisque egisse videatur.

Quem cum in Syllanis.] Ex Asconio in periodum, quæ præcesit. Quem enim, aut amicum &c. Is ibi ita habet. Catilinam, cum in Syllanis partibus fuisset, crudeliter fecisse, nominatim etiam postea Cicero dicit, quòd occiderit Q. Cæcilium &c.

Hominis maxime popularis.] M. Marii Gratidiani. Vide Asconium in eandem illam periodum. Quem enim, aut amicum &c. Vide & infra ipsum Ciceronem in fragmento, Quod caput etiam tum. De eodem enim Gratidiano loquitur, vt aperte ait ibi Pedianus: nec minus Q. ipse frater in libro de petitione consulatus. Cuius verba adscribam, faciunt enim ad superioris periodi explicationem. Catilina, inquit, inter ceteros, hominem optimum Q. Cæcilium sororis suæ virum, equitē Rom. nullarum partium, cum semper natura, tum etiā ætate iam quietum, suis manibus occidit. Et mox. Quid ego, inquit, nunc dicam petere eum tecum consulatum, qui hominem carissimum pop. Rom. M. Marium, inspectante pop. Rom. virgis per totā vrbem ceciderit, ad bustum egerit, ibi omni cruciatu lacerarit, viuo stanti collum gladio sua dextera secuerit, cum sinistra capillum eius a vertice teneret, caput sua manu tulerit, cum inter digitos eius riui sanguinis fluerent. De hac nece Gratidiani vide etiam Dionem lib. XXXVII.

Vtrum æquo animo.] Ita Sigonius in Asconio suo, nam in meo abest, Animo Quod autem mox dicit de familiarissimo Catilinæ, eo C. Verrem significari, manifestum esse scribit Pedianus. Quod cum ita sit, illud quoque, vt opinor, manifestum erit, per aliorum iniurias, quod ibidem ait, Siculorum fortassis iniurias significari.

Alter pecore omni.] Transit ad Antonium a Catilina, itaque a superiore fragmento segregandum putaui. Antonium autem prædia, ob magnitudinem æris alieni, mancipasse, bonaque sua in potestate non habuisse, etiam ex nota censoria cognoscere est, quā recitat Pedianus in altera particula eius orationis explicanda: & Q. Cicero bona ipsius proscripta se vidisse asseuerat, in libro de petitione consulatus. Quod vero mox sequitur.

Alter induxit eum.] Quem induxerit is alter, notum est ex Asconio: quis autem sit is ipse alter, qui induxit, non ita. Est enim

enim lacuna in Asconio, vbi id fortaſsis exponebatur. Niſi quòd,ſi contextus ipſius curſus non eſt interruptus,de Catilina accipiendum eſt. Quod nō ſatis placet,propter illud,quod inferius dicitur de Antonio ipſo,teſte Aſconio. ATQVE VT ISTVM, inquit, OMITTAM.

Quamobrē augere.] In Aſconio eſt aſteriſcus.In meo autē ibi. VT COEPIT SENTEN. * COSS. Vix ſine ope manu ſcriptorum proficias in emendando: niſi quòd pro, PERVERTI, vereor ne legi debeat, PERFERRI. hoc ſenſu. Si vultis P.C. præmia veſtra augere,debetis Mucium,legē perferri impedire,vt cœpit,cupientē,nouo S. C. prohibere.quanquam ego quidē,inquit,facile lege Calpurnia contentus ſum. Cui autem legi Mucius trib. intercellerit,exponit Aſconius in argumento. Quod autem idem de duobus damnatis coſs. quorum hic facit Cicero mentionem,dixiſſe ſe iam ait,vide in oratione pro Corn.1. vbi ſunt illa,Vt ſpectaculum illud. & q. s.

Te tamen Q. Muci] Quid vetat ſententiam ſuam libere exponere,præſertim ſi abſit temeritas? Nihil muto,ſed tamen puto hoc fragmentū ſtatim poſt illud. IN IVDICIIS QVANTA VIS,eſſe collocādum. Nā Aſconius in expoſitione illius. IN IVDICIIS QVANTA VIS,recitaturus fragmētum hoc. TE TAMEN Q. MVCI,ſic habet. Quod ita eſſe manifeſtum eſt ex eo,quod ſtatim dicit.

Minus diligenter ſcit ſibi conſtituere defenſorem] Sic omnes,quos vidi. Quid autem? ſi, MINVS DILIGENTEM.

Africanis oratoribus] Legatis ex Africa,qui de te tuiſq; deprędationibus,& expilationibus grauiter ſunt queſti,quorum oratio ita ſenatui perſuaſerat, vt cum te equitum, & tribunorum decuriæ abſoluerent,illi prorſus condemnarent.

Quod caput etiam tum] Deſcripſi ex Aſconio, vbi lectionem ſic diſtinguo.

Quo loco dicit Catilinam caput M.Marij geſtaſſe. QVOD CAPVT ETIAM TVM PLENVM, & quæ ſequuntur. Eſſe autem hæc verba Ciceronis indicant ſequentia, Aſconij, primum cum ait. Ne erretis. Deinde quòd, de qua æde Apollinis locutus fuerit orator, declarat: quanquam declarationis etiam extremum perierit. Sepulto autem hoc fragmento, nuſquam apparet,vbi de hac æde Apollinis locutus ſit in hac oratione Cicero. Eſt autem hoc fragmentum vnum ex ijs, in qui-

bus Cicero Catilinæ sæpius, vt scribit Asconius, Gratidianum crimen hac oratione obijcit. Nam cetera fragmenta eiusmodi, & nos superius adnotauimus, & facile ipsa per se possũt abs quiuis obseruari: quod ipsum, vel hoc quod proxime præcessit fragmentum luculentissime demonstrat.

Quid tu potes in defensione] Asteriscus admonuit, vt de meliore lectione cogitaretur, insequens autem periodus effecit, vt ea propemodum inueniretur. Cum enim passim antea legeretur sic. QVID TV POTES, &c. primus, vt arbitror Sigonius legit, & distinguit sic. Quid? tu potes &c. Sed hoc recte est. Ego enim præterea videndum puto, an reliqua ad eum, quem dicam, modum distingui, eamq; sententiam, quam exponam, præse ferre possint. QVID? TV POTES IN DEF. TVA DICERE, QVOD ILLI? (loquitur autem, vt notum est de ijs, qui cædes plerasque ciuium in Syllæ dictatura perpetrarant. Vt deinde aliquid addatur eiusmodi) QVID SI ILLI EA IN SVA DEFENSIONE DIXERVNT, QVAE TIBI DICERE NON LICEBIT? Infra enim certè in Asconio ostẽditur, quid ad suam illi defensionem attulerint: IMPERITOS videlicet HOMINES SE ESSE, ET SI QVEM INTERFECISSENT, IMPERATORI AC DICTATORI PARVISSE, DENIQVE NEGARE POSSE, &c. Nam ego sanè ea verba, quæ infra quoque in contextum fragmentorum relata sunt, Asconij magis, quàm Ciceronis, esse puto: quanquã adhuc quidem delenda esse de fragmentis non existimaui.

Auunculum tuum.] Ex Asconio: vide scholium ipsius in periodum præcedentem. Significat autem L. Bellienum, Catilinæ, ad quem hic sermo est, auunculum.

Is ergo negat.] Dixi, nõ me arbitrari Ciceronis esse, sed Asconij. Quod quidem si ita est, lego pro, IS ERGO, HIS ERGO, vt intelligatur, verbis. Sic legendum item illud quoque eiusmodi Asconij in orationem in Scaurum. In huius, inquit, domus atrio fuerũt quattuor columnæ marmoreæ &c. vsus erat is ædilis, in ornatu theatri. Lego enim ibi quoque. Vsus erat his ædilis: vt intelligatur, columnis.

Quam reliqua vita es consecutus.] Meus Asconius, QVA RELIQVVM VITAE CONSEQVVTVS? Quod autem statim de turpitudine vitæ Catilinę loquitur, id de Q. ipso fratre

fratre hausisse videtur. Sic enim ille in lib. de petit. cons. Nullum in locum tam sanctũ, tamq; religiosum accessit, in quo non etsi in alijs culpa non esset, tamen ex sua nequitia dedecoris suspicionem relinqueret.

Quid ego.] Et hoc de Q. fratre sumptum videtur lib. de petit. consulatus. Tam studiosus eius libri M. noster fuit, vt phrases penè illius vniuersas imbiberit. Sic igitur Q. frater. Quid ego nunc tibi de Africa, quid de testiũ dictis scribam? Et paullo inferius. Quid ego nunc dicam petere eum tecum consulatum? cum autem aliàs pręcise legeretur, QVID EGO, VT VIOLAVERIS PROVINCIAM, PRAEDICEM? NAM VT TE ILLIC, &c. repleui, PRAEDICEM, CVNCTO POPVLO R. CLAMANTE, AC RESISTENTE. NAM VT. Idque ex ipso Asconio, qui duobus in locis recitat fragmentũ, primum, extrema parte auctius, deinde prima locupletius. Quoniam autem de menda magnopere vereor, incommoditatem eius orationis cõsiderans, quòd, quem violasse prouinciam dixerit, is vt se in prouincia gesserit, non audere se dicit dicere, idcirco pro, VIOLAVERIS, legerem. VI OCCVPAVERIS, vel, VI INVASERIS prouinciam: vel denique VI INVOLAVERIS in prouinciã, vel sanè pręcise, INVOLAVERIS IN PROVINCIAM, vel aliquid tandem huic simile. Cui demum lectioni accommodatissime respondet, quod statim sequitur. POP. R. CLAMANTE AC RESISTENTE. Error sanè à librario facile comitti potuit, propinquitate verbi VIOLAVIT, quod est in fragmento præcedente.

Prętereo illum nefarium.] Etiam hoc fragmentum a superiori esse putaui secernendum.

Quod auunculus nunquam] Hic est locus ille ad quem respexisse Asconium, explicantem superiora, olim arbitrabar, cum his verbis vteretur. L. quoque Bellienus damnatus est, quem Cicero ait auunculum esse Catilinæ. De qua me deinceps sententia cum illa ratio facile depelleret, quod quæ hic dicuntur, de Catilina intelligi planè non possint, qui non præturam, vt hic dicitur, cum Cicerone petierit, sed Cicerone pretore ipsum iã consulatum petiturus fuerit, ni fuisset prohibitus, propter repetundarum iudicium, vt significat Sallustius, & paullo superius Cicero ipse, & Asconius. Ergo opinionem illam cum ea, quam dico,

ratio per se conuelleret, tum auctoritas sane eruditissimi antistitis, Ant. Augustini, Ilerdę Episcopi, prorsus eam exemit; qui, vt in posterioribus suis scholijs adnotauit Sigonius, pro, AVVNCVLVS, legit acutissima nixus coniectura, A TE BOCVLVS. Quod cū ita sit, vt mimine huc respexisse videatur Asconius, facile ausus sum opinionem quidem illam abijcere, Ciceronis autem contextui superius nouum fragmentum adijcere. AVVNCVLVM TVVM.

In tertium locum esse subiectum] Sic habet Asconius, nec magna admodum causa est, cur debeat immutari. Subijci enim ea dicuntur, quæ pro alio substituuntur. Vnde dixit Cicero in Oratore. Mutata esse verba, in quibus pro verbo proprio subijcitur aliud, quod idem significet, sumptum ex re aliqua consequenti. Vnde subijci testamenta dixit idem. XIIII. Philipp. & subiectorem testamentorum. II. in Catilinam, & subijcere æs pro auro, dixit iurisconsultus lege. XXXVI. D. pigneratitia actione. Quoniam autem, quę ita subijci dicuntur, ea vel per fraudem fere, & dolum malum supponi, vel certe peiora pro melioribus substitui videntur, existimaui olim hoc loco, quo quidem beneficium suum in Antonium prædicat M. Cicero, honestiore ipsum vocabulo vsum fuisse, & sublectum potius, quàm subiectum dixisse. Nunc autem attentius mihi cogitanti, videtur vsitata lectio illud continere, quod, & ingenio oratoris demonstrando congruentius est, & incessendę turpitudini ac vilitati Antonij accommodatius. simul enim cum exprobratiõe sui beneficij acriter mordet orator Antonium, quem non tam sublectum, videlicet simpliciter in alterius locum lectum, esse dicit, sed subiectum, id autem est, vt ego interpretor, deteriorem pro melioribus substitutum. Quale est illud Asconij in extremo commentarij. III. Verrinæ. Q. Curtius, inquit, iudex quæstionis subsortiebatur in locum reiectorum, quos Verres redemerat, improbos iudices, quibus ad venales sententias ferendas vltimo die subiectis vteretur. Facile autem, inquit, pro veris iudicibus improbi supponi poterant, volente hoc iudice quæstionis, &c. Et mox, explicans verba Cicerõis, illa, Cuius mihi copiā quam largissime factam opportebat, inquit, Quæ scilicet non fieret, si pro vobis alij subijcerētur. Quale erat item illud, quod Io. comes TARNOVIVS noster, vir domi, & belli clarissimus, dicere solebat, in ludo aleę sępe, propter tesseræ inopiā, rapulum

subijci

subijci solere, cum designaret, in magistratibus creandis, indignissimos homines, dignorum loca virorum, sępenumero occupare. Quod si cui ita a nobis hoc tempore expositũ minus placuerit, is per me quidem SVBLECTVM, pro SVBIECTVM reponere poterit. Omnino enim in eodem verbo Liuium quoque error similis in quibusdam libris occupauit. Locus est lib. XXIII. vbi de dictatura Buteonis. Ita, inquit, in demortuorum locum sublecturum, vt ordo ordini, non homo homini prælatus videretur. Quo quidem in loco libri quidam legunt per mendum, subiecturum. Et nonnullos item Ciceronis libros in verbo eiusdẽ generis error persimilis. Nam in ea pro Sex. Roscio, vbi libri boni, Qui ex senatu in hoc cõsilium delecti estis, habent, illi deprauati legunt, Deiecti estis. Legi enim, & deligi, & seligi, & sublegi, dicuntur, tum magistratus, tum senatus, tum iudices, tum milites, Vnde lecti, delecti, selecti, sublecti dicũtur. Ex quo fit, vt magnopere verear ne in L. Proponebatur D. de iudicijs, menda etiam eadem, ipsos quoq; Florentinos libros, inuaserit, vbi Alphenus iurisconsultus legionem eandem haberi ait, ex qua multi decessissent, si modo in eorum locum alij subiecti essent. videndum enim esse puto, ne, Sublecti, pro Subiecti, legendum sit.

Qui postquam illo Hispaniensi pugiunculo] Cn. Pisonem significari tradit Asconius, qui in Hispaniam tum missus, ibi perierat. Quod autem hic dicit, neruos incidere ciuium R. supra dixit explicatius, cædem facere optimatum. Ipsam autem rationem loquendi sumpsisse videtur a C. Graccho, qui iudicijs ad equites translatis, neruos se incidisse senatorij ordinis iactitabat. Eadem autem vsus est idem Cicero prima Academ. Zeno, inquit, nullo modo is erat, qui neruos virtutis inciderit. Alioqui in ea pro Flacco, neruos concidere dixit.

In rempub. sicas distringere.] Aliàs est. IN REPVB. Putaui rectius legi. IN REMPVB. Hoc ita quidem olim per me ipsum suspicabar, nunc autem per Q. Ciceronem certissime statuo. Is ita habet in libro de petitione consulatus. Quis reperiri tã improbus, inquit, ciuis potest, qui velit vno suffragio duas in rempub. sicas distringere? Quo quidem ex Q. Ciceronis loco facile intelligitur, id quod etiam Pedianus scribit esse manifestum, per duas sicas, Antonium & Catilinam significari.

In

In orationem pro Q. Gallio.



OSTERIVS hanc orationem fuisse habitam oratione in toga, Asconius idē testatur, quem citat Sigonius, eodemq́; illo in loco, in commentario videlicet orationis in toga, ferè in medio. Fuit autem is Gallius, qui antea quoq; Q. Callidium M. Callidij oratoris patrem repetundarum, vt opinor, accusarat. Asconius in II. Verr. Idem videtur Cornelij iudicium prætor exercuisse. Asconius idem.

Vt clamor.] Ex Aquila, & Quinctiliano lib. VIII. cap. III. Quos vtrosque conferre necesse est ad fragmentum rectè conformandum. Nam ab vtroque separatim cōcise nescio quomodo recitatur. Aquila plenius recitat, sed, pro, POTATIONE, habet POTIONE, & omittit verbum, IMMVNDA, quod vtrunque Quinctilianus corrigit.

An ista si uera.] Ex Quinct. lib. XI. cap. vltimo propius finem. Persuadendi vis, inquit, asseueratione cōstat, quæ interim plus ipsis probationibus valet. An ista, inquit Callidio Cicero, si vera essent, sic a se dicerentur?

Tu istuc M. Callidi.] Præter Ciceronem, ex Quinctiliano etiam lib. XI. & eodem illo loco, quem proxime recitaui, & paullo antè, extremum eius fragmenti peti potest. Hunc autem Callidium Gallij fuisse accusatorem, etiam Sigonius admonuit: cui subtilitatem tribuit Quinct. lib. XII. cap. X. & in Bruto a Cicerone, dulcis potius orator quàm vehemens appellatur. Dixisse autem illum pro domo Ciceronis, scribit Quinct. lib. X. cap. I. affuisse autem Miloni, notat Asconius in argumento. Festus dictione Sufes, profert fragmentum ex ipsius oration.

In orationem de L. Othone.



VM eam orationem, editione superiore, inter eas retulissem, quas præter nominis relictum vestigium prorsus interiisse existimabam, tum illa me vna re magnopere cōsolabar, quòd ex optimis plerisque scriptoribus, quorum tum locos atque sententias adducebam, tam de tēpore,

pore,quàm de argumento,& de ſucceſſu ipſis egregie conſtare poſſe videretur. Núc ex poſteriore editione Sigonij, quoniam, ad veterem meam lætitiam,illa etiam voluptas recens accesſit denique,quod ipſius qualecunque tandem fragmentum poſsimus demonſtrare, ipſam quidem ex deperditarum prorſus orationum ordine exemi, in eaq; aliquanto illuſtriore ſede collocaui. Ea uero quę præfatus de illa olim fui, hoc ferè in loco denuo commemorare volui.

Principio de Othone ipſo, hanc eſſe inter ſcriptores differentiam video. Cum enim is L. Roſcius Otho trib. pl. & eſſet, & diceretur, a Plutarcho tamen, in vita Ciceronis, pro L. Marcus, a Velleio autem, lib. II. vt quidam libri habent, pro L. Roſcio, Horoſcius, ab Aſconio vero, in extremo Cornelianæ primæ, pro tribuno conſul dicitur. Eſt autem quoque præterea ex recentioribus ſcriptor non ineruditus,& certe diligentiſsimus, qui tam in nomine,quam in magiſtratu huius Othonis allucinatus eſſe videtur. Cum enim ab alijs hunc iſtum Roſcium,ut a Liuio & Dione,ab alijs Othonem,ut a Plutarcho & Horatio & Iuuenali, uidet nominari, non uidetur ſe explicare ſatis,ut intelligat unius hæc hominis duo nomina extitiſſe, quorum alterum nomen proprie appellant grammatici, cognomen alterum. Idem autem Plutarchum ſentire exiſtimat, prætorē hunc, non conſulem, neque tribunum fuiſſe. Qui mihi lapſus hominis ex mendoſo Plutarchi libro natus eſſe videtur. Cum enim in correctis Plutarchi libris legatur πρῶτος μάρκος ὄθων ille legiſſe videtur πραίτωρ μάρκος ὄθων. Ad de nomine quidem eius docere nos poſſunt, cum ceteri paſsim hiſtorici, tum vnus interea Aſconius, qui eodem illo loco, quo in magiſtratu ipſius allucinatur, tribus illum omnibus nominibus compellat, L. Roſcium Othonem. De magiſtratu autem, præter ceteros, Liuij epitome XCIX. quæ tribunum pl. manifeſte vocat. De oratione vero ipſa, locus eſt minime omnium abſtruſus, epiſtola prima, lib. II. epiſtolarum ad Atticum, vbi hanc tertio inter conſulares orationes loco nominat. Vnde etiam conſtat de ipſius tempore. De argumento autem eius, primum hiſtoria omnis loquitur, L. hunc Roſcium Othonem tribunum plebis, lege ſua, XIIII gradus caueæ proximos, equitibus in theatro aſsignaſſe. Cuius etiam rei in oratione pro Muræna ita Cicero meminit. L. Otho vir fortis, meus neceſſarius, equeſtri ordini reſtituit nō ſolum digni-

dignitatem,sed etiam voluptatem. Itaque hęc lex, inquit, quæ ad ludos pertinet,est omnium gratissima : quod honestissimo ordini cum splendore,fructus quoque iucunditatis est restitutus. Ad quam & Iuuenalis Satyra III. respiciens dixit ex persona equitum.

Sic libitum vano,qui nos distinxit,Othoni.

Et item Saty. XIIII.

Effice summam

Bis septem ordinibus,quam lex dignatur Othonis.


Deinde cùm ea lege offensa plèbs, uenientem Roscium in theatrum sibilis, & conuicio exciperet, Cicero consul, cum summa modestia,plebem in æde Bellonæ increpuit, hac quidē oratione quam dico de Othone. Cuius quidem successum dum idem iste,ex cuius sententia superiora tradita sunt, explicat Plutarchus,dicit reuersam in theatrum plebem,cum ipsis quoq; equitibus, quibus Roscius erat quam carissimus, de ipsius honoribus contendere non dubitasse. Qua in re exponenda temperare mihi profecto non possum, quin uerba quoque Plinij, quæ is lib.VII. cap.XXX. scripta reliquit,hoc in loco referam. Quo te, inquit ille, M. Tulli,piaculo taceam ? quo'ue maxime excellentem insigni prædicem? Quo potius quàm uniuersi populi illius gentis amplissimo testimonio, e tota uita tua (sic enim lego) consulatus tantum operibus electis. Te dicente,legem agrariā, hoc est alimenta sua,abdicauerunt tribus. Te suadente,Roscio theatralis auctori legis ignouerunt,notatasq; se discrimine sedis æquo animo tulerunt.

In orationē de proscriptorum liberis.



VID' *enim crudelius, quam homines honestis parentibus ac maioribus natos*] Quęrit Phauorinus apud Gell. lib.XIII.cap. XXIII. toiose'ne M.Cicero in orat. de lege agrar. Kal.Ian.prædæ,& manubiarum vocabula coniunxerit, iterumq; coniunctim vtraque repetierit, cum fere idem significare vtrumque videatur. Quærit,& ipse Gellius lib.XIII. cap.I. idem fere de fato & natura in verbis Ciceronis ex primo Antonianarum. Quęramus & nos,(otiosi enim videlicet

delicet sumus) de appellatione parentum ac maiorum, coniunctim in hoc loco a Cicerone vsurpatorum, otiose'ne factum fuerit. Scribit Festus, vel Paullus potius lib. xiv. parentem vulgo patrem aut matrē appellari, iurisprudentes tamen dicere, auos & proauos, auiasque & proauias parentum nomine appellari. Adferamus igitur ex libris iurisconsultorum aliquid, ad quos a Festo relegamur. Locus est Paulli iuriscon. in lege x. uersu Parentes, D. de gradib. affinit. is ita habet. Parentes usq; ad tritauum apud Rom. proprio vocabulo nominantur. Vlteriores, qui non habent speciale nomen, maiores appellantur. Sicut itē Seruius in illud viii. Aeneid. Lætiq; minores, minorum vocabulum vsurpari ait, vbi graduum nomen deficit. Quod si est, vt est, planè Cicero non ornatus tantum, aut numeri melioris causa usurpauit, vt PARENTIBVS AC MAIORIBVS, diceret, sed ut duas res duobus uocabulis exprimeret. Parentum enim nomine significauit ascendentes usque ad tritauum, maiorum autem, ascendentes ipsos ultra tritauum. Hæc ita dixisse satis erat, nisi meminissem, quibusdam eruditis ipsis uiris, de loco Paulli recitato, secus aliquando fuisse uisum, quos nos de loco superiore ita uerba facientes audiuimus, ut Paulli sententiam aliam esse, quám diximus, vellent ostendere. Dicunt, ex animo'ne an de industria, Paullum non ita sentire, nec ita loqui, vt parentum appellationem ad tritauum tantum extēdat. Sed ita, vt indicet, ascendentium propria & specialia nomina ad tritauum tantum reperiri, dicique, & patrem, & auum, & proauum, & abauum, & atauum, & tritauum: deinceps autem dici communi iam nomine, & esse omnes, maiores. Quam eorum expositionem cum manifestò refellat Pomponius apud Vlpianum in lege iv. de in ius vocādo, qui aperte omnes veteres existimasse refert, parentes vsque ad tritauum appellari: superiores autem, maiores dici: tum ipsa etiam illa Paulli verba, quæ attulimus, si legantur attentius, redarguunt. Sic enim habet. Vlteriores, qui non habent speciale nomen, maiores appellātur. Nam si vera esset illa, quam adferunt, eorum expositio, dicere sanè Paullus debuit præcise: Vlteriores non habēt speciale nomen, & non, quemadmodum dicit, Vlteriores qui non habēt. Quod si, vt fingimus, sic dixisset, superflua erant quæ cōsequuntur, aut ad eum modum certe efferenda. Sed maiores appellantur. Nūc autem, ex iis quidem verbis, vt leguntur in omnibus exempla-



ribus, Vlteriores, qui nō habent speciale nomen, maiores appellantur, illud consequitur, quod est nostræ interpretationi consentaneum, illorum aduersum. Ergo qui citeriores sunt, & nomen habent speciale, parentes appellantur. Addidi ad finem eius fragmenti ex Quinctiliano illud, SED ITA LEGIBVS SYLLAE. &c. Sic enim Quinctilianus lib. XI. cap. I. Mollienda est in plerisque alio colore asperitas orationis, vt Cicero de proscriptorum liberis fecit. Quid enim crudelius, quā homines, &c. Itaque durum id esse summus ille tractandorum animorum artifex confitetur, sed ita legibus Syllæ contineri statum ciuitatis affirmat, vt his solutis stare ipsa non possit. Et certe ad explicandam sententiam de molliēdo, necessarium Quinctiliano fuit hoc additamentum adiungere, ex eodem Cicerone, in quo rationem molliendę orationis demonstraret.

In orationem contra concionem Q. Metelli.



QVID ego de hac oratione dicam? cuius hypothesim elegāter proposuit Sigonius. Fragmenta autem ita pauca, ita etiam parua sunt, vt industriæ nostræ locus in ijs explicandis esse non possit? Nisi forte aut illud significandum nunc est, quod alio loco copiosius exponemus, locum illum, Percussisti autem me de oratione prolata, qui locus est ex. III. libro epistolarum ad Atticum, epistola Tu quidem, ad hanc orationem vix pertinere, ad illam in Clodium, & Curionem magis spectare videri: quod ante nos etiam adnotauit Paullus Manutius, in eruditissimis suis in eas epistolas commentarijs. Aut (quoniam in re litteraria liberas omnium sententias esse oportet) illud etiam obiter admonendum, quòd existimo hanc orationem eandem esse cum illa, quam de suo consulatu Ciceronem habuisse significat Plutarchus in vita Crassi, dum sic scribit. In illa, inquit, oratione, quam de suo consulatu habuit Cicero, Crassum ad se noctu venisse refert, epistolam a Catilina missam tenentem, qua illum quasi conscium ad firmandam coniurationem hortabatur. Atq; hac de causa semper in poste-

posterum Ciceronis inimicus Crassus est habitus. De qua re tota sic existimo. Mos erat in deponendis magistratibus, concionem haberi ab eo, qui deponebat. eius rei potestate priuatus fuit Cicero a Metello trib. pl. quod vtrunque ipse lib.v. epist. fam. significat: sed iurare tamen permissus cum esset, vnum hoc simulatus se facturum esse, quod permitteretur, iurauit verissimum pulcherimumque iusiurandum, remp. atque vrbem Romam sua vnius opera esse saluam, sicut loquitur in oratione in Pisonem sub initium, de quo etiã in ea pro Sylla ita habet. Adestote omnes animis, qui adestis corporibus, &c. Ego consul, cum exercitus perditorum ciuium clandestino scelere conflatus crudelissimum, & luctuosissimum exitium patrię conflauisset, cum ad occasum, &c. meis consilijs, meis laboribus, mei capitis periculis, sine tumultu, sine delectu, sine &c. incensione vrbem, internitione ciues, vastitate Italiam, interitu remp. liberaui. Ego vitam omnium ciuium, statum orbis terrę, vrbem hanc denique sedem omnium nostrum, arcẽ regum ac nationum exterarum, lumen gentium, domicilium imperij, quinque hominum amentium ac perditorum pœna, redemi. Et mox. An me existimasti hæc iniuratum in iudicio non esse dicturum, quę iuratus in maxima concione dixissem? Et apertius, sicut dixi, in ea in Pisonem. Ego cum in concione abiens magistratu, dicere a trib. pl. probiberer quæ constitueram, cumque is mihi tantummodo, vt iurarem, permitteret; sine vlla dubitatione iuraui, rempub. atque hanc vrbem mea vnius opera esse saluam. Mihi populus Rom. vniuersus illa in concione non vnius diei gratulationem, sed æternitatem immortalitatemq; donauit, cum meum iusiurandum tale atque tantum iuratus ipse vna voce, & consensu approbauit. Intelligendum est igitur, orationem de suo consulatu, aut iusiurandum fortasis fuisse, quo simul etiam Metelli concioni respondebat: aut certe, si ita libet Metellinam ab hac de consulatu separare, de Metellina dicendum, vt alij ante me voluerunt, de hac de consulatu suo, existimandum eam fortasis esse, quam, cum meditatam iam habuisset, etiam pro concione, nisi a Metello prohibitus fuisset, fuerat habiturus, cuius, vt opinor fragmentum vnum ex Nonio descriptum, inferius exponemus,

Permulsa atq; recreata.] In meo Prisc. QVOD PERMVLSA.
Qui indicabantur] De coniuratis loquitur.

In orationem de suo consulatu.



DE hac oratione quę sit mea sentētia, dixi in ea, quam proxime exposui. vnum addo: epistolam, quā a Catilina fuisse Plut. ait in vita Crassi, eandem in vita Ciceronis vocat ἀδέσποτον. Catilinam enim Romæ tunc fuisse ait. certe missam fuisse ad Crassum ab aliquo ex coniuratis, etiam Dio assentitur. Sed hæc aliò pertinent.

Quorum luxuries fortunata ceusa peperit.] Nonius in dict. Census, exponens neutro genere etiam id vocabulum vsurpari, adducit hæc verba ex Ciceronis consulatu. De libris consulatus, dicemus copiosius in tomo quarto. Summa est, Ciceronem, prę ter hāc orationem, cuius Plut. vt superius dixi, meminit, & Gręcum commētarium, scripsisse tres libros versibus Latinis de suo consulatu, & quidem, vt ibi constabit, versibus heroicis. Hoc igitur fragmentum aut deprauatum est, si ad libros de consulatu pertinet: cum enim habeat similitudinem heroici, non est heroicum: aut, si non est deprauatum, ad hanc est orationem, mea sententia, referendum. de qua re lector iudicet.

In orationem in Clodiū & Curionem.



HANC orationem non multo post ipsam Clodii, in iudicio de sacris Bonæ deæ violatis, absolutionem, habitam fuisse existimo, id est, vt ego puto, idibus ipsis Maij. M. Messalla, & M. Pisone coss. cum Clodius quidem paullo ante initum ab ijs consulatum fuisset absolutus. Liquent omnia penè ex epistola, Q uęris ex me, lib. I. ad Att. Sic enim scribit Cicero eo in loco. Nam, vt idibus Maij in senatum cōuenimus, rogatus ego sententiam, multa dixi de summa rep. atque ille locus inductus est a me diuinitus, ne vna plaga accepta patres conscripti conciderent, ne deficerent. vulnus esse eiusmodi, quod mihi neque dissimilandum, neque pertimescendum videretur, ne aut ignorando stultissimi iudicaremur* bis absolutum esse Lentulum, bis Catilinam, hunc tertium iam esse a iudi-

a iudicibus in remp. immissum. Erras Clodi &c. De hac oratione etiam illud est eadem epistola, statim initio. Cum ille, inquit, ad conciones confugisset, in ijsque meo nomine ad inuidiam vteretur, dij immortales quas ego pugnas, & quantas strages edidi, quos impetus in Pisonem, in Curionem, in totam illam manum feci? Quomodo sum insectatus leuitatem senum, libidinem iuuentutis? sępe, ita me dij iuuent, te non solum auctorem cōsiliorum meorum, verum etiam spectatorem pugnarū mirificarū desideraui. Illud, haud paullo difficilius est ostendere, quo pertineat, quod ita lib. III. ad Att. epistola Tu quidem, scriptum extat. Quæ spes est ista eodem trib. pl. & inimico cos. des.? Percusisti autem me de oratione prolata: cui vulneri, vt scribis, medere, si potes. Scripsi equidem, olim ei iratus, quòd ille prior scripserat, sed ita compresseram, vt nunquam emanaturam putarem: quomodo exciderit, nescio: sed quia nunquam accidit, vt cum eo verbo vno concertarem, & quia scripta mihi videtur negligentius quàm cæterę, puto posse probari non esse meam. Sed certe huc referri locum oportere, deq; ea oratione loqui, illa facit non leuis coniectura, quod inferius in epistola, Accepi idibus, sic loquitur idem Cicero. Sed quid Curio? an illam orationem non legit? quæ vnde sit prolata, nescio. Planè enim & de eadem oratione loquitur, & ijsdem pene verbis. hic autem apertè Curionem nominat. Adiuuat hanc coniecturam illa etiam altera non prorsus contemnenda, quod, cum contra concionem Q. Metelli apud populum dixisse videatur Cicero, queri vix, & admirari potuisset de prolata. quantulum enim distat, apud populum quid dixisse, aut edidisse? præsertim in illa notariorum, & actuariorum copia, qui orationes ipsas, dum haberentur, per notas quasdam breuissimas excipere solebant: quibus de notis plura in adnotationibus tomi III. dicturi, sumus. Hæc aūt in Clodium, & Curionem cū in senatu, vt Quinctil. lib. III. cap. IX. scribit, & ex fragmēto vltimo constat, habita sit, paucis videlicet testibus, iustiorē habet causam admirationis eius, de qua dixi. Quanquam ego quidem, nisi superiore coniectura niterer, in diuersam potius opinionem concederem. nam & procliuius erat de Metello interpretari, quem ibidem dicit fuisse cos. des. quam de Curione, cuius, nisi forte in tribunatu Clodij, nulla ibi fuit expressa facta mentio: & difficile probare est, Curionem, priorem, quod ibi dicit,

dicit,in Ciceronem scripsisse,quod de Metello probare est facillimum: nec valde item expeditum,ostendere,quomodo negligentius hæc scripta videatur,in qua se,vt supra ostendimus, præliatum esse,& pugnas atque strages maximas edidisse scribit. Iudicent igitur alii,nos,quod probabilius mentem nostrã feriebat,id secuti sumus,idq; etiam exposuimus.

Sed credo.] Bis hoc fragmentum citatur a Nonio, semel dictione Longus,iterum,& quidem planius ac emẽdatius, dictione Specula,& Speculum: cui nos loco in referendo fragmento magis adhæsimus. nam alibi pro TE, legitur ET, abestque initio particula, SED.

Tu'ne cum uincerentur.] Hic duo feci, & pro TVNC TV'NE, reposui: sic enim apud me in Nonio legebatur: & in sequens fragmentum, CVM STROPHIO, cum hoc connexui. Quod autem de pedum fasciis loquitur orator, haud scio an eæ sint, de quibus iurisc. L. xxv. D. aur. & arg. leg. Fasciæ, inquit,crurales,pedulesq; vestis loco sunt: quo quidem in loco & calanticę mentio fit. De pedum fasciis vide Plin.lib.vi. cap. ii. & lib.vii. cap. lvii. nat. hist. Quinct. lib.ii. cap.iii. Valerius etiam alicubi Pompeium fascia crus ait habuisse obligatum. Huc pertinet & illud Varronis, Cat.vel de liberis educandis. Mihi puero,inquit,modica vna fuit tunica & toga,sine fasceis calceamenti,equus sine ephippio, balneum non quotidianum,alueus rarus. vide Non. Marcellum dict. Ephippium.


Quo ex iudicio &c.] Desumptum ex Quinctil. lib.viii. cap. iii. sub finem. Sunt,inquit,& illæ breues similitudines, vt illud Ciceronis in Clodium,quo ex iudicio. De quo autem iudicio loquatur,diximus in argumento. Euasit profecto ex eo Clodius,contra etiam Ciceronis testimonium,vt est apud Valeriũ, & Plutarchum,& in illa eadem ad Atticum epistola, de qua supra ex lib. i. Effugere autem ex iudicio,violẽtius dicitur,quam discedere: sicut loquitur Q. frater in de petit.consul. Tã egens, inquit, ex iudicio discessit, quam quidam iudices eius ante illud iudicium fuerant.

Erras Clodi] Hoc ex eadem esse oratione testatur ipse Cicero in eadem illa epistola,de qua dixi,cum de vniuersa oratione in genere disputarem. nam & paullo antequam id fragmẽtum recitaret,ita ferè scribit Attico. Insectandis,inquit,exagitandisque nũmarijs iudicibus,omnem omnibus fautorib. illius vi-

ctorię


ctoriç παῤῥησίαν eripui. Pisonem cos. nusquam consistere sum passus, homini Syriam ademi, senatum excitaui, Clodium fregi, cum oratione perpetua plenissima grauitatis, tum altercatione eiusmodi, ex qua licet pauca degustes, &c. Et ad finem fragmenti hæc addit. Sed quid ago, inquit, penè orationem in epistolam inclusi. Hęc ibi Cicero. Vt vehementer verear, ne totũ illud huc pertinere videatur ab eo loco, NE VNA PLAGA ACCEPTA, &c. Quod autem ibi sub extremum fragmenti legitur. Nihil est damni factum noui, sed quod erat inuentum est in vnius hominis perditi iudicio: plures similes reperti sunt. Distinguo. Quod erat, inuentum est. In vnius hominis perditi iudicio plures similes, &c.

In orationem de rege Ptolemæo.



Haec fuit habita Cn. Cornelio Lentulo L. Marcio Philippo coss. vt patet ex epistola. 1. ad familiares. scribit enim de hac re ad P. Lentulum, tum Ciliciç procos. Mẽtio autem orationis, & fragmenti, est etiam apud Capellam, vbi agit de figuris sententiarum.

In orationem in pro P. Vatinio.



Vatinivm & accusatum fuisse, & defensum a magnis viris reperio. Accusatum quidem, siue adeo insectatum a Licinio primum Caluo, oratore excellenti, vt in tomo. II. explicabimus, nobili illa actione, de qua multi præclari auctores meminerunt, Tacitus, Catullus, Quinctilianus, Aquila, ceteri, quod nos in epistolas ad hũc Caluum a Cicerone scriptas, eodem illo tomo. II. adnotauimus copiosè. Deinde vero insectatum quoque a Cicerone ipso, oratione quidem, quæ hodieque extat. Defensum autem ab eodem, duobus, vt scribit Valerius lib. IV. cap. II. iudicijs publicis, non modo sine vllo crimine leuitatis, quod eidem antea inimicissimus extiterit, sed etiam cum aliqua laude, cum speciosius multo iniu-

riæ beneficijs vincantur, quam mutui odij pertinacia pensentur. Etsi autem eius defensionis causam in Cæsarem conferre videatur ipse Cicero, quem sibi defendendi Vatinij auctorem fuisse scribit lib. I. epist. fam. ad Lentulum, tamen Quinctilianus rei ipsi, & veritati tributum id ab eo fuisse significat, lib. II. cap. I. cum inquit. Decet rem ipsam probare in qualicunque persona. Dixit Cicero pro Gabinio, & P. Vatinio inimicissimis antea sibi hominibus, & in quos orationes etiā scripserat. Equidem orationis pro Vatinio Ciceronis, meminit Asconius initio expositionis suæ in orationem pro M. Scauro. Quo ex loco intelligitur habitam esse eam L. Domitio Ahenobarbo, & Ap. Claudio Pulchro coss. Id quod ipsum significat etiam epistola vltima lib. II. ad Q. fratrem. Ego, inquit, eodem die, quo hæc scripsi, absoluto a tribunis ęrarijs de pręuaricatione Druso, aderam post meridiem Vatiniū defensurus. Erat id autem, vt ibidem apparet infra, intra Quinctilem, & Sextilem menses, ante omnino Scauri iudicium, sic enim ibidē Cicero. Scauri, inquit, iudicium statim exercebitur, cui nos non deerimus. Cuius iudicij summum diem a.d. IIII. non. Sept. fuisse Asconius prodidit. Ex his autem præterea Ciceronis locis colligitur de ambitu illum tunc accusatum fuisse. Sic enim paullo ante Cicero. De ambitu, cum atrocissime ageretur in senatu multos dies, quod ita erant progresi candidati, vt non esset ferendum, in senatu non fui. Quod item significatur ex ea ad Lentulum lib. I. famil. quæ incipit, Periucundæ. quem locum statim recitabo. Quod si est, tum sanè, & Caluo simul accusatore, & Cicerone defensore, vsus est Vatinius. Id quod ita esse manifeste ex horum duorum locorum collatione constat, quos adducam. Ciceronis primum, epistola, vt dixi. Periucundę. Is ita habet. De Vatinio autem primum reditus intercesserat in gratiam per Pompeium, statim, vt ille prętor est factus, cum quidē ego eius petitionem grauissimis in senatu sententijs expugnassem, neque tam illius lædendi causa, quam defendendi, atque ornandi Catonis. Deinde Quinctiliani, qui aliquot Caluianæ illius accusationis fragmenta adducit. vt: Factum, inquit, ambitum scitis omnes, & hoc vos scire omnes sciunt. Item: Perfrica frontem, & dic te digniorem, qui prętor fieres, quàm Catonem. de quibus fragmentis, quoniam ante iam in epistolas ad hunc Caluum, vt diximus, adnotaueramus, idcirco hic breuiores esse voluimus. Siue igitur
rei

rei ipsius veritate,siue Cæsaris auctoritate ad defendendum Vatinium adductus fuerit Cicero,certè inimicitias postea cum illo resumpsisse,easque ad extremum vsque exercuisse,videri potest ex his quæ à Macrobio lib. II. inter iocos recitantur. Nam, cũ Vatinius hic cũ Caleno,vt Dio testatur, exitu anni DCCVII. vt habẽt marmora Capitolina consul factus esset, paucisq; diebus consulatum gessisset,notabilis,inquit Macrobius,Ciceronis vrbanitas circunferebatur,magnum ostentum,inquientis,anno Vatinij factum esse,quod illo consule nec ver,nec æstas,nec autumnus fuerit. Querenti autem deinde Vatinio, quod grauatus esset domum ad se infirmatum venire, respondit Cicero, id se quidem in consulatu ipsius facere voluisse,sed a nocte oppressum fuisse. Idem autem apertius quodammodo existimari potest, ex ijs quoque, quę a Quintil. lib. VI. cap. IIII. inter iocos quidem relata sunt. Primum, quod nunciata ipsius morte, cuius parum certus dicebatur auctor. Interim, inquit Cicero, vsura fruar. Deinde, cum Ouinium libertum ipsius interrogasset, rectène omnia, & is, recte respondisset. Nimirum mortuus est,inquit. Quãquam ea quidem ex aduerso,non paullo firmioribus argumentis subrui, videantur, desumptis tum ex tribus epistolis,quæ extant inter epistolas Ciceronis,lib.v.ad familiares,vltro citroque ab ijs scriptæ,tum vna præterea ad Atticum, quæ est nona inter lib. XI. epistolas,quos sanè locos omnes subtilissime obseruauit Iac. Gorscius noster,vir domestico studio, non multo minus,quam alij peregrina institutione,perpolitus. Nam locus quoque ex Philip. x. quem hic præterea in hoc genere videtur obseruasse, etsi Dioni,& Velleio historicis, repugnare videatur, ad confirmandam tamen Ciceronis bonam de Vatinio opinionem,prætermitti sane non debet. Viderint igitur alij, quid & quantum de illorum amicitia existimaturi sint. Nam in epistolis quidem ad famil. & Vatinius Ciceroni, supplicationis obtinendæ causa, & Cicero vicissim Vatinio, recuperandi Dionysij anagnostis fugitiui gratia,videri potest fuisse adulatus.epistola autem ad Atticum non magis Marco,quam Quincto Ciceronibus inuicem subiratis, amicum fuisse Vatinium ostendit. Imo vtriusque etiam fortassis inimicum,si forte Q. Ciceronis,proborum plenissima,epistola M.Ciceroni lecta, iras magis, & odia illorum accendere, quam mitigare voluit. Et in Philipp.x. quæ dicuntur, cum rei quidem gestæ veritatem

vix habeant, aut simulatæ, aut eo certe consilio, vt Bruto, cui tunc obsistere dicebatur, amicitior redderetur dicta esse videri possunt. Iocis autem rursus quoque in ipsum aut mutuæ amicitiæ fiducia, aut certe iratis adhuc, nec dum reconciliatis tēporibus, vsus fuisse Cicero existimari potest. Quæ nos quidem omnia non tam necessitatis alicuius causa, quam vt specimen duntaxat eiusmodi litterariæ concertationis nostræ interim ederemus, memoriamque nostræ cum Gorscio familiaritatis obiter hoc loco renouaremus, idcirco adsuenda in hoc loco nobis esse existimauimus. Cum enim nobiscum perpendimus, ea quæ scribit in oratione pro Gabinio, & item in epistola ad Appium lib. III. famil. de religione, & officio gratiæ reconciliatæ, magis sane in ea opinione ipsi quoq; sumus, ita illum, cum ipso etiam Vatinio in gratiam redijsse, vt se esse non modo virum bonum, sed etiam amicitię eius constanter studiosum, ad extremum declararit: præsertim cum illi ad eam rem a Q. Fratre, & ceteris stimuli assidue adderentur. Orationem quidem pro Vatinio quod attinet, eius sic meminit D. Hieronymus in apologia aduersus Rufinum sub finem, cum prius mentionem fecisset Ciceronis. Lege, inquit, pro Vatinio orationculam, & alias, vbi sodalitiorum mentio fit. Cum aūt orationculam appellat, nimirum innuit exiguā fuisse. Cum aūt, inquit, lege, significat, & a Cicerone editam fuisse, & suo tēpore extitisse. Cuius nos sanē verbī obseruationē libenter Io. ZAMOSCIO, adolescēti eruditissimo tribuimus, eidē videlicet, qui nobis auctor fuit, vt hāc orationem ex ordine orationū illarum exemptam, quarum pręter inscriptiones amplius nihil habemus, in illustriore aliquanto loco reponeremus, fragmēto ipsius, quod recitauimus, inter fragmenta ceterarum orationum, proxime ante Scaurianam, collocato.

Facio quiddam] Ex Ciceronis epistola ad Lentulum, lib. I. epistola, Periucundæ.

In Eunucho parasitus] Terent. act. III. scena. I.

In ora-

In orationẽ pro M. Aemilio Scauro.



IS fuisse defensum Scaurum a Cicerone reperio. Semel, cum ambitus accusatus esset, quæ oratio in commentarijs extitit: iterum, cum repetundarum, quod quidem in hac fuit oratione, teste Asconio. Totum, quod dixi, ostendit Quinctilianus lib. IIII. cap. I. ad finem. Ne quis apostrophen miretur, inquit, idem Cicero pro Scauro ambitus reo, quæ causa est in commentarijs (nam bis eũ defendit) prosopopeia loquentis pro reo vtitur, pro eodemque Scauro reo repetundarum, etiam exemplis. De vtraque locutus videtur Cicero lib. epistolarum III. ad Q. fratrem. Orationes efflagitatas pro Scauro & Plancio absolui. Et post. Scaurũ, inquit, beneficio defensionis valde obligaui. Etsi enim procliuius est de posteriore accipi, tamen ad defensionis beneficium accommodatius est de vtraque intelligi. Equidem hanc istam, præ manibus quam habemus, longam nimis extitisse non existimo, decem tamen folia, vt minimum, replere potuisse arbitror. Id ita esse, ex Asconio intelligi potest, qui partes orationis assignat, qui versus etiam ab initio, & ab extremo numerat. In ea autem oratione disputatum quoque fuisse ex quibus causis mors eueniat repentina, ex Marciano Capella videri potest, qui de quæstionib. agens, An aliud, inquit, in Scaurina succurrit, cum interposita disputatione tractatur, ex quibus causis mors eueniat repentina. Exercuit iudicium Cato prętor, vt ait Asconius, habitu aliquantum insolenti, nulla nimirum indutus tunica, sed prætexta duntaxat amictus, vt est apud Valerium Max. lib. III. cap. VI. vel, vt apud eundem Asconium, campestri sub toga cinctus: siue quòd æstate id ageretur, vt idem iste existimat, siue, vt ille, quod indicium id esset virtutis sumentis sibi aliquid licentiæ in consuetudine nouanda. Cui tamen rei aduersari videtur Asconius, qui scribit, non tam per licẽtiam vllam nouatum id fuisse a Catone, quàm ex veteri consuetudine repetitum, (ego enim pro, Repererat, legerem libentius, Repetierat) secundum quam videlicet consuetudinem viderat statuas, & Romuli in Capitolio, & in rostris Camilli: de quibus meminit etiam Plinius lib. XXXIV. cap. VI. nat. hist. Nisi fortè Va-

lerius nouari consuetudinem, pro renouari, id autem est veterem referri, accipi voluerit. Absolutum eo iudicio Scaurũ fuisse omnium ordinum sententia, Asconius indicat, nec minus Valerius Max. lib. VIII. cap. I. qui eum in profligata & planè desperata causa, tamen propter vetustissimam nobilitatem, & recentem maxime memoriam patris, esse scribit absolutum.

Qui leuare uultum.] Intelligo expolire a leui, quod contrarium est aspero. Cicero. Democriti corpuscula quædam leuia, alia aspera. Et idem. Deus mundum leuem fecit, & vndique æquabilem. Ex quo etiam speculorum leuitas est dicta a Cicerone. & ab alijs, auctoribus ipsum leuandi verbum eodem modo vsurpatum.

A *Q. Seruilio Cæpione, lege Seruilia.*] SERVILIA nõ quæ a se esset lata. (nulla enim ab eo lata fuisse videtur: cum sane alius hic sit Q. Seruilius Cæpio, ab illo, cuius antea lex iudiciaria, quam promulgabat, aut perlata non erat, quod multi opinantur, aut iudicia, verbo inter senatores & equites communicabat, re ad ipsos senatores transferebat) sed quæ postea a C. Seruilio Glaucia lata fuit: cuius legis capita sparsim a Cicerone tradita, vide in ea pro Balbo, in Bruto, & III. Verrina. Hic autem Q. Seruilius Cæpio, quem hoc loco Cicero nominat, is fuisse videtur, qui non, vt ille prior, senatui studeret, sed qui, vt ait Cicero in Bruto, nimis equestri ordini deditus a senatu dissideret, &, vt tradit Appianus, contra Drusum trib. plebis pro equitibus staret: quod ipsum est etiam a L. Floro lib. III. cap. XVII. adnotatum, haud scio an iam tum priore illo Cæpione in vinculis interfecto. Sed quoniam lex hæc Seruilia, cuius hoc loco Cicero meminit, illud inter cetera manifestò continebat, quod etiam hoc loco Cicero significat, vt iudicia penes equestrem ordinem essent, temperare mihi nõ potui, quin meam hoc loco sententiam de commutatis Romæ iudicum temporibus breuiter, quantum huic loco satis est, exponerem, omnia certius & fusius libro alio expositurus, quem de iudicibus Rom. deque eorum varietate ac mutatione inscripsi.

Sic igitur statuo. Ante legem C. Gracchi, senatores solos Romæ iudicasse. Post Gracchi autem legem, quam is primo suo tribunatu tulisse fertur, equites in potestate iudicia habuisse. Id quod quidem Metello & Flaminio coss. factum esse, etiam alij ostenderunt. Post id tempus anno ferè XVII. tulit Q. Seruilius

uilius Cæpio cos. vt iudicia inter vtrunque ordinem, quemadmodum diximus, verbo communicarentur, quod apud Obsequentem, & Cassiodorum scriptum est, re ad senatores transferrentur, quod non obscure a Tacito lib. XII. traditum, a Valerio lib. VI. cap. XI. etiam significatum est. Sed cum ea lex, vel accepta non esset, vel condemnato latore (de cuius damnatione vel ex epitome Liuij LXVII. constare potest) euanuisset. Seruilius Glaucia, isque adeo prætor tunc potius, vt ego existimo, quàm tribunus plebis, equitibus rursus iudicia restituit, Gracchique legem quasi veterascentem renouauit. Id quod mihi Cicero vniuersum memorabilibus illis verbis in Bruto, significare videtur inquiens. Longe post natos homines improbissimus C. Seruilius Glaucia, sed peracutus, & callidus, cum primisque ridiculus. Is ex summis, & fortunæ, & vitæ sordibus in prætura cos. factus esset, si rationem eius haberi licere iudicatum esset. Nam & plebem tenebat, & equestrem ordinem beneficio legis deuinxerat. Is prætor eodem die, inquit Cicero, quo Saturninus trib. plebis Mario & Flacco coss. publice est interfectus. Atq; hanc quidem ego legem esse arbitror, qua Scaurus noster a Cæpione reus est factus. Nam cum duæ essent iudiciariæ leges Seruiliæ, Cæpionis altera, altera Glauciæ: cumque de Cæpionis lege locus intelligi non posit, ex eo quod hic sermo sit de ea lege Seruilia, cum iudicia, vt inqnit Cicero, penes ordinem equestrem essent, id autem est, de ea lege, qua iudicia penes equestrem ordinem erant. Cæpionis autem lege non ad equites iudicia, sed ad senatores, vt ostēdimus, translata viderentur: relinquitur sanè, vt puto, necessario, de lege Seruilia quidem, sed non Seruilij Cæpionis, verū Seruilij Glaucię, accipiēdum locum esse. Glaucia est. n. non Cæpio, qui iudicia penes ordinem equestrem esse iussit, & languētem iam ac Cæpionis studio inclinatam Gracchi legem, denuo relatam excitauit. Sed de hoc hactenus. Huius deinde Glauciæ lex decēniū ferè, ad vsq; Rutilij dānationē, videtur durauisse: quo tēpore M. Liuius Drusus iudicia rursus inter senatores & equites communicauit, quod videtur anno ante bellum Italicum proximo, Cæsare & Philippo coss. extitisse. Testes eius rei sunt, Liuius primum lib. LXX. cuius epitome sic loquitur. P. Rutilius vir summæ innocentiæ, qui legatus Q. Mucij procos. a publicanorum iniuriis Asiam defenderat, inuisus equestri ordini, penes quem iudicia erant, repetundarum damnatus in exilium

lium missus est. senatus cum impotentiam equestris ordinis in iudicijs exercendis ferre nollet, omni vi niti cœpit, vt ad se iudicia transferrentur, sustinente causam M. Liuio Druso trib. pleb. & deinde epitome lib. LXXI. M. Liuius trib. pleb. legem iudicialem tulit, vt æqua parte iudicia penes senatum & equestrem ordinem essent. Testis eius rei & Florus, testis Appianus, testis Velleius: in quo recte cetera, nisi quod videtur a Graccho equites, sine vlla interpellatione, iudicia hucusque tenuisse sentire. Testis, & Pedianus hoc quidē in loco, cum scribit Scaurum M. Druso auctorem fuisse, vt iudicia commutaret. Commutaret, inquam, cū paullo ante, verba Ciceronis de lege Seruilia, Cum iudicia penes equestrem ordinem essent, explicans, eam legem a Seruilio Glaucia latam fuisse scripsisset. Qui mihi quidem locus iter veluti demonstrauit, ad constituendam hanc rationem mutationis iudiciorum, in qua nonnullos fluctuasse video. Videtur enim tunc Scaurus senatus princeps extitisse, vt tradit idem Pedianus in periodum insequentem. Atque hactenus quidem breuiter exposuimus iudiciorum per illa tempora iactationem, quatenus ad hunc illustrādum locum pertinere existimauimus. Plura, vt diximus, & verbis pluribus, alio libro persequemur, & quidem, vt opinamur, contra quam hactenus a plerisque disputatum fuit.

P. *Rutilio damnato, nemo tam innocens*] Nam Rutilium summę innocentiæ fuisse, proxime ex Liuiana epitome ostendimus. Ad quam opinionem, Mucij domum illi adolescenti profuisse, scribit lib. II. de officijs Cicero. Qui ipse in ea quidem in Pisonem, specimen eum appellat innocentiæ: in primo autem de oratore, exemplum innocentiæ: & in ea pro Postumo, documentum fuisse hominibus nostris ait, virtutis, antiquitatis, prudentiæ: pro Fonteio verò, inter viros optimos atque innocentissimos eum numerat: & extremo lib. III. de natura deorum cum viros numerare voluisset, quibus bonis male euenerit, hunc quidem etiam nominat, atque in exilium missum fuisse ait. Proinde Paterculus hunc ipsum non sui solum sæculi, sed omnis æui optimum, rectissime appellat, eundemque cum maximo ciuitatis gemitu damnatum esse ait. Quem quidē gemitum quod attinet, etsi Cicero lib. de orat. I. secus sentire videatur, ita scribens. P. inquit, Rutilius amissus est, dum causa ita dicitur, ut si in illa commentitia Platonis ciuitate res ageretur; nemo ingemuit,

muit, nemo inclamauit patronorum, nihil cuiquam doluit, nemo est quæstus, nemo rempub. implorauit, nemo supplicauit. Quid multa? pedem, inquit, nemo in illo iudicio supplosit. Tamen ijs quidem verbis a iudicio tantum, imò verius ab actione patronorum, gemitum abfuisse significat. a priuatorum ciuium dolore non significat. Omnino cũ innocentissimus in iudicium vocatus esset, cõuulsam penitus hoc iudicio fuisse rempub. scribit idem in Bruto.

Vexatus a Q. Vario tr. pl. est non multo ante] Sic lego ex ipso Asconio: quanquam illud, NON MVLTO ANTE, videndum, an non ad Asconij potius cõmentarium pertineat. Vt illud VEXATVS A Q. VARIO TRIB. PL. EST, sit Ciceronis. Illud autem. NON MVLTO ANTE ITALICO BELLO EXORTO, sit Asconij. Sæpe enim in Asconio male discerni Asconij verba a verbis Ciceronis, liquet, non ex ijs tantum orationibus, quarum fragmenta tantummodo retinemus, sed ex ijs etiam, quæ integræ supersunt. Ego vnum interra locum recitabo. Is est in. I II. Verr. sic. *Ad nobilitatem*] hoc est ad suos. Totum hoc per ironiam dicitur. Cum tamen ita distinguẽdum esset, *Ad nobilitatem, hoc est ad suos*] Totum hoc per ironiã dicitur. Illa enim Ciceronis verba sunt, hæc Asconij.

Si mehercle iudices pro L. Tubulo dicerem.] Hunc Tubulum inter sacrilegos & impios Cicero numerat lib. I. de natura deor. Quid de sacrilegis, inquit, quid de impiis perniciosisque dicemus?

Tubulus si Lucius vnquam
Si Lupus, aut Carbo, aut Neptuni filius,

vt ait Lucilius, putasset esse deos, tam periurus, aut tam impius fuisset? Vnde & lib. v. Finium. Cui Tubuli nomen odio nõ est? inquit.

Quæ quidem suspicio.] Hoc Sigonius fortassis e Seueriano retulit.

Aris, uxorem pellicatus dolore concitatam.] Sic reposui ex vetere Prisciano: cum antea ARINIS VXOREM PELLICATVS DOLO CONCITATAM, legeretur. Nam quod primam quidẽ vocem attinet, præter veterẽ, vt dico, scripturam, ipsa quoque Prisciani illius loci sentẽtia ita legendum esse euincit. Tractat enim eo loco Priscianus, nomina in hanc termi-

terminationem desinentia, qua est delphin, in is quoque termi nari, vt delphin & delphis. Eleusin & Eleusis. Et quidem sic, vt Græci scriptores terminatione, is, magis delectentur, nostri ter minatione, in. Hęc cum ita dixisset Priscianus, subdit. Quamuis, inquit, Cicero pro Scauro, is, etiam terminatione, Gręcis quam Latinis vsitatiore, vti maluerit, inquiens. CVM DARE NOLLET ARIS, CLAM &c. Et in eadem, inquit Priscianus, ARIS VXOREM PELLICATVS DOLORE CONCITATAM. Ex cuius ratione sententiæ, planè constat, ARIS nominatiuo casu, hoc quoque, vt superiore fragmento, legi oportere, sensu imperfecto, ad eum fortasßis modum perficiendo. ARIS, VXOREM PELLICATVS DOLORE CONCITATAM RELINQVERE NECESSE HABVIT. Quod autem deinde idem Priscianus lib. septimo genitiuum casum dum format, Arinis, ab Aris nominatiuo genitiuum, auctoritate Ciceronis comprobet, qui in eadem oratione, ARINIS VXOREM, dixerit, ea re quidem mihi sanè auctor fuit, vt id quoque fragmentum a superioribus diuersum, inter cetera reponerem. Videtur autem reliquis quæ de Arine sunt, esse præponendum, si quis modo hac sententia prolatum esse ab oratore existimare velit. Obiiciunt etiam aduersarii Arinis vxorem a Scauro corruptam extitisse.

Quem purpura.] Apud me pro, TENTAVIT, legitur, MVTAVIT.

Vos quoque de familia.] Descriptum est ex Marcellino, qui lib. XXII. ita scribit. Has monsttosas raritates in bestijs in ędilitate Scauri vidit Romanus populus primitus, patris illius Scauri, quem defendēs Tullius imperat Sardis, vt de familia nobili ipsi quoq; cum orbis terrarum auctoritate sentirent. Liquet autem fragmentum istius orationis esse, cum Sardos nominat, quorum prouinciam expilasse accusabatur Scaurus, hoc isto iudicio de repetundis. Hoc autem, vt opinor, illud est, quod Quinctilianus scribit lib. VI. cap. I. Ciceronem in hac oratione, Scauri maiorum merita diligenter prædicasse: quanquam & infra non desunt eiusdem rei indicia.

Domus tibi deerat.] Hæc verba, præter Ciceronē ipsum, quem locum citat Sigonius, etiam refert Quinctil. lib. IX. cap. II. & III. & Capella, vbi de figuris elocutionis, & Aquila in antitheto,

theto,& alii. Petr. Victorius scriptor varius & diligens in varijs suis lectionibus lib. xviii. cap. ix. putat in illo verbo. ALIENOS, quod statim sequitur, inesse vitium. Nam ego vtrunq; fragmentum in vnum coniungo.

Redimunt se.] Castoris hanc esse naturam, etiam Iuuenalis non dissimulauit in Satyra.

Eunuchum ipse facit, cupiens euadere
Qui se damno.
Testiculi.

Huius fragmēti ita meminit etiam Seruius in 1. Georg. Fibri, inquit, canes sunt Pontici, quorum testes apti sunt medicamentis, propter quod, ubi se quæri sentiunt, eos secant. De quibus Cicero: Redimunt se ea parte corporis, propter quam maximè petuntur. Apertius autem Isidorus lib. xii. cap. ii. Testatur enim ex Scauriana sumptum esse. Non possum autem hoc loco prætermittere, quæ scribit Plinius de elephantis lib. iix. cap. iii. in eandē propè sententiam. Circumuenti, inquit, elephanti a venantibus, primos constituunt, quibus dētes sunt minimi, postea fessi impactos arbori frangunt, prædaque se redimunt. Hæc Plinius. Quod nisi esset aperta Seruij, & Isidori sententia, de castoribus hic a Cicerone sermonem esse, dubitare sanè potuissemus, an non de elephantis hæc prolata fuissent. Nam, & apud Plinium, qui de elephantis loquitur, verbum est redimendi, idem illud quo hic Cicero vtitur.

Retineret, id quod] Gloriam videlicet, vt opinor, & existimationem iam inde a maioribus sibi relictam.

Pellitis testibus condonetur] Pelliti dicuntur ferarum pellibus amicti. Tunicas enim ex pelle olim extitisse, demonstrat Iulius Pollux lib. vii. cap. xv Hicque adeo eiusmodi habitus priscorum quōdam passim fuisse videtur hominum, illorum, quos Ennius Cascos, vocabulo Sabinę, vt sentit Varro, originis, appellat: quorum cum simplex in vniuersum ipsa vita esset, simplex etiam, & parabilis tam cibus, quam vestitus, extiterit necesse est. Equidem de pelliceis eorum vestibus scriptores tum sacri, tum prophani attestantur. Profani quidem, vt Lucretius, qui libro quincto, de priscis hominibus loquens, cum paullo ante dixisset.

Nec dum res igni scibant tractare, neque vti.
Pellibus.

Statim infert,

Inde casas postquam, ac pelles, ignemque pararunt,

Eiusq; rei rationem postea aliquanto exponit, inquiens.

Frigus enim nudos sine pellibus excruciabat.

Et concludit.

Tunc igitur pelles, nunc aurum, & purpura, curis,
Exercent hominum vitam, belloque fatigant.
Pellis enim cecidit vestis contempta ferinæ.
Quam reor inuidia tali tunc esse repertam,
Vt letum insidijs qui gessit, primus obiret,
Et tamen inter eos distractam sanguine multo
Disperijsse, neque instructam conuertere quisse.

Sic Lucretius. Idem Propertius, nota illa de antiquitate Romæ elegia, significat, inquiens.

Pellitos habuit rustica turba patres.

Et idem. Festus quoque lib. IX. his fere verbis. Pellibus, inquit, antiqui induebantur, ob id & noua nupta in pelle lanata solet considere. Et libro item. XIII. Hercules ob id quoque, inquit, pellem habere fingitur, vt, homines cultus antiqui, admoneantur. Ex sacris autem scriptoribus, qui id affirment, vnus nobis instar erit omniũ, Moses, qui in libro originum suarum, deum primis illis, à se primum factis ac formatis, hominibus, tunicas pelliceas fecisse, ijsque eos induisse scribit. Vnde postea factum est, vt quemadmodum quęque natio priscis illis adhuc hominibus ruditate ac simplicitate erat simillima, ita, victum cultumque eorum imitata, pellibus quoque pro indumentis vteretur. Equidem Tacitus quoque in libello de populis, & ritibus Germanię, vestitum eiusmodi Germanis attribuit, quod ipsum Cæsar quoque lib. VI. de bello Gallico scriptum reliquit, qui eos paruis rhenonum tegmentis vsos fuisse scribit. Itemq; Sauromatis vestitum eiusmodi attribuit lex XXV. D. Auro, & argento legato. Item Scythis Iustinus lib. II. Item Getulis Varro lib. II. de re rustica. cap. vltimo. et omnino Septentrionalibus omnibus Virgilius lib. III. Georg. vltra mediũ, dum inquit.

Hyperboreo septem subiecta Trioni
Gens effręna virum vicino tunditur Euro,
Et pecudum fuluis velantur corpora setis.

Et Ouidius ipse sæpe, dum suos Getas modo pellitos, modo hirsutos vocat. Postmodum hic habitus rusticis tantum, & lugenti-

gentibus,& omninò tenuioris fortunæ hominibus,erat relictus. De rusticis testatur Homerus lib. XIIII. Odyss. non vno in loco,& Propertius in dicta elegia dum inquit-

Verbera pellitus, setosa mouebat arator.

De lugentibus, tradit Festus eodem illo libro XIIII. qui diebus luctus lugentes omnes, in pellibus esse consueuisse scribit. De egentibus autem,ex illo Q. Aelij Tuberonis facto,cognosci potest,qui in epulo,quod tum Q. Maximus dabat Africani patrui nomine, lectulos punicanos, pellibus hœdinis strauit, & pro argēteis vasis Samia exposuit: quasi videlicet paupertatem suam repræsentare vellet; de quo,præter ceteros, scribit Valerius lib. VII. cap. V. & Cicero pro Muræna. Ex quibus quidem ad eum modum expositis rebus, pelliti sanè hoc loco dici viderentur,pro rudibus quibuscunque,& egentibus ac barbaris hominibus: nisi quod ego de Sardis ipsis proprie dictum fuisse existimo,quos pellitos appellat,propter mastrucam,peculiarem ipsorum vestem,quæ ex pellibus ferarum conficiebatur, vt adnotat Isidorus. Ergo pellitis testib. Sardis ipsis testib. intelligo. quos alioqui,cū de bello loquitur,mastrucatos,latrunculos vocat,in ea de prouincijs consularibus. Lego autem quoque pro, CONDONETVR,CONDEMNETVR. Quidam pellitos hoc loco frigidos, & subornatos intelligunt. Externorum sane hominum testimonium, & iusiurandi religione,et orationis ac sermonis auctoritate,suorum hominum testimonio, longe posthabuisse Romanos,indicant cum alia,tum ipsa etiā Ciceronis oratio pro M. Fonteio.

De grauissimo principatu patris] Principatum senatus intelligit, quod mihi quidem vox, CVRIA, visa est indicare. Erat enim Scauri huius pater, quem Cicero defendit, senatus princeps, quod superius etiā ex Asconio attigimus: & loci sunt qui demonstrēt,Sallustij primum in Iugurtha,deinde Plinij lib. II. cap. LIV. Valerij lib. IV. cap. IIII. postremo autem Ciceronis quoque ipsius. II. de orat. vbi de Norbani seditione. Est autem hoc loco principatus sic dictus quemadmodum tribunatus,aut consulatus, dignitas videlicet principis senatus: in qua quidem significatione, haud scio an locus prętera extet apud Ciceronem, vbi accipiatur: quemadmodum etiam iudicatus, Philipp. I. Quid? isti ordini iudicatus, inquit, lege Iulia non patebat? Nam apud Gellium quidem lib. XIV. cap. II. ad eun-

dem modum positum reperitur. Iuraui mihi non liquere, inquit, atque ita iudicatu illo solutus sum. Similiter centuriatus pro centurionis munere atq; officio, extat in orationibus pro lege Manilia, & in Pisonem. Et ędilatus apud Festum lib. I. pro ædilis munere, quem nunc ædilitatem dicimus. Et optionatus apud Catonem, in libro eiusdem Festi. XIIII. Est autem optionatus, optionis officium, id autem est eius, qui a decurione, aut centurione optatus est ad priuata ministeria, vt est apud eundem Festum, libro eodem, paullo superius. De optione autem ipso, vide etiam Nonium, quanquam loco non satis elimato.

Illo constituisse in templo] De æde castoris loquitur, vt etiam adnotauit Asconius, ab A. Postumio dictatore bello Latino vota, & ab eius filio. II viro dedicata. Liuius lib. II. Quod de Metello dicit, id & exponit satis Asconius, & significat praeterea Cicero ipse alibi Verr. III. Dubitamus, inquit, quid iste in hostium pręda molitus sit, qui manubias sibi tantas ex L. Metelli manubijs fecerit. Quo in loco vide etiam Pedianum. Sed scribit, & Plutarchus, quod huc propius quodammodo spectare videtur, Cæcilium hunc Metellum Floræ simulachro, pulchritudine insigni, hanc ædem exornauisse. Quod autem, inquit, IN VESTRO CONSPECTV, significat in foro fuisse ędem positam, vt idem ait, Verr. III. & Verrina. VII. in fine. Halic. & Appianus prope ędem Vestæ extructam fuisse significant.

Vniuerse] Ex Carisio lib. 2. de aduerbio in fine.

In orationem pro A. Gabinio.



VAE superius in explicatione orationis in Gabinium ex Quinctiliano adnotaui, ea in hunc locum translata, si non lucis, at copiæ saltē aliquid adferre possunt. Sed ea tamen, qui opus habuerit, commodissime ex eo loco petere poterit. equidem ex illis Quinctiliani verbis, in Gabinium prius Ciceronem dixisse, quàm pro Gabinio, cōstat: id quod ipsum hoc etiam fragmentum indicat, quod vnicum ex Hieronymo allatum est. Dion lib. XXXIX. extremo, existimat Gabinium L. Domitio Ap. Claudio coss. defensum esse, sed

de qua defensione loquatur, cum multarum rerum, & a multis factionibus postulatus fuerit, is demum expedire poterit, qui diligenter, quid M. Cicero, libro toto epistolarum tertio ad Q. Fratrem scripserit, attenderit. Scribit & Valer. lib. VIII. cap. I. de quodam Gabiniano iudicio. eum vide. Equidem nec accusatum nec defensum fuisse a se, in quodam iudicio, ipse Cicero indicat, scribens ad Q. Fratrem lib. III. epist. hoc pacto. De Gabinio, illum ego neque vrsi, neque leuaui. Mirum autem ni de hoc eodem iudicio loquatur, cuius meminit Valerius.

Perfidię assignari solet] Vnde Cicero ipse scribens ad Appium lib. epistolarum ad famil. III. post gratiam videlicet reconciliatam, ait se diligentiorem esse factum ad beneuolentiam declarandam. Vetere enim simultate stimulari, vt caueret, ne cui suspicionem fictę reconciliatę gratiæ daret. Et in ea pro Milone. Timuit, inquit, ne videretur infirmior fides reconciliatę gratiæ. Tum in ea pro Postumo, de eodē hoc isto Gabinio loquens. Nō patitur, inquit, mea fides grauius de Gabinio agere. Quem enim ex tantis inimicitijs receptum in gratiam summo studio defenderam, hunc afflictum violare non debeo. & ibidē non ita multo post. Mihi causa defendendi Gabinij fuit, reconciliatio gratiæ. Neque vero me pœnitet, mortales inimicitias, immortales amicitias habere.

In ea, quæ pertinent ad orationem pro Quinctio.



SVBIVNGERE deinceps visum fuit nonullarum orationum fragmenta, quæ extāt illæ quidem editæ cum impressis: sed quoniā imperfectæ editæ fuerunt, imperfectio hæc illarum fuit hac ratione subleuanda.

Turpis occultatio sui.] Sumptum ex Vlpiano in Pandectis lib. VII. §. Quid sit, sub titulo. Quibus ex cau. in poss. eatur. Quid sit autem, inquit Vlpianus, latitare, videamus. Latitare est, vt Cicero definit, turpis occultatio sui. Potest enim, & quæ ibi sequuntur. Equidem cū multo ante fragmentum in Vlpiano obseruassem, ad orationem certe pro Quinctio pertine-

re,

re,tum demum existimaui,cum Fr. Balduini,docti hominis, & diligentis,commentarium legerem de iurisprudẽtia Muciana. cum enim in oratione pro Quinctio eam edicti prætorij partẽ recitasset orator, QVI FRAVDATIONIS CAVSA LATITARIT, CVI HERES NON EXTABIT, QVI EXILII CAVSA SOLVM VERTERIT, verisimile esse videtur,eum,eodem in loco,verbum latitãdi exposuisse. Verum enimuero illam partem integrã non habemus.

In ea,quæ pertinent ad orationem pro M.Fonteio.



QVOD *illi uenenum esse arbitrabantur.*] QVOD potare videlicet dilutius. Meum exẽplar Marcellini, habet, QVO'D, graui accentu notatum . quod si recte est,videndum an legi possit, QVO'D ILLIC VENENVM ESSE ARBITRABVNTVR, hoc sensu. Galli merito potabunt dilutius, quia in vino meraco venenum inesse arbitrabuntur. Pertinet autem hoc,vt puto,ad ea,quæ de crimine vinario exciderunt ex hac oratione.

Mater tua dum uixit.] Haud scio,an aliunde quam ex oratione desumptum sit . Refert eo loco Quinctilianus lib..VI. cap. IIII. multos multorum , ipsiusque adeo Ciceronis iocos, quos omnes ex orationibus esse,nemo cõtenderit. Sed quoniam hęc sententia non minus orationi ipsi Ciceronis inseri potuit, quã illa orationi Hortensij inserta fuit, qua dixit, si Messalam iudices condemnassent, nihil sibi præter osculum nepotum superfuturum,age assentiamur hoc quoq; ex oratione esse : illud certe non addere non possumus,ad ænigmatis huius expositionẽ , quod infert ibidem Quinctilianus . Dicebantur, inquit, dum hæc vixit,infames feminæ ad eam conuenire solitæ , post mortem autem eius bona veniebant : vt illic, ludus, per translationem dictus sit,hic,magister, per ambiguitatem. Cum enim ludus, vt Asconius in diuin. scribere videtur , scholam honestam significet,hic de turpi conuenticulo dicitur,& cum alias magister doctorem & præceptorem significet,hic eum,qui in auctione bonis alicuius vendendis ita præerat,vt ei,qui plurimo liceretur,

retur, rem addiceret, vt est apud Theophilum in institutiones Iustiniani.

Frumenti maximus] Hoc ex Aquila descriptum. Meminit, & Capella eius fragmenti, vbi agit de figuris elocutionis: omissa perperam, vt videtur voce, frumenti. Respicere autem hoc videtur fragmentum ad idem illud, quod ita in eadem oratione prolatum extat ab eodẽ oratore. Magnos, inquit, equitatus ad ea bella, quæ tum in toto orbe terrarum a populo R. gerebantur, magnas pecunias ad eorum stipendium, maximum frumenti numerum ad Hispaniense bellum tolerandum imperauit.

In ea, quæ ad orationem de lege agraria pertinent.



DE LEGE agraria, quattuor, vt videtur, Cicero orationes scripsit. harum tres extant, & prima quidem, vt constat, abscisso capite: quo videntur hęc collecta fragmenta pertinere. Quartam desideramus, videlicet alteram ἐκ τῶν ἀποσπασματίων. de hoc sic Cicero lib. II. ad Att. Fuit mihi commodum curare, vt meæ quoque essent orationes, quæ consulares nominarẽtur, quarum vna est in senatu Kal. Ian. altera ad populum de lege agraria, &c. Sunt præterea duæ breues, quasi ἀποσπασμάτια legis agrariæ.

Prædam, manubias, sectionem] Præda, & manubiæ, quid sint, & quomodo differant, Gellius lib. XIII. cap. XXIII. demonstrat. Sectio autem a sectoribus est dicta, cuius nominis vis confiscationem significare videtur. Cæs. lib. II. bell. Gall. Sectionem eius oppidi vniuersam, inquit, Cæsar vendidit: & Tacitus, Reliquias sectionum Neronianarum nondum in fiscum conuersas reuocatis ab exilio concesit. Nostrum hunc tamen pręsentem locum quod attinet, eum sic citat Nonius dict. Manubiæ. Prædas, manubias sectiles, castra deniq; Cn. Pompeij sedente imperatore censores. Haud scio quam recte.

Veniet igitur] Citat Aquila in disiuncto, sed nomine auctoris, vt videtur, dissimulato. Legendum autem esse, SVB PRAECONE, non, vt erat, SVB PRAECONEM, etiam meus liber ostendit: qui in nonnullis alijs etiam discrepat.

In ea,

In ea, quæ pertinent ad orationem in Pisonem.




VIVS orationis nō habemus principium, desunt autem inde, vt ego ex Asconio colligere videor, versus plus minus centum. hæc lacuna aliqua ex parte repleri poterit, ijs quidem fragmentis, quę omnia ad initium pertinent.

Cum tibi tota cognatio in serraco.] Vide quæ adnotauit Ant. Augustinus in Festum in dict. SORACVM.

Neque enim hæc mea natura fert.] Fortaßis. NEQVE ENIM HOC.

Proxime Pompeium sedebam.] Diomedes lib. 1. vbi de præpositione, hæc citat ex Cicerone in Pisonem, cum ostendit, quo pacto præpositiones cum accusatiuo iunguntur. Cicero, inquit, in Pisonem, Proxime Pompeium sedebam. idem autem citat ibidem eundem Ciceronem in epistolis ad Att. eandem præpositionem prope, cum datiuo casu coniungentem. Quo in loco & si verba non referat, nihil tamen dubium est, quin sint illa ex epistola Vereor, lib. 1. Proximus Pompeio sedebam. Infra autem quæ verba adducit pro exemplo, Propius grammatico accesi, sunt Cornelij Nepotis de viris illustribus.

In commentariorum librum XIII.



I COMMENTARII quid sint, abunde declarauit Sigonius in fragmentum orationis pro A. Gabinio. eum vide.

Finis adnot. in Tomum I. Frag. Cicer.

ANDR. PATRICII STRICECONIS SCHOLIA

In Tomum Secundum FRAGMENTORVM M. TVLLII CICERONIS.





VMEREMVS hic quoque, si placet, titulos epistolarum Ciceronis. Pauperis enim esse aiunt, pecus numerare. Et certe ea fuit veterum in bonis libris euoluendis diligentia, vt non inscriptiones tantum illorum generales, sed versus etiam ipsos numerandos sibi esse existimarent. Indicio sunt & Plinius lib. xxx. cap. 1. qui Hermippi, & Galenus, in lib. Hippocratis de nat. humana, qui Hippocratis, & Laertius, qui Aristotelis, Theophrasti, ac aliorum, & Asconius, qui orationum Ciceronis, & Iustinianus adeò noster, qui veterum ipsarum legum versus studiosissime numerat. Scimus sanè epistolarum ad familiares extare libros xvj. & totidem ad Atticum, ad Brutum extat liber vnus, ad Q. Fratrem libri tres: reliqua titulis tantum & fragmentis, quasi lupum auribus, tenemus, sed teneamus tamen potius, quàm e manibus dimittamus, periculi in re nihil est, lucri autem etiam aliquantum. Sunt igitur Ciceronis epistolarum libri, quorum quidem Fragmenta habemus, hi

Ad Titinium.
Ad Cornelium Nepotem lib. duo, sed ex priore fragmenta desunt.
Ad C. Cæsarem lib. III.
Ad Cæs. Iuniorem lib. III.
Ad Pansam lib. III. sed secundi fragmentum nullum extat.

Ad Hirtium	lib. IX. sed fragmenta tantum II.
v. IX. habemus.	
Ad Brutum	lib. VIII. sed non omnium fragmenta extant.
Ad filium	lib. II.
Ad Caluum	
Ad Axium	
Ad Catonem	
Ad Cerelliam.	

Ad L. Plancum, ad ſingulos vt puto, lib. vnus.

De quibus omnibus deinceps dicemus ſi quid, erit, quod in tanta obſcuritate vetuſtatis in medium adferri poſsit, præſertim à properantibus ad alia. Scribit Suetonius in lib. de claris grammaticis, etiam ad Atticum Satrium quendam equ. Romanum extitiſſe Cic. epiſtolas. de hoc enim mihi potius, quàm de liberto ipſius Q. Cæcilio Epirota loqui videtur Suetonius. Sed ad alios quoque pleroſq; extitiſſe non dubito. Verum nos eos tantum numerauimus, ad quos fragmenta epiſtolarum vlla inveni re potuimus.

In epiſtolam ad Titinium.




TITINIVM hunc, virum fuiſſe eruditum, ſunt opera illius quæ teſtentur, quorum ſæpe meminit Nonius Marcellus, vt Veliterna, vt Gemina, vt Setina, vt Priuigna, vt Fullones, vt Prælium, vt cetera, quorum meminit tum Cariſius, tum Feſtus Pompeius. eundem enim eſſe illum cum eo, ad quem hæc ſcribuntur, mihi quidem ſit veriſimile. Feſtus quidem ipſe in ſuis antiquitatibus, vbi agit de Oſculana pugna, ſic ſcribit. Eius, inquit, rei meminit Titinius hoc modo. Hæc quidem quaſi Oſculana pugna eſt. & paullo ante, in dict. Oſcum, quem locum ſic lego. In omnibus fere, inquit, antiquis commẽtarijs ſcribitur Opſcum pro Oſco, vt Titinij fabula quinta. Qui Opſcè & Volſcè fabulantur: nam Latinè neſciunt. A quo etiam verba impudentia & elata appellantur Opſcena, quia &c. In vulgatis autem Feſti libris pro Opſcum, legitur Opicum, pro Opſce, Oſce. Cum tamen meam lectionem ipſa Obſce ni,

ni, vel (vt fortasſis olim ſcribebant antiqui) Opſceni appellatio confirmet, quanquam non deſint, quibus vulgata lectio magis placere videatur: quos tamen ipſos inconſtantia illorum redarguit: vt nobis ſanè adhuc a noſtro Opſco pro Opico, recedendi, nulla magnopere neceſsitas imponatur, præſertim Verrij auctoritate confirmatis, quæ extat apud eundem Feſtum in dict. Oſcos. Neque autem etiam nouum eſt litteram pro littera à librarijs eſſe repoſitam. Nam, vt de ijſdem potiſsimum, i & s litteris, alio etiã loco, quàm hic apud Feſtum in dictione Opicum pro Opſcum commutatis, agam: locus eſt apud Ciceronẽ II. leg. obſcurus, ſed antiquitatis pleniſsimus. Is vulgo ita legitur. Neque neceſſe eſt ediſſeri a nobis, quę finis funeſtæ familiæ, quod genus ſacrificij lare veruecibus fiat, quemadmodum os reiectum terræ obtegatur, & quæ ſequuntur. Cum ſit mea quidem ſententia legendum. quod genus ſacrificij Lari veruecibus fiat, quemadmodum os reſectum (non, vt erat, reiectum) terra obtegatur. Intelligit enim proculdubio Cicero idem illud, de quo ſic Feſtus Pompeius, Membrum abſcindi mortuo dicebatur, cum digitus eius decidebatur, ad quod ſeruatum iuſta fierent, reliquo corpore combuſto. ſunt autem, & quidem docti viri, qui pro reiectum, exceptum, & item alij, qui receptum, legere videantur, Varronem vt opinor, imitati. Sed non dubitaui tamen emendationem hanc meam, propius ad ſcripturam veterem accedentem, & Feſti quoque auctoritate innixam, hoc loco exponere earum rerum ſtudioſis. de qua aliquando copioſius loquemur, cum explicatione etiam illius ipſius antiquitatis, quę quidem illo verbo continetur. Nunc ad Titinium redeamus: quem certe fuiſſe, vt dixi, eruditum, præter cetera, etiam fragmentum ipſum, quod hic refertur, teſtimonio eſſe poteſt. ita enim perſcriptum eſt, vt eiuſmodi ſanè epiſtolæ, niſi ad doctum ipſum virum ſcriberetur, locus vix eſſe poſſet.

L. *Plotium quendam*] Seneca declam. II. Primus omnium Latinus Romæ Plotius fuit, puero Cicerone.

In epist. ad Cornelium Nepotem.



VNT, qui epistolarum ad Cornel. Nepotem libros XVI. numerant. cuius rei, quoniam nos quidem in hoc genere nihil affirmare possumus, penes illos fides esto. Certe Gell. lib. XV. cap. XXVIII. hunc Cornelium M. Ciceronis amicum familiaremq; , vt qui maxime, fuisse testatur, eundemq; de ipsius vita libros aliquot conscripsisse memorat. frequens ipsius in libris veterum mentio habetur, referre locos nihil necesse est.

Neque enim quidquam aliud] Desumptum ex Marcellini lib. XXI. Vbi mores Constantij & vitæ consuetudinem describit. Nam cum Marci principis verecundi, vt ipse ait, exemplum ad dissimilitudinem indicandam adduxisset, qui coniuratis vltro pepercerat, sic infert. Vt Tullius quoque docet, crudelitatis increpans Cæsarem in quadam ad nepotem epistola.

Neque enim quidquam aliud est felicitas, inquit, nisi, &c. Non dubitaui autem illa quoq; , Ergo in perditis impijsq; . &c. Ciceronis esse asserere, propter illa quæ dixerat Marcellinus, Cæsarem crudelitatis a Cicerone accusari in hac epistola. Quæ omnia Sigonium quoque editione posteriore agnoscere video, quanquam fragmentum ipsum inter incerta referat. Equidem de hac Cæsaris eiusmodi felicitate, ita idem iste Cicero in secunda in Antonium est locutus. Cæsar, inquit, Alexandria se recepit felix, vt sibi quidem videbatur, mea autem sententia, nisi qui reip. sit felix, felix esse nemo potest. Ex quo sunt illa quoq; ad Atticum lib. VII. ita scripta. O hominem amentem & miserum, qui ne umbram quidem unquam τῦ καλῦ viderit. Atq; hæc ait facere se dignitatis causa. Vbi est autem dignitas, nisi ubi honestas? num honestum igitur habere exercitum nullo publico consilio, occupare urbes ciuium, quo facilior sit aditus ad patriā. χρεῶν ἀποκοπὰς φυγάδων καθόδους, sexcenta alia scelera moliri, τὴν θεῶν μεγίστην ὡς ἔχειν τυραννίδα. Sibi habeat suam fortunā. Vnam me hercle tecum apricationem, in illo Lucretino tuo sole, malim, quàm omnia istiusmodi regna: vel potius mori millies, quàm semel illiusmodi quidquā cogitare. Quid? si tu uelis, inquis? Age quis est, cui uelle non liceat? sed ego hoc

hoc ipsum uelle miserius esse duco, quàm in crucem tolli. Vna res est ea miserior, adipisci quod ita uolueris. Hactenus Cicero. Scribit etiam idem Marcellinus lib. xxvi. initio. Tullium, quem ibi testem appellat reuerendum, in quadam ad Cornelium Nepotem epistola affirmare, quosdam veterum, formidantes ea, quæ scriptoribus historiæ suorum temporum solent sæpe fraudi esse atq; inuidiæ, cognitiones actuum variorum, stylis iam vberibus explicatas, non edidisse superstites. Sed Marcellinus Tullij hanc sententiã, cum verbis ipsius, vt mihi quidem videtur, non exprimeret, auctor nobis hoc quidem in loco idoneus esse non potuit fragmenti conformandi.

In epistol. ad C. Cæsarem.



VM CVM EA.] Bis citatum à Nonio, primum in verbo, Consequi; vbi etiam legitur, non, tum, sed, tunc: deinde in verbo Honor, vbi legitur. Tu. In hoc fragmento, induxi illud, quod erat ad finem adpositum per librarios, HONOR, GRATIA, ET PVLCHRITVDO. est enim manifeste non Ciceronis, sed Nonij, vim verbi, Honor, explicare incipientis.

Sed ego qua monumenti] Hoc fragmentum ego ad lib. II. epistolarum ad C. Cæs. putaui esse referendum, innixus vestigijs Nonianis. sic enim ille. Monumenti proprietatem a monendo M. Tullius exprimendam putauit ad Cæsarem epistolam II. id est, vt ego arbitror, epistolarum II. vt subaudiat librũ. Quod autem hic de monumenti vocabulo ait Cicero, sumptum etiam esse videtur ex libris iurisperitorum. Nam & Vlpianus. l. ij. D. relig. & sumptibus funerum. monumentum esse ait, quod memoriæ seruandæ gratiã existit. Et Florentinus l. Monumentum D. eodem. Monumentum generaliter appellat rem omnem memoriæ causa in posterum proditam. Qua de re vide etiam locum in lib. Aurelij Augustini de cura pro mortuis gerẽda. cap. iiij. & vide Festum dict. Monimentum lib. xj. Gellius quoque cum de Mausoli regis sepulchro, & Artemisia vxore loquitur, ita habet. Molita quoque est cõseruandæ mariti memoriæ causa sepulchrum illud memoratissimum, dignumque memorari inter septem omnium terrarum spectacula. Id monimentum

Artemisia &c. vide, ut dixi Gellium lib.x.cap. xiix.

Quæ si videres, non de exer.] Inest, vt puto, aliquid vitij, sed nos diuinare possumus, certi afferre nihil possumus.

Amici nonnulli] Meus Nonius dict. Contemno, sic habet ad extremum, AC PRO NIHILO HABERI SENATVS VOLVIT. Perperam: sed tamen adnotandum fuit. erit enim fortassis, qui leget, AC PRO NIHILO HABERI A SENATV VELINT.

In epist. ad Cæs. Iuniorem



SED *hæc viderimus*] Alias VIDEBIMVS.

Qui si me ad id beneficium accerseres] In Codice Hadriani Iunij manu scripto legitur ad hunc modum. QVI SI NIHIL AD ID BENEFICIVM ADDERES. Vide librum ipsius Animaduersorum.VI. cap. II.

In singulis tegulis.] Alias in singulas tegulas.

Sed quod uideret] Mart. Salogæ Nonius dict. Inuoluo, SED QVID VIDERET. Alibi, SED QVOD VIDEREM.

Itaque vereor.] Omnes ferè, quos vidi, libri Nonij dict. Ferox, sic habent. ITAQVE VEREOR NE FEROCI ORATIONEM FACIANT TVTAM PRAECLARA IVDICIA TELO. In FEROCIOREM, probo & amplector Sigonij emendationem. PRO TVTAM, legerem, legerem ipse, TVA TAM. Itaque vitium vnum sustulit Sigonius, alterum conatus est Patricius quis erit, qui tertium? quod residet in, TELO. Nam FEROCIOREM TELO, vix concoquet stomachus Ciceronianus, ni quis forte velit, IVDICIA DE EO. Hæc ita superiori adhuc editione ad eum locum adscripseram. Nunc totum hunc locum mihi cum libris Nonij conferenti, duo videantur esse obseruanda. Vnum, esse libros Nonij, in quibus totum hoc Fragmentum ita citatur, vt ex epist. ad Cæsarem ipsum, non ad Cæsarem iuniorem desumptum esse videatur. Alterum, adferri illud a Nonio, ad demonstrandum, quod ibi proposuit, ferocem aliquē dici illa, aut illa sicuti re, ut forma, aut uiribus ferocem; finiti genere, aut opibus arrogantem. Videndum igitur primū an locus fragmento recte sit assignatus, deinde an emendationis

dationes ipſius a me, & alijs propoſitę ſubſiſtere poſſint, cum hic uerbo ferocis, nullus eſſe aduiuntus eiuſmodi caſus uideatur, qualis eſt cum aliquem forma ferocem, aut uiribus ferocem dicimus. Id dico, ſi cui forte, item ut nobis, FEROCIOREM TELO, durius, ac penè ferocius dici uideatur. Alioqui, ſi lectionem IVDICIA DE EO, defendere uoluerimus, dicemus, quod quidem non inepte fortaſſis dici poteſt, ita hoc fragmentum a Nonio adductum eſſe, ut oſtendedere agendi modo prolatum eſſe, FACIANT FEROCIOREM TVA IVDICIA DE EO, quod aliter efferendum erat, fiat ferocior tuis de ſe iudicijs.

Sed ita locutus.] Hoc fragmentum indicat ipſe Nonius, dict. Inſulſus, ubi ſit reponendū: nempe ad Cæſ. iuniorem epiſt. 11. Intelligo autē hic quoq; librum, non epiſtolā, ut proxime ante.

Bellum, ut mea opinio fert, & conſenſu] Lego, EX CONSENSV: quanquam omnibus, quos uiderim, libris repugnantibus in Non. dict. Confectum. niſi forte imperfecta eſt periodus.

Cum conſtet.] De hoc fragmento uide cap. 1. li. xiiij. var. lect. Victorij. quidam Nonij habent, Qui autem poterat.


Adeſt Alba.] Libri, quos uidi, Nonij, dict. Deijcere, ſic habent, ADEST ALBA NESCIO CVIVS CLODII, QVAM CVM RESTITVI MISISSET, ANCONE CVM EO DEIECTVM ESSET EX SENATVSCONSVLTO. Alicubi legitur etiam ſic, ADEST ALBA NESCIO CVIVS CLODII, QVAM CVM RESTITVI IVSSISSENT, ANCONE CVM EO DEIECTA EST EX SENATVSCONSVLTO.

In his potius aduerſum] Sic & quo utor Nonius dict. Secundum. ego de mendo ſuſpicor. legerem. NI HIS POTIVS, vel, NISI POTIVS, vel, NIMIS POTIVS. Nam, IMMO POTIVS, longius recedit a ſcripturæ veſtigijs.

Ego autem antiquiſsimum] Hadr. Iunius, ex cuius manuſcripto Nonio hæc deſumpta ſunt, putat ea de Anacharſi Schyta Philoſopho dici, qui præ tranquillitate animi omnia uidetur poſt habuiſſe. Vide librum Animaduerſorum eius vj. cap. ij. Nam in uulgo quidem excuſis Nonijs hæc deſunt. Vide dictionem Antiquus in Nonio.

In

In epist. ad Pansam.



E ANTIOCHO, *fecisti.*] Quidam Nonij habent, ANNIO. quidam, ANTIO. Sed praeter Nonium citat etiam Prisc. lib. xv. quanquam non totum hoc fragmentum. habet enim id solum. De Antiocho fecisti humaniter. & quidem pro, ANNIO, vel, ANTIO, ANTIOCHO. videlicet ad eam lectionem scriptura illa in quibusdam Nonijs accedente, vbi legitur ANTIO. nam ego Prisciani lectionem magis probo.

In epist. ad Hirtium.



EFENDES *meum intolerabile.*] Vidi in Nonio Andr. Praerembij plane eodem modo. Salogae autem liber, & alij habent, MECVM INTOLERABILE. vtrobique, nisi ironia est, legendum censeo pro, INTOLERABILE, ID TOLERABILE, praecessit enim, MEDIOCRITER LAPSVS. MEVM, autem etiam, quàm, MECVM, lego libentius.


Dicis quasi istuc intereat nescio, nisi tamen erat mihi iucundum seuerius. ne qui casum perimeret superioris.] Omnes Nonij, quos viderim, eodem modo legunt. Ego tamen, cùm in hunc locum primùm incidissem, corruptumq; esse proculdubio sentirē, eam euestigio ceperam coniecturā, vt videndum esse existimarem, an ad talem aliquem modum legi posit. DICIS CAVSA ISTVC INTERERAT, NESCIO, NISI TAMEN ERAT MIHI IVCVNDVM. Sic enim penè Varronem quoque lib. vi. de ling. Lat. locutum esse memineram: vt quidem habent libri emendati. Nihil intererat, cui imperaret, cum dicis causa quaedam fiebant. Est autem dicis causa, quod alioqui Cęsar in commentarijs loquitur, per speciem, per simulationem. Quam quidem coniecturam cum ad Sigonium more meo, & bona ipsius venia Patauio Venetias perscripsissem, videbatur sanè non vehementer aspernari, sicut ipsius ad me

missa

missa epistola attestatur. Paullus Manutius, vir admirabili doctrina,& maiore ingenio,dum de hoc loco Pataujj familiariter colloquimur,in hanc lectionē propendebat. DICIS. QVID QVAESO ISTVC INTERAT. Sic ille. Sed neutrum, vt opinor, magnopere firmum. Omnino, res mea quidem sententia,sine ope meliorum librorū expediri vix potest. Sed quoniam tamen aliquid temporis huic quidem restituendo fragmento impertiti sumus, narrabo ferè omnia,vt quodq; in mentem veniebat,si quis fortè erit,qui de ijs diutius cogitare sustinuerit.Primùm autem quasi certissime statuo, INTEREAT, & non INTERERAT, legendum esse, tum,quia infra quoque perimendi verbo vtitur, huc respiciens, Tum quia hæc a Nonio,in verbo Interfici & Occidi, cum de inanimatis dicitur, referuntur: vbi illud quoque Sallustij ex libro histor. secundo recitatur. Multiq; commeatus interierant insidijs latronum. & illud item Lucilij. Intereunt, labuntur, euntur omnia versum. Eaq; etiam causa est, cur, ISTVC, & non ISTIC (vti mihi quoque inter cetera legendum videbatur) legendum esse putem. Tentemus iam nunc reliqua. Satin' est? DICIS. QVID, SI ISTVC INTEREAT? NESCIO: NISI TAMEN ERAT MIHI IVCVNDVM, SED VERITVS, NE, QVI CAESVM PERIMERET, SVPERIOR IS. Satin' est inquam? Hic mihi aliquis, tanquam Geta quispiam in comœdia, respondet, Garris. Nunc igitur contemplamini. hem satin' sic est? DICIS, QVID SI ISTVC INTEREAT? NESCIO: NISI TAMEN ERIT MIHI VIDENDVM, SEV VERIVS VERENDVM, NE QVI, & q. s. Non. respondet Geta. Quid igitur si sic? DICIS, QVID SI ISTVC INTEREAT? NESCIO: NISI TAMEN ERIT MIHI NITENDVM SEVERIVS, NE QVI &c. Propemodum. inquit Geta, Quid? nunquam ne ego peruenjam,vt optatum illud respondeat. Sat est? Sat est, respondet Geta. Nimirum nos ab inquirendo iubet desistere, qui nihil proficimus.

Luta & limum aggerebant] Inueni apud Non.eundem,dictione Lutum. Is epistol. ad Hirtium Ciceronis nominat,sed quoto ex libro desumpserit, non memorat.

In epist. ad Brutum.



QVID in ijs ad Brutum epistolis effecerit Sigonius, & quàm egregiam operam nauauerit, res ipsa indicat, cum aliis quidem, ante Sigonium editis, collata libris. Sunt, qui Ciceronis epistolas esse negent. Sed ego, cum rei ipsi pro se loquenti, tum Manutio idem quoque affirmanti plus tribuo in hoc genere, quàm omnino cuiquam hominum, quos tamen ipsos nec multos, nec vehementer oportet esse eruditos, qui in his epistolis Ciceronem non agnoscant. Coniungantur hæ potius epistolæ cum alijs, sicuti & res ipsa requirit, & iter commonstrat Sigonius. Obseruandum autem, eum epistolarum librum, qui nunc etiam extat inter impressos ad Brutum, primum nominari à Nonio in differentia inter Amare, & Diligere.

Iampridem rem recuperassemus.] Quid? si, REMP. RECVPERASSEMVS. Nam in fine eiusdem epistolæ, recuperandam remp. dicit.

Meum quidem animum in aciem esse] Paullus Manutius in familiaribus sermonibus sæpe solet earum epistolarum maiestatem prædicare. de huius quidem locutionis genere existimabat, dictum videri eclypticῶs, vt subaudiatur, intentum. Ego veterem potius locutionem agnosco, qua etiam vsus est in III. de legibus idem Cicero. Minores, inquit, magistratus periti iuris plures in prælia suuto. pro, in prælijs, in acie. Sic illud in orat. pro Quinctio. Res esse in vadimonium cœpit. Et illud Terentij Eunucho. Videt me esse in tantum honorem. Et alia alibi. Plura de hoc loquendi genere vide apud Gell. lib. I. cap. VII. & nonnihil lib. XVII. cap. II.

Altera quæ magis est necessaria, neque exercitui meo magis quàm reliquorum] In Sigoniano legitur. ALTERA QVAE MAGIS, QVAM RELIQVORVM. Sed ego quod reposui, id ex meo exemplari Caroli Stephani desumpsi. Quod tamen sic etiam quiddam habet imperfectum. Subaudiendum fortassis, VIX POTEST: si modo non est reponendum.

Accepi Kal. Apr. Dyrrhachio datas vesperi] Non datas vesperi, sed accepi vesperi. idcirco subdistinxi, DATAS, VESPERI.

Tu omnia ad pacem, quæ oratione confici non poterant] Lego NON POTERAT: vt ad pacem potius, quàm ad omnia referatur. Sic enim infra. Pacem ipsam bello atque armis effici posse arbitrabar. Et paullò antè. Ad libertatem, quę sine pace nulla est.

Itaque res in eum locum venerat, vt nisi Cæs. Octauiano &c. in potestatem p. h. & Imp. M. Ant. veniendum fuit.] FVERIT, legit Paullus Manutius. sic in meo libro, suo chirographo adnotauit.

Sextius causę non defuit. Post mecum, quanto suum filium] SEXTIVS CAVSAE NON DEFVIT POST ME: CVM, QVANTO SVVM FILIVM, QVANTO MEVM IN PERICVLO FVTVRVM DICERET, SI CONTRA PROCOS. ARMA TVLISSENT. legit idem Paullus Manutius, & manu etiam ad hunc modum adscribit sua in libro meo. Ingeniose, vt solet: nisi si cui illa locutio durior videretur, QVANTO SVVM FILIVM, & quæ sequuntur. Locus tamen emendari, leuiore mutatione, melius, mea sententia, non potuit.

Nisi vtrum simus nec'ne, cui parcimus, aut quid agimus.] Lego. NEC'NE. CVI PARCIMVS? AVT QVID AGIMVS?

Vestigium nostrum.] Genitiuus multitudinis ab Ego.

Sic igitur facies.] Bis citatur à Nonio. tum in differentia inter Amare & Diligere, plane vt hic, tum in significatione vocabuli Contentus, hoc modo. Et me aut amabis, aut, quod contenti sumus, diliges.

Nam eloquentiam] Haud scio an extet alibi, & quidem fortassis in oratore ad Brutum.

E T *eum amorem.*] Quinct. lib. VIII. cap. III. legit simpliciter, EVM AMOREM.

Ego cum in gratiam.] Quinct. lib. IX. cap. III.

Sermo nullus, scilicet nisi de te] Quinct. lib. & capite eodem. Videndum an hoc, scilicet nisi de te, expungi debeat. Est enim, vt puto Quinctiliani, Synecdochen in his verbis explicantis. Locus Quinctiliani sic habet, Quæ per detractionem fiunt figuræ, breuitatis nouitatisq; maxime gratia petuntur, quarum vna est ea, quam libro proximo in figuris distuli, Synecdoche, cum subtractum verbum aliquod satis ex ceteris intel-

ligitur, vt Cœlius in Antonium: Stupere gaudio Græcus. Subaudītur, cœpit. Cicero ad Brutum: Sermo nullus scilicet, nisi de te. Quid enim &c.


Præstat enim] Quinct. loco eodem. Videntur autem Bruti esse, non Ciceronis. nam Quinctilianus aperte sic. In prosapodosi. aliquando singulis statim membris ratio subijcitur, vt apud Antonium. Sed neque &c. Aut positis duobus, vel tribus, eodem ordine singulis continua redditur. quale apud Brutum de dictatura Cn. Pompeij. Præstat enim &c. Quod si hæc expungenda non sunt, illa profecto ad fragmentum addi debēt, quę apud Quinct. sequuntur. SINE ILLO ENIM HONESTE VIVERE LICET, CVM HOC VIVENDI NVLLA CONDITIO EST. Respicit enim ad membra proposita.

Sim'ne bonus uir] Sumptum ex Quinct. lib. III. cap. X. Aliquando, inquit ille, bonis suadentur parum decora, dantur parum bonis consilia, in quibus ipsorum, qui consulunt, spectatur vtilitas. M. Cicero ista scribit ad Brutum. Sim'ne bonus, &c.

Populo imposuimus] Hoc ex eodem Quinct. lib. VIII. cap. VI. Maxime in orando valebit numerorum illa libertas. Cicero ad Brutum: Populo imposuimus, & oratores visi sumus: cum de se tantum loqueretur.

Res inuisæ] Ex eodem Quinct. lib. IX. cap. IIII. Videndū, inquit, ne syllabæ verbi prioris vltimæ, sint primæ sequentis: id ne quis præcipi miretur, Ciceroni in epistolis excidit. Res mihi inuisæ visæ sint Brute: vbi cum Brutum alloquitur, satis indicat quo referri fragmentum oporteat.

In epistolam ad M. filium.



VARE *effice & elabora vt excelleas*] Verbum excello, vt scribit Diomedes lib. I. duas habebat coniugationes, secundam videlicet, & tertiam. de tertia exempla profert ex Cicerone. nec valde opus erat. nam nunc ita quoque vtimur. De secunda, ille ex Aemilio Macro, nos hoc habeamus ex Cicerone, quod citat Priscianus. Effice & elabora, vt excelleas. Hoc aūt ex eo genere est, quod in præfatione lib. II. offi-

officiorum ſcribit ad eundem filium. Multa, inquit, ſæpe ad te cohortandi gratia ſcripſimus.

Ceteris delitus] Alibi eſt, CERIS. non abſurde, vt ad eas ceras reſpiciat, in quibus ſcribere ſolebant. Sed, vt, vt eſt, ego, DELITIS quàm DELITVS, mallè. CETERIS DELITIS, vel CERIS DELITIS. Delitis autem etiam antique pro, deletis, vt infra in epiſtola ad Caluum, & IIII. Verr. Ex qua tantum tectorium vetus delitum ſit.

Philoſophiæ quidem] Ex Lactantio ſumptum. qui lib. III. cap. XIIII. ſcribit. At quàm confeſſus fueris Cicero philoſophiæ veritatem, docent ad filium compoſita præcepta: quibus mones, philoſophiæ quidem præcepta noſcenda, viuendum autem ciuiliter. Sunt igitur profecto ex epiſtolis ad filium, nam in officijs non reperio.

In epiſt. ad Licinium Caluum.



CALVO huic Quinctilianus iudicium tribuit lib. x. cap. I. ſub finem, & quidem tantum, vt libro deinceps XII. cap. I. ſcribat compoſitionem Ciceronis, etiam apud ipſum, eum reprehendiſſe. quod notat etiam Tacitus in lib. de oratoribus, & Seneca in declamationibus. De eo tamen ipſo, quod viciſsim Ciceronis iudicium fuerit, ex Bruto ipſius cognoſci, intelligiq; poteſt. Quo quidem in loco ita legitur: Caluus orator, cum fuiſſet litteris eruditior, quam Curio, tum etiam accuratius quoddam dicendi & exquiſitius afferebat genus. quod quanquam ſcienter eleganterq; tractabat, nimium tamen inquirens in ſe, atq; ipſe ſeſe obſeruans, metuensq; ne vitioſum colligeret, etiam verum ſanguinem deperdebat. Itaque eius oratio nimia religione attenuata, doctis & attente audientibus erat illuſtris, a multitudine autem & foro, cui nata eloquentia eſt, deuorabatur. Agere is cœpit cauſas etiam ante ætatem quæſtoriam, vt ſcribit Quinctil. lib. XII. cap. VI. in initio. Nobilis eius fuit actio in Vatinium, vt ex Taciti dialogo de Orator. videre eſt. de qua eſt etiam illud Catulli.

Riſi neſcio quem modo in corona,
Qui, cum mirifice Vatiniana

Meus

Mea crimina Caluus explicasset,
Admirans ait hæc, manusq; tollens,
Dij magni salicippium disertum.

Eius orationis fragmenta quædam vide apud Quinct. lib. VI. cap. I. Factum, inquit Caluus, ambitum scitis omnes, & hoc vos scire omnes sciunt. Item lib. IX. cap. II. Perfrica frontem, & dic te digniorem qui Prętor fieres quàm Catonem. Item apud Aquilam in Climace. Non ergo pecuniarum magis repetundarum quàm maiestatis, neque maiestatis magis quàm Plautiæ legis, neque Plautiæ legis magis quàm ambitus, neque ambitus magis quàm omnium legum omnia iudicia perierunt. Certe libro XII. cap. X. sanctitatem huic Oratori idem Quinctilianus tribuit.

In epist. ad Catonem.




E HAC inscriptione epistolarum ad Catonem, mentionem fieri video apud Nonium in differentia inter Plus & Multum. Liber'ne autem fuerit epistolarum ad Catonem, an verò epistolæ aliquot, inter alias, hoc tempore non moror. Certe fragmentum hoc in ijs tribus epistolis, quæ libro XV. epistolarum ad famil. scriptarum extant ad Catonem scriptę, non reperitur, præterea autem nullam ad Catonem epistolam inuenio.

Quòd plus desiderarint.] Inuenitur apud Nonium. quidam locum corrigunt, & pro PLVS, PLVRES legunt. Ego, dum sententiã Nonij intueor, mallem pro MVLTI, MVLTVM, legere, quàm pro PLVS, PLVRES. sic enim Nonius. plus a multo M. Tullius discreuit epistola ad Catonem. Nec idcirco, &c.

In

In epist. ad Cerelliam.



ANC fuisse nimis familiarem Ciceroni, obiicit Calenus apud Dionem, lib. XLVI. Meminit de hac ad Att. lib. XII. & XIII. Eam commendat Seruilio Achaię procos. lib. XIII. epistolarum ad familiares. De his autem ad Cerelliam, ita scribit Ausonius in fine Eidyliorum. Meminerint eruditi, probatissimo viro Plinio in poematis lasciuiam, in moribus constitisse censuram, prurire opusculum Sulpicij, ac frontem capere: esse Apuleium in vita philosophum, in epigrammatis amatorem, in præceptis omnibus extare seueritatem, in epistol. ad Cerelliam subesse petulantiam. Hactenus Ausonius. Puto autem quoque in hoc loco ipsius addendum esse alicubi verbum, CICERONIS, aut, TVLLIANIS, aut aliquid eiusmodi, sic. in præceptis omnibus Ciceronis. vel in præceptis omnibus Tullianis. Vel etiam simpliciter. In præceptis Ciceronis. vel, in præceptis Tullianis, absque, omnibus. Supra autem quoque pro, frontem capere, lego, frontem caperare. Sic enim idem in epistola ad Symmachum Gryphi dedicatoria. Neque me fallit, inquit, fore aliquem, qui hunc iocum nostrum, acutis naribus, & fronte caperata, condemnet.

Hoc aut animo] Sumptum ex Quinct. lib. VI. ca. IIII. Etiam illud, inquit, quod Cicero Cerelliæ scripsit, reddens rationem, cur illa C. Cæsaris tempora tam patienter toleraret. Hęc aut animo &c. Stomachus enim inquit: habet illic aliquid ioco simile. Animo Catonis, qui se interfecit, stomacho Ciceronis, qui tempori seruiuit.

In epist. ad L. Plancum.



AM *neque deesse.*] Relatū ex Gellio lib. I. cap. XXII. Sūt autem eadem pene verba Asinij Pollionis lib. X. fam. ad finē, sicut citat ipse quoque Gellius. Notandum autem ibidem ex Gellio, librum fuisse epistolarum ad hunc L. Plancum. Quanquàm ego quidem eum locum cum aliis locis conferens, haud magnopere firmam coniecturam ca

pi

pi inde posse existimo ad affirmandum, librum singularem extitisse. Nam & Gellius idem iste libro XII. cap. XIII. referens verba Ciceronis ex epistola ad Sulpicium, ex libro se ea ad Sulpicium referre scribit: quæ tamen, vt nunc sunt quidem digestæ epistolæ, non in libro, qui ab aliis distinctus sit, reperiuntur, sed in ipso lib. IIII. earum, quę ad familiares inscribuntur. Sed nimirum perturbata quadam & nimis confusa ratione omnes hæ ad familiares epistolæ coaceruatæ in vnum, & temere coagmentatæ fuerunt: quod res ipsa satis declarat, nec temporum rationi congruens, nec argumenti similitudine conueniens, nec locis, aut personis denique ipsis adhęrescens. vt ego sanè existimem, post eorum hominum industriam, qui rationem ipsam temporum intuentes, aliquem in his epistolis ordinē instituere sunt conati, appositissime esse quempiam facturum, & ad veterem grammaticorum rationem accommodatissime, qui eos libros epistolarum, personis ipsis, quoad eius maxime fieri posset, distributos & distinctos, in vulgus proponeret, quod ipsum iam etiam a quibusdam tentatum esse video.

In epist. incertas Ciceronis.



ATA *Lupercalibus*] Quinct. lib. IX. cap. III. de eadem illa Synecdoche loquens, de qua supra, in frag. Sermo nullus. Ne ego quidem, inquit, illud aposiepesim semper voco, in quo res quæcunque relinquitur intelligenda, vt ea quæ in epistolis Cic. Data Lupercalibus, quo die Antonius Cæsari. Nihil obticuit, inquit, lusitque, quia nihil aliud hic intelligi poterat, quàm hoc, diadema imposuit.


Ne vlli sunt pedes] Etiam hoc ex Quinctil. decerptum, qui lib. VI. cap. IIII. Facetum inquit, non tantum circa ridicula opinor consistere: decoris hanc magis, & excultæ cuiusdam elegantiæ appellationem puto. Ideoq; in epistolis Cicero hæc Bruti refert verba. Ne vlli sunt pedes faceti, ac deliciis ingredientes mollius. Legendum aũt fortassis. NEC VLLI SVNT PEDES FAC. AC DELICIIS INGREDIENTES MOLLIVS: vel, NE VLLI SINT, vel DELICIIS INGRDIENTES MOLLIBVS.


Finis adnot. in Tomum II. Frag. Cic.

ANDR. PATRICII STRICECONIS SCHOLIA

In Tomum Tertium

FRAGMENTORVM M. TVLLII CICERONIS.





ICVT in primo orationum, & secundo epistolarum tomis explicandis ostendimus initio, omnium, quas modo reperire potuimus, & orationum & epistolarum inscriptiones, earũ quidem, quę in vulgatis Ciceronis libris minime continentur, ita in hoc quoque tertio, in quem philosophica inclusimus, faciemus: vt appareat nihil esse pene a Cicerone in philosophia scriptum: cuius ad nos, si non corpus ipsum totum, at pars saltem aliqua & membrum corporis non peruenerit. Ac quæ olim quidem edita, & per orbem typis æneis disseminata sunt, Ciceronis philosophica volumina, numerare, item vt de alijs voluminibus alibi fecimus, hoc tempore omittamus. lippis enim sunt, vt aiunt, & tonsoribus cognita. alia numeremus, quę hac nostra ætate e tenebris eruta in honorem adduxit, honoratissimus vir ipse, Carolus Sigonius Mutinensis, quæ've nos etiam ipsi post eum potuimus indagare. Ea sunt.

Oeconomicus e Xenophonte	
Protagoras, ex Platone conuersus	
De republica	lib.VI.
De iure ciuili	lib.
De augurijs	lib.
Hortensius vel de philosophia	
Laus M. Catonis	
De gloria	lib.II.
De consolatione	

De suis consilijs
De virtutibus
De notis
Chirographia
De vita beata: & fortassis etiam,
De synonimis.

De quibus omnibus, ex ordine nos agemus: nisi quòd de libris duobus postremum nominatis, quia res breuiter expediri potest, nec rationem hábet, cur in alium locum differatur, hic, si quid est quod dici posit, dicendum necessario est.

Itaque libri quidē de vita beata, Beatus ipse Rhenanus in quadam epistola meminit, quæ est præposita libris eius de rebus Germanicis, scripta ab ipso ad amicum quendam. A quo sanè & hunc librum, & de gloria, & orationes prætereà quasdam, ex earum numero, quę non extant, petit. Nobis autem eius libri desiderium aliqua interim ex parte lenire potest quinctus Tusculanarum quæstionum, qui in eo quidem totus cōsumitur, virtutem omnia posse ad bene beateq; viuendum.

De synominis libellus, vt vere dicam quod sentio, mentiri mihi sanè videtur Ciceronis nomen. Circumfertur is cum epistolio Ciceronis, si dijs placet, ad L. Veturium nescio quem. De quo viderint ij qui eum ita inscripserunt. Ego inter reliquos hoc loco numerandum esse existimaui, videlicet vulgo conceptum filium, inter tot legitimos misere vexatos & squalidos ac sordidatos.

In Oeconomicum, ex Xenophonte.



DE HAC libri huius cōuersione, ita Quinct. lib. x. cap. v. Vertere Grçca in Latinum veteres nostri oratores optimum iudicabant. Id se L. Crassus in illis Cicer. de orat. libris, dicit factitasse. id Cicero sua ipse persona frequentissime præcipit, quin etiam libros Platonis, atq; Xenophontis edidit hoc genere translatos. Sic Quinct. Hieronymus autem in epistola ad Pammachium de optimo genere interpretandi. Ego non solum fateor, sed libera voce profiteor, me in interpretatione Græcorum, absque scripturis sanctis, vbi & ver-

& verborum ordo, & mysterium est, nō verbum e verbo, sed sensum exprimere de sensu. Habeoq; huius rei magistrum Tulliū, qui Protagoram Platonis, & Oeconomicum Xenophontis, & Aeschinis ac Demosthenis duas contra se orationes pulcherrimas transtulit. Quanta in illis prætermiserit, quanta addiderit, quanta mutauerit, vt proprietates alterius linguæ suis proprietatibus explicaret, non est huius temporis dicere. Ad hunc sanè librum pertinere existimo, quod ita scribit Plinius lib. XVIII. cap. XXV. Sementibus tempora plerique præsumunt, & ab XI. die autumnalis æquinoctij fruges serunt, adueniente Coronæ exortu, continuis diebus certo prope imbrium promisso. Xenophon non ante quàm deus signum dederit. Hoc Cicero Nouembris imbre fieri interpretatus est. cum sit vera ratio non prius serendi, quàm folia cœperint decidere. Hoc ipso Vergiliarum occasu fieri putant. Aliqui ad III. idus Nouēbris, vt diximus, seruant, quoniam &c. Quanquam hic etiam, Serunt, pro, Seruāt, legere libentius. Verba Xenophōtis Oeconomico hęc sunt. περί γε μέν τοι τοῦ σπόρου ὁρᾷς. ἄλλο τι ἔφη ὦ Σώκρατες γινώσκεις, ἤ τὴν ὥραν σπείρειν, ἧς πάντες μὲν οἱ πρόσθεν ἄνθρωποι πεῖραν λαβόντες, πάντες δὲ οἱ νῦν λαμβάνοντες ἐγνώκασι κρατίστην εἶναι, ἐπειδὰν γὰρ ὁ μετοπωρινὸς χρόνος ἔλθη, πάντες που οἱ ἄνθρωποι πρὸς τὸν θεὸν ἀποβλέπουσιν, ὁπότε βρέξας τὴν γῆν, ἀφήσει αὐτοὺς σπείρειν. ἐγνώκασι δέ γ' ἔφην ἐγὼ ὦ ἰσχόμαχε, καὶ τὸ μὴ ἐν ξηρᾷ σπείρειν ἑκόντες εἶναι πάντες ἄνθρωποι, δῆλον ὅτι πολλαῖς ζημίαις παλαίσαντες, οἱ πρὶν κελευσθῆναι ὑπὸ τοῦ θεοῦ, σπείροντες. Laudauisse autem in hoc libro Ciceronem prędia latifundia, scribit Seruius in II. Georg. causámque addit, vt possent cessare nouales. Non dubitaui autem, Seruium secutus, & Macrobium, in tres libros totum opus partiri, singulisque libris suos quasi terminos assignare, quod antea omissum fuit. Sane videtur is liber Latino nomine, de dispensatione vniuersæ domus, inscriptus a Cicerone fuisse. Sic enim scribit Hieron. in epistola ad Algasiam, quæstione VI. Οἰκονομικὸς Xenophontis pulcherrimus liber est, qui non gubernationem villæ, sed dispensationem vniuersæ domus, Tullio interpretante, significat. Quem quidem locum Hieronymi perperam legisse videtur Isidorus lib. IX. cap. IIII. etymol. Nam pro, Oeconomicus, legere videtur, Villicus.

Maritale coniugium] Hęc vidētur esse ex initio libri I. ex quibus deinde profecta esse videtur totius corporis in libros diuisio, ac distributio. Ceterū de hoc loco vide Arist. lib. VIII. Eth. ca. XII.

Nam uetus] Ex Columella ſumpſi cap. 11. lib. XII. hicq; repoſui. Etſi is enim eo loco Ciceronẽ auctorem nõ citet, id quod facit etiã alibi, tamen, cum ea Græcis Xenophontis reſpondeat, non eſt de Cicerone dubitandum. Pertinere autem exiſtimaui ad lib. 1. cum laudetur verbis diſertis ordo in re familiari. Omnia reſpondent illis Xenophontis Græcis. Ἐστὶ μὲν γὰρ πενία αὕτη σαφὴς τὸ δεόμενόν τινος μὴ ἔχειν χρῆσθαι. ἀλυπότερα δὲ αὕτη ἡ ἔνδεια, τὸ δύνασθαι ζητοῦντά τι λαβεῖν, ἢ τὴν ἀρχὴν μηδὲ ζητεῖν, εἰδότα ὅτι οὐκ ἔστιν. ἀλλὰ γὰρ ἔφην ἐγὼ, τούτων οὐ σὺ αἰτία, ἀλλ' ἐγὼ οὐ τάξας σοι παρέδωκα, ὅπου χρὴ ἕκαστα κεῖσθαι ὅπως εἰδῆς, ὅπου γε δεῖ τιθέναι, καὶ ὅποι λαμβάνειν. Ἔστι δ' οὐδὲν οὕτως ὦ γύναι οὔτ' εὔχρηστον, οὔτε καλὸν ἀνθρώποις, ὡς ἡ τάξις: καὶ γὰρ χορὸς ἐξ ἀνθρώπων συγκείμενος ἐστὶν ἀλλ' ὅταν μὲν ποιῶσιν ὅ, τι ἂν τύχῃ, ἕκαστος, ταραχή τις φαίνεται, καὶ θεᾶσθαι ἀτερπές. ὅταν δὲ τεταγμένως ποιῶσι, καὶ φθέγγωνται, ἅμα οἱ αὐτοὶ οὗτοι καὶ ἀξιοθέατοι δοκοῦσιν εἶναι καὶ ἀξιάκουστοι.

Exiſtimo autem huc reſpexiſſe Seruium, qui in illud 1. Aen. Quinquaginta intus famulę, quibus ordine longo, citat Cic. in Oecon. docentem quid vbi ponendum ſit, Nec enim, inquit, debent vniuerſa confundi.

Quid igitur proh deum.] Videtur huc pertinere, quanquam apud Xenophontem video ante aliquanto præceſsiſſe.

Præparatis] Deſcripſi ex Columella cap. III. Videlicet ordinis ui & poteſtate, atque adeò excellentia ipſius demõſtrata, incipit tradere & præſcribere, qui ordo in re familiari, domi præſertim, teneri debeat. Quamobrẽ in librum etiam primum conieci, quo hæc eiuſmodi continebantur, teſte Seruio. Græca Xenophontis ſic habent. Ἐπεὶ δὲ ταῦτα διήλθομεν ἔφη, οὕτω δὴ ἤδη κατὰ φύλας διεκρίνομεν τὰ ἔπιπλα. ἠρχόμεθα δὲ πρῶτον ἔφη ἀθροίζοντες, οἷς ἀμφὶ θυσίας χρώμεθα. μετὰ ταῦτα κόσμον γυναικὸς τὸν εἰς ἑορτὰς διῃροῦμεν. ἐσθῆτα ἀνδρὸς τὴν εἰς ἑορτὰς καὶ πόλεμον, καὶ στρώματα ἐν γυναικωνίτιδι, στρώματα ἐν ἀνδρωνίτιδι, ὑποδήματα γυναικεῖα, ὑποδήματα ἀνδρεῖα. ὅπλων ἄλλη φυλὴ, ἄλλη ταλασιουργικῶν ἐργάνων, ἄλλη σιτοποιικῶν, ἄλλη ὀψοποιικῶν, ἄλλη τῶν ἀμφὶ λουτρὸν, ἄλλη ἀμφὶ μάκτρας, ἄλλη ἀμφὶ τραπέζας, καὶ ταῦτα πάντα διεχωρίσαμεν, οἷς τε ἀεὶ δεῖ χρῆσθαι, καὶ τὰ θοινιτικά: χωρὶς δὲ καὶ τὰ κατὰ μῆνα δαπανώμενα ἀφείλομεν. δίχα δὲ καὶ τὰ εἰς ἐνιαυτὸν ἀπολελογισμένα κατέθεμεν. οὕτω γὰρ ἧττον λανθάνει, ὅπως πρὸς τὸ τέλος ἐκβήσεται. ἐπεὶ δὲ ἐχωρίσαμεν πάντα κατὰ φυλὰς τὰ ἔπιπλα, εἰς τὰς χώρας τὰς προσηκούσας ἕκαστα διηνέγκαμεν. μετὰ δὲ τοῦτο, ὅσοις μὲν τῶν σκευῶν καθημέραν χρῶνται οἱ οἰκέται, οἷον σιτοποιικοῖς, ὀψοποιικοῖς, ταλασιουργικοῖς, καὶ ἔτι ἄλλο τοιοῦτο, ταῦτα μὲν αὐτοῖς τοῖς χρωμένοις δείξαντες ὅπου δεῖ τιθέναι, παρεδώκαμεν, καὶ ἐπετάξαμεν σῶα παρέχειν. ὅσοις δ' εἰς ἑορτὰς ἢ ξενοδοχίας χρώμεθα, ἢ εἰς τὰς διὰ χρόνου πράξεις, ταῦτα δὲ τῷ ταμίᾳ παρεδώκαμεν, καὶ δείξαντες τὰς χώρας αὐτῶν, καὶ ἀπαριθμήσαντες, καὶ γραψάμενοι ἕκαστα, εἴπομεν αὐτῇ διδόναι τού-

των ὅτῳ δέοι ἕκαστον, καὶ μεμνῆσθαι ὅ,τι ἄντῳ διδῷ, καὶ ἀπολαμβάνουσαν κατατιθέναι πάλιν ὅθενπερ ἂν ἕκαστα λαμβάνει.

Hæc promo tradidimus] Olim, PRIMO, nō PROMO. Sed veram mihi lectionem cum sententia ipsa primum cōmonstrauit, tum Græcus deinde Xenophon. Τῷ ταμίᾳ παρεδίκαμεν Quanquam id quoque ab alijs animaduersum esse video.

Vtrum ne Ischomache, inquam, si res.] Fragmentum ab eo loco conformandum esse etiam Columellam ipsum, ex quo hæc sumpta sunt, legens iudicaui. cum Xenophonte autem comparans, facile iudicium meum confirmaui. sic enim Xenophon. πότερα δ' ἐγὼ ἔφην ὦ Ἰσχόμαχε, ὅταν δεηθῇς ἐπιτρόπου, καταμαθὼν ἤν πού τις ᾖ ἐπιτροπευτικὸς ἀνήρ, τοῦτον πειρᾷ ὠνεῖσθαι ὥσπερ ὅταν τέκτονος δεηθῇς καταμαθὼν, εὖ οἶδ' ὅτι ἤν που ἴδῃς τεκτονικὸν, τοῦτον πειρᾷ κτᾶσθαι, ἢ αὐτὸς παιδεύεις τοὺς ἐπιτρόπους; αὐτὸς νὴ Δί' ὦ Σώκρατες πειρῶμαι παιδεύειν. καὶ γὰρ ὅστις μέλλῃ ἀρκέσειν, ὅταν ἐγὼ ἀπὸ ἀυτ' ἐμοῦ ἐπιμελόμενος τι αὐτὸν καὶ δεῖ ἄλλο ἐπίστασθαι, ἢ ἅπερ ἐγώ. Sicut igitur Græcum hoc totū Xenophontis, ita Latinum quod proposui, totum est Ciceronis. Columella quidem sic. Vtrum ue, si res familiaris desiderasset, mertari villicum tanquam fabrum, an a se instituere consueuerit. Ego verò & q. s. Pro, A S E, autem legendum videtur, I P S E, nam in Græco est αὐτὸς παιδεύεις, & in Latino respondet Socrati Ischomachus. Ego verò ipse instituo. Ex libro autem secūdo hæc excidisse credidi, quòd videretur ad patrem familias pertinere, & ad ea quæ foris fiunt. Porro quæ ad sententiæ eius loci explicationem pertinent, de peritia villicorum, vide Catonem de re rustica, & Plin. lib. XVIII. cap. VI.

Cum vero affecta iam prope æstate.] Olim, AETATE. Meum autem exemplar Gellianum legit, AESTATE, commodiore, vt puto, & certe de Græco expressā sentētia. Quid sit aūt Affecta æstas, & Affectus annus, vide eundē, ex quo fragmentū desumptū est, Gelliū lib. III. cap. XVI. Nimirum Affectum, illud significat quod ita processerit, vt exitum iam & finem ipsum spectare videatur. Fragmentum ipsum, quod Gellio potissimū acceptum fertur, citatur etiam a Nonio, dictione Profligatum: loco aliquantum vitioso, sed qui tamen, ex Gellio, nullo negotio, pōt emendari. Omnino præter sententiam Gellij, de ratione verbi Profligo, adfert Nonius locum ex Ciceronis V. Tusc. qui esse videtur Gellio contrarius.

Apes in aluearium] Hæc quibus Græcis Xenophontis respondeant, vide Victorium lib. XXIII. cap. III. Var. lectionum.

Cum

Cum ad Cyrum] Descripsi ex Ciceronis Senectute,hicq; immiscui. Etsi.n.facile affirmare nō possim,ex illa veteri trāslatione desumpta hæc eē præsertim Cicerone ipso nihil affirmāte,tamē cū nonnullos hic quoq; scabros atq; turbulētos illos obices,quibus veterem translationem non caruisse scribit Hieronymus, reperiā, ne magnopere quidē pernegarē,ad veterem conuersionē pertinere. Legatur totū fragmentū,& quidem nō vt a me conformatum,sed vt a Cicerone ipso positum est in libro de senectute, nō vereor,ne nullus sit,qui cum in totius narrationis eius cursu aliquid desideret,tum præcipue illo in loco. Cum autem admiraretur Lysander &c. tum eum dixisse,mirari se.

Scrobes] Ex Seruio reposui, is in II. Georg.scribit hoc verbo Ciceronem fuisse vsum masculino genere, in Oeconomicis.

In Protagoram ex Platone.



ONTROVESIMINI, *non concertetis.*] Ad eundem prope modum infra de repub. lib. IIII. Beneuolorum concertatio,nō lis inimicorum, iurgium dicitur. Iurgare igitur lex putat inter se vicinos, non litigare. Sed ibi cōcertationem beneuolis tribuit, quam hic ab ijsdem auferre videtur.

Quæ igitur potest.] Vide quæ de hoc loco adnotauit P. Victorius lib. XIX, cap. IX. Variarum lectionum.

Confirmandi genera compluria] De eiusmodi declinatione verbi,Compluria, pro Complura.Vide Gellium lib. V. cap. XXI.

In libros de Republica.



AGNVM studium ad conscribendos eos libros attulisse M. Tullium Ciceronem, cum cetera sunt quæ ostendunt,tum etiam ille locus ex lib. IIII. epistolarum ad Att. Velim domum, inquit, ad tuos scribas,vt mihi libri tui pateant, non secus ac si ipse adesses,cum ceteri,tum Varronis. Est enim mihi vtendum quibusdam rebus ex ijs libris ad eos, quos in manibus habeo: quos,vt spero, tibi valde probabo.

bo. Et item libro II. epistolarum ad Q. fratrem. Scribebam illa, quę dixeram, πολιτικὰ, spissum sanè opus & operosum, sed si ex sententia successerit, bene erit opera posita: sin minus, in illud ipsum mare deijciemus, quod scribentes spectabamus: aggrediemur alia, quoniam quiescere non possumus. Sic ille. Etsi autem ipsi prima editio, de qua hæc dici videntur, non ita successerit, quin eam retexere necesse habuerit, vt statim intelligetur, tamen libris ipsis iam perpolitis ita Alexandrum Seuerum Imp. ferunt fuisse delectatum, vt, cum a Græcis discederet, Latinisque vacaret, hos potissimum, & de officiis libros euolueret: ex quorum lectione tantam de auctore quoque ipso, & tam præclaram concepit opinionem, vt imaginem ipsius inter diuorum statuas collocaret. In eis autem libris Platonis se comitem profiteri Ciceronem ipsum, scribit in præfatione naturalis historię Plinius. & nos hoc fragmentum in incertis referemus, tomo quarto. Quod ego dictum non de rebus tantum ipsis accipio, sed etiam, idque multo magis, de tractatione ipsa. Nam & inscriptione eadem vtitur, & locos plerosque ex eo transfert, & dialogis rem conficit, & dialogorum ipsorum rationem totam ita instituit, vt facile Platonis esse æmulus atque imitator appareat. Cum autem dialogorum duo sint genera; vnum quod narrationem perpetuam, & historiam veluti quandam, ab auctore ipso recitatam complectitur, sermonibus differentium tãquam orationibus perpetuis intertextam: cuius generis apud Ciceronem dialogi sunt, de Oratore Brutus, Academicæ quęstiones, libri de finibus, de nat. deor. de diuinatione, de philosophia; Alterum in quo citra vllam fere narrationem, sermones duntaxat ipsi differentium nomine proponuntur, simplicibus litterarum notis inter se distincti, ac diuisi: cuiusmodi sunt partitiones oratoriæ apud Ciceronem, Tusculanæ quæstiones, libri de legibus, de senectute, de amicitia: Hæc inquam cum ita se habeant, intelligendum est Ciceronem in his lib. de rep. priore illo dialogorum genere vsum. Id adeo constare existimo ex illis locis, lib. I. cognoscere, mehercle, inquit. Et lib. V. Quæ cũ dixisset Scipio. Et manifesto lib. VI. Quæ tandem ista sunt? inquit Lælius. Tum Scipio. Patimini me, inquit, quoniam tertium diem feriati sumus. Et item lib. eod. Hic cum exclamasset Lælius, ingemuissentque ceteri vehementius; leniter arridens Scipio, quæso, inquit, ne me e somno excitetis, & pax sit rebus, audite

dite cetera. Principio in nouem & dies & libros res fuit distri-buta, deinde, vt aperte constat ex dialogo de amicitia, & quodammodo significatur verbis illis ante somniũ Scipionis. Quoniam tertium, inquit Scipio, diem feriati sumus, ad triduum reuocata, &, vt pulchre Sigonius colligit, in sex libros collecta tota: ita, mea quidem sententia, vt singulis diebus duo libri responderent, id ita esse & credibile est ipsum per se, & Augustinus de ciu. Dei lib. II. cap. XXI. innuit, qui quæstionem de iustitia, primo ipso die habitam, dilatam esse scribit in diem sequentem, tumque in tertio libro magna cõflictione rem actam esse. Ergo vt primus & secundus liber primi ipsius diei, sic liber tertius sequentis demum acta continebat, itemque fortassis liber quartus: quinctus autem & sextus extremi. Quod sane ita breuiter expositum, & ex Augustino deductum ac cõfirmatum, sic abire poterat, nisi totum conturbari rursus atque infirmari videretur, ijs rebus, quæ sunt scriptæ apud Gellium quodam in loco. Is enim explicans rationẽ verbi, Superesse, lib. I. ca. XXII. ita scribit. In libro quoque, inquit, de repub. secundo, id ipsum verbum Ciceronis non temere transeundum. verba ex eo libro hęc sunt. Non grauarer Læli, nisi & hos velle putarem, & ipse cuperem te quoque aliquam partem huius nostri sermonis attingere: præsertim cum heri dixeris te nobis etiam super futurum. Verum si id quidem fieri non potest, ne desis, omnes te rogamus. Hic igitur, si Gellij liber bene habet, apparet hæc verba & postero die habita, & in libro secundo perscripta fuisse: vt plane confici videatur, sequentis diei acta, non, vt dicere videbamur, libro tertio & libro quarto, sed libro planè secundo contineri: atque ita aut singulis diebus libros singulos respondisse, aut planè non duos libros diebus singulis: quod paullo ante affirmantes dicebamus. De quo sanè fortassis dubitari poterat, nisi Augustinus eodem illo in loco significaret, in tertio demum libro, & cum in diem sequentem dilata esset disputatio, Lælium rogãtibus omnibus iustitiam defendere aggressum: in secundo autem libro alia acta dictaque fuisse. Hęc autem verba quæ Gellius quasi ex secũdo libro proponit, alicuius esse, qui Lælium ad suscipiendam pro iustitia disputationem adhortetur, propemodum constat. Dicendum igitur, in Gellio locũ emendandum esse, & pro libro secundo, tertium esse reponẽdum: etsi enim in meo Gellio libri numerus expressis litteris notatus est,

tamen vitium deriuare potuit ex notis aliorum librariorum, qui cum III scripturi erant, II. scripserunt. de quo etiam infra dicemus, in fragmento ipso explicando. Fannij personam annotatam fuisse ab eo sermone, præter apertissimum illum locum ex lib. de amicitia, in verbis Scæuolæ, est etiã ibidem paulo ante in verbis ipsius Lælij, haud multo obscurior, his verbis: Quod idem, inquit Lęlius, Scipioni videbatur, qui idem, quasi pręsagiret, perpaucis ante mortem diebus, cum Philus, & Manilius adessent, & alij plures, tuq; etiam Scæuola mecum venisses, triduum disseruit de repub. Nimirum, cum ceteros nominaret, qui disputationi de repub. interfuerunt, in ijsque etiam illos, qui tum, cum illa de amicitia dissereret, non adessent, profecto Fannium ipsum, & generum, & præsentem, non prætermisisset, præsertim cum Scæuolam nominet, apud quos duos sermonem illum de amicitia fingitur habuisse. Singulis libris singula erant præfixa procœmia. id ita esse testatur ipse scribens ad Atticum lib. IIII. Itaque cogitabam, inquit, quoniam in singulis libris (loquitur autem de libris de repub.) vtor procœmijs, vt Arist. in his quos ἐξωτερικοὺς vocat, aliquid efficere, vt non sine causa Varronem appellarem. Ex ijs procœmijs illud esse existimo, quod est initio fragmẽtorum, lib. III. HOMO NON VT A MATRE &c. Sicut Sigonius etiam adnotauit. & quod lib. VI. ALENDVS HIC, inquit, EST GLORIA. Addam ad extremum, quod Diomedes nobilis Grammaticus lib. I. adnotauit, Tullium in his de repub. dialogis actiuo more tempus futurum imperatiuo modo ex verbis quoque passiuis declinantem vsurpauisse. Addam & quod Rufinus in libro de metris comicis: Ciceronem in dialogis de repub. multa dixisse, referentem Asiaticos oratores ditrocheo clausulas terminare. Scripsisse videtur in hos libros Victorinus quidam, id quod testari videtur Hieronymus Apol. I. aduersus Rufinũ. Puto quòd puer, inquit, legeris Asperi in Vergilium & Sallustium commentarios, Volcatij in orationes Ciceronis, Victorini in dialogos eius &c. Dialogorum enim nomine hos fere libros significat. Si modò non in omnes philosophicos & rhetoricos libros scripsisse commentarios Victorinum hunc intelligit Hieronymus. Cum enim tria ferè in vniuersum, Ciceronis librorum genera numerentur, sicut Asconius in commentario III Verrinæ sub initium numerat, ora-

tiones videlicet, epistolæ, & dialogi, profecto dialogorum nomine philosophici libri & rhetorici intelligendi erunt: quanquam hoc quidem per quandam ἐξοχὴν, libris de repub. maxime conuenire videtur, qui reliquos omnes philosophicos quidem dignitate antecellunt. Sed & illud tamen studiosis Asconij videndum est, quomodo dialogorum nomen plerisque & rhetoricis, & philosophicis conuenire posit, in quibus nullæ sunt personę introductę: vt de officijs, de vniuersitate, paradoxa, de inuentione &c. Hæc cum ita scriberem, ac eorum de repub. librorum iacturam tacitus mecum meditarer, narrauit mihi patronus & amicus summus meus, se ex Alb. Crisio, homine, dum viueret, perurbano & & pereruditо, audiuisse, primos ex ijs libros quattuor ab eo, in legatione Anglicana, anno Christi M. D. L. VII, in quodam monasterio visos esse: quos cum ita ibi tum reliquisset, vt eos in reditu vellet secum asportare, ex legatione rediẽs, nullos reperit. Dicebantur autem furto inde prærepti fuisse.

In librum primum de republica.



VARE, *si placet, deduc oro rationem tuam de cælo ad hæc cituma*] Bis in Nonio citatur hic locus, semel dictione Cituma, sic, vt quidem habet Salogæ liber & alij. QVARE S. P. DEDVC ORATIONEM TVAM DE EO LOCO AD HAEC CITVMA. Iterum dictione deductum, sic. QVARE, SI PLACET DEDVCERE RATIONEM TVAM DE COELO AD HAEC EXTERIORA. Sigonius, vt videtur, legit sic. QVARE SI PLACET, DEDVC ORATIONEM TVAM DE COELO AD HAEC CITVMA. Ego verò sic. QVARE SI PLACET, DEDVC ORATIONEM TVAM DE COELO AD HAEC CITVMA. Nam illud EXTERIORA, pro CITERIORA positum forte est. Quod si sic, hoc quidem in loco abundaret, vbi verbum CITVMA, necessario est retinendum. Quod autem Scipio, vt opinor, rogatur hic, vt rationem, vel orationem suam de cœlo deduceret, idem est fortasis, quod de Socrate in pręfatione v. Tusculanę ita affirmatur. Socrates, inquit,

inquit, primus philosophiam deuocauit e cęlo, & in vrbibus col locauit, & in domos etiam introduxit videlicet in hęc cituma.

Quasi alius assimulare rempub.] Hoc ex Diomedis lib. 1. descripsi, qui citat librum de repub. Putaui autem etiam ad librum primum pertinere, verbaque esse Scipionis recusantis prouinciam, (vt fit in omnibus passim Ciceronis dialogis) de rep. disputandi, vt sit sensus. Sic mihi hoc a vobis de repub. disserēdi onus imponitur, quasi alius assimulare remp. aut melius non possit, aut omnino non possit. Ita enim ego fragmentum & accipio, & expleo. Dixit autem assimulare remp. sicut Horat. in epistola ad Pisones, simulare cupressum, Et fortasse cupressum scis simulare, inquit.

Expositamque ad exemplum] Sunt qui hunc locum ita legunt. EXPONAM QVOQVE AD EXEMPLVM NOSTRAE REIP. ACCOMMODABOQVE AD EAM &c. Huc autem respexisse videtur idem Cic. 11. leg. An censes, inquit, cum in illis de repub. libris persuadere videatur Africanus, omnium rerumpub. nostram veterem illam fuisse optimam, non necesse esse optimæ reipub. leges dare consentaneas?

Quam cum locis manuque sepsissent] Haud scio quàm rectum sit, LOCIS MANVQVE. Mallem, OPERE MANVQVE: vel ARTE MANVQVE: vel LABORE MANVQVE. Sic enim loquitur idem Cicero 11. de officiis. Ea quę inanimata diximus, nec haberemus, nisi manus & ars accessisset. Et item. Sine opera hominum, nulla esse potuisset. Et, Argentum non effoderetur, sine hominum labore & manu. Et, Vtilitates ex rebus inanimatis, nullo modo sine hominum opera & manu capi potuissent.

Delubris distinctam spatiisque communibus] Alibi, SPATIIS COMMVNIBVS. Alibi, ET SPATIIS COMMVNIBVS. Reposui, SPATIISQVE COMMVNIBVS ex Nonio Salogano: in quo ipso abest etiam eius fragmenti extremum verbum: Sunt qui illa quoq;. OMNIS CIVITAS QVAE EST CONSTITVTIO POPVLI, notāt asterisco. Totum, vt puto, non temere. quanquam communis lectio habet etiam suum sensum. Peius habet, quòd totum hoc fragmentum a nonnullis, qui & ipsi colligendis his, ante Sigonium etiam & nos ipsos, operam nauauerunt, Varronis non Ciceronis

b 2 esse

esse dicatur. De quo quidem alij viderint. Ciceronē sanè in hoc libro de situ vrbis deque ædificiis disputauisse, cum Seruij auctoritate in lib. I I. Georg. tum etiam Ciceronis ipsius ex secundo de officiis libro conuincitur. Atque etiam, inquit Cicero, illę impensę meliores sunt, muri, naualia, portus, aquarum ductus &c. Theatra, porticus, noua templa, verecundius reprehēdo propter Pompeium: sed doctißimi non probant &c. Sed de hoc, inquit, genere toto, in ijs libris, quos de repub. scripsi, diligenter est disputatum.

Breui multitudo diuersa] Ex Augustino. Is ita scribit epistola v. Quid enim est respublica, nisi res populi? Res ergo communis res vtique ciuitatis: quid est autem ciuitas, nisi multitudo hominum in quoddam vinculum redacta concordiæ? Apud eos enim ita legitur, Breui multitudo diuersa &c. Extrema igitur, sicut & prima, erūt Ciceronis, & quidem ex hoc, vt puto, libro. Legerem aūt in hoc fragmento DISPERSA, pro, DIVERSA.

Cognoscere mehercle.] Alias legitur, COGNOSCE. Quid? si, COGNOSCITE. vt sint hæc Scipionis, ad eos, qui audiebant: quanquam ne Sigonij quidem coniectura displicet.

Duos Rom. reges] Ex Seneca lib. XIX. epistolarum. Quum Ciceronis, inquit, librum de rep. prehendit hinc philologus aliquis, hinc grammaticus, hinc philosophiæ deditus, alius aliò curam suam mittit. philosophus admiratur contra iustitiam dici tam multa potuisse. Quum ad hanc lectionem philologus accessit, hoc subnotat, duos Rom. reges esse & q. s. Dicam quod sentio. Nō existimo plane verbum de verbo Ciceronis expressum a Seneca relatum esse. sed tamē idem puto haud multum aberrare. Quod cum ita sit, etsi Seneca librum nominatim non citet, tamē ego huc putaui pertinere, inde adeò, quòd IIII. Tusc. in procemio sic scribit Cicero. Nec vero hic locus est, vt de moribus institutisque maiorum & disciplina, ac temperatione ciuitatis loquamur: alijs hæc locis satis accurate a nobis dicta sunt, maximeque in ijs sex libris, quos de repub. conscripsimus. Atqui hoc totum libro primo esse persecutum apparet ex fragmento sequenti, de annuis coss. & demißis populo fascibus, quod aperte Nonius huic libro primo fert acceptum. Consequitur igitur, etiam de ceteris eiusmodi, eodem in libro fuisse pertractatum. Loquebatur igitur fortaßis primum de regibus, mox de coss. & deinceps de aliis in rēp. introductis magistratibus. Quod pręsentem

ſentem hunc locum de Seruij matre, & Anci patre attinet, totus elegans eſt, ex hiſtoria erutus, & annalibus. nã de Seruij quidem marte, quæ ſcribit Liuius, legi poſſunt lib. I. hiſtoriæ ipſius, itemque alibi, quæ alij. de Anco autem hic quod conciſim dicitur, & aſteriſco notatum haud integrum eſſe oſtenditur, ita repleo, & reſtituo: ANCI PATER ETIAM IGNORATVR, NISI QVOD IS REX ANCVS MARCIVS NVMAE NEPOS DICITVR. Meam correctionem veram eſſe oſtendo, primum ex Liuio: qui cum de creatione eius regis loquitur, ſic habet. Ancum Marcium regem populus creauit, patres fuere auctores. Numæ Pompilii regis nepos, filia ortus, Ancus Marcius erat. Deinde ex Plutarcho in Coriolano initio, vbi contra lectionem vulgarium exemplarium ita legendũ eſſe oſtendunt Sigonius & Hotomanus ὧν κὶ μάρκιος ἦν ἄγκος ὁ Νουμᾶ θυγατριδοῦς. id eſt, ex qua gente fuit etiam Marcius Ancus, Numę ex filia nepos. Vtrique videlicet Anci patrem ignorare videntur, dum auum ſolùm, eumq; etiam maternum nominant. Quidam Numę cuiuſdam filium fuiſſe dicunt, in faſtiſque ſic reponunt, ex Tacito deſumpta coniectura. quorum, cũ apud me, magno illorum merito, maxima ſit auctoritas, coniecturam approbabo, ſed certe, ex quibus ea deſumpta eſt, hos alios fortaſsis, quàm Cicero ſequutus ſit, auctores dicam fuiſſe imitatos. Quam vocem ſępe Fr. Robortellum Vtinenſem, virum recondita maxime eruditione, & doctrina, in magnis veterum ſcriptorum controuerſijs dirimendis, vſurpare memini, in publicis ſuis prælectionibus Patauinis. Sic Gellius quoque extremo ipſo capite noctium ſuarum Atticarum, ſi quis aliter quam apud ſe eſset, apud alium ſcriptorem legerit, non ſtatim obſtrependum eſſe monet, ſed tractationes rerum, & auctoritates hominũ penſitandas, duos illi, quoſque ipſe ſecutus ſit. Ex quo eſt illud quoque Ciceronis in Bruto, Vt hic ait, inquit, quem nos ſequimur. Quod autem hoc loco de ignotis duorum regum Rom. parentibus dictum eſt, idem de duobus totius Græciæ viris litteratiſſimis refert Valerius Max. lib. III. cap. IIII. in fine, cũ quidem & Euripides quam matrem habuerit, & quẽ patrem Demoſthenes, ipſorum quoque ſæculo ignotum ait extitiſſe. Et de Melchiſedecho illo rege Salem, eodemque pontifice, idem in ſacris litteris memoratur a Diuo Paullo, ſiue quo alio, qui doctam illam, & religionis noſtrę myſterijs in primis refertam, ad Hebræos epi-

epiſtolam conſcripſit. Qua quidem in epiſtola ita cap. VII. legitur. Melchiſedec ex interpretatione dicitur rex iuſtitię, deinde vero etiam rex Salem, quod eſt rex pacis, ignoti patris, ignotæ matris, ignoti generis, nec initium dierum, neque vitæ finem habens, ſed aſsimilatus filio dei manet ſacerdos in perpetuum. Sic enim vertit Des. Eraſmus Roterodamus, qui & ipſe noſtra ętate, nō minus quàm olim Melchiſedec, & quos ſuperius nominauimus, ignotis ortus parentibus fuiſſe perhibetur: ita & cum iis etiam, quibus cum familiariter verſabatur, nunquam in parentum ſuorum mentionem, homo alioqui in cędendis ſermonibus minime parcus, nec illiberalis, delabi voluerit, ſicuti olim de eius auditore ANDR. ZEBRIDOVIO Epiſcopo Cracouienſi, tuo PADNEVI anteceſſore, frequens audiebam. Huc pertinere quoque videtur pręnomen illud apud Rom. Spuriorum, quos Valerius in epitoma de prænominibus, quaſi apatoras, id eſt ſine patre, ait fuiſſe appellatos. Vnde etiam antiqui illi tam Spurium pręnomine, quàm, cum qui ſine patre eſſet, literis S. P. denotabant. vide Plutarchum in Problematis.

Tum instituti annui consules.] Vocem INSTITVTI, ſupplet Sigonius. recte, ſiquidem hic a grammatico integra recitatur Ciceronis ſententia. Quid autem? ſi quid apud Ciceronem ad eum modum fuerit? Poteſtatem omnem reipub. Romanæ penes populum fuiſſe, oſtendunt tum annui coss. tum demiſsi populo faſces.

Prouocationem ad populum.] Ex Seneca, eodem illo lib. XIX. epiſtolarum. Ex iiſdem, inquit, de rep. libris notat philologus prouocationem ad populum etiam a regibus fuiſſe. Detur enim mihi interim, eſſe hæc ipſius verba Ciceronis. Vbi ſunt autem, qui prouocationem a dictatore in vniuerſum tollunt? cum videant reges etiam ipſos prouocationi ceſsiſſe? ſic Fabius pater pro filio magiſtro equitum, ad Papirium dictatorem apud Liuium lib. VIII. Videro, ceſſurus'ne prouocationi ſis, inquit. cui rex Rom. Tullus Hoſtilius ceſſit. Sed nos quidem hunc nodum totum, de prouocatione a dictatore, conati ſumus diſſoluere ſubtilius in noſtro Dictatore.

Horum enim ſeueritatem] Alias, HORVM SEVERITATEM. Saloęę Nonius, HORVM IN SEVERITATEM. [illegible] existimauimus, HORVM ENIM SEVERITATEM. In eodem autem iſto Saloęę Nonio, & quibuſdam

busdam aliis, expresse citatur lib. quartus de rep. non primus.

Quem nos in [illegible]. Etiam hoc ex Seneca, eodem illo loco. De dictatore, & partibus eius numinibus, plura in nostro Dictatore, quem adhuc inter schedas nostras latitantem retinemus. Sed ne hoc quidem fragmentum valde existimo Ciceronianum esse: quod ego tamen, sicut ex Seneca cetera paullo ante recitata, antiquitatis magis, quam elocutionis causa in contextum recipere volui. nam hoc quoque ex libris de repub. notare ait Seneca philologum.

Cn. Flauius fastos protulit.] Vide Liuium lib. IX. in fine. Plinium lib. XXXIII. cap. I. Gell. lib. VI. cap. IX. & Pomponium nostrum in libro singulari Enchiridii. qui locus extat in Pand. lege ij. de orig. iuris. In loco etiam Ciceronis, quem ex epistolis ad Atticum adducit hoc loco Sigonius, videndum an pro, Composuisse actiones, legendum sit potius, Exposuisse, vel Proposuisse. Omnino de hoc Flauio etiam ipsa antiquitas videtur dubitasse, is ne re vera fuerit, qui fastos protulerit, an quispiam alius id ita esse, sibi indicat Ciceronis epistola ad Atticum, cuius verba recitat Sigonius.

Quomodo enim iudicatur ille optimas] Omnia exemplaria, vt opinor, legunt pro, QVOMODO, QVAM, & OPTIMVS, pro, OPTIMAS. Sigonius, OPTIMAS, reposuit. Ego autem miror totum hoc fragmentum citari a Nonio ad ostendendam significationem verbi Aemulus, cum pro eo, qui similitudinem vitae alicuius vel instituti sequitur, accipitur vt sane verear, ne ita legendum sit. QVA ENIM, vel, QVOMODO ENIM IVDICATVR ESSE AEMVLVS? DOCTRINA, ARTIBVS, STVDIIS. Hactenus puto Ciceronis fragmentum esse. Quod autem sequitur, Nonij est fortassis, & pertinet ad declarationem verbi Audio, vt sit. AVDIO, QVANDO SIGNIFICAT, vel QVANDO CONSTRVITVR &c. Esse enim lacunam in Nonio existimo.

Sed audisse.] Ex Nonio reposui. vide in dictione Contendo. Citantur praecise libri de repub. Si locus fuisset seorsum ijs assignatus, quę ex quoto libro de rep. desumpta sint, satis certum esse non potest. & hoc & non pauca alia, [illegible] idem in loco inter incerta retulissem. nunc coniecturis laborandum fuit, quò quidque referri oporteat. quae coniecturę vereor etiam, vt vbiq; sint satis

ſatis firmæ. Hoc mehercle ad eam partem ſpectare credidi,quæ eſt de optimatis deſcriptione. Petr. Victorius lib. xxi. cap. xviii.var.lect.legit. TVVM VERO. pro,TVM VERO.

Tum uirtute] Hoc fragmentum ad primum'ne,an ſecundum, an etiam quintum librum proprie pertineat, hos enim libros omnes, in Nonijs varijs,citari video, alij dijudicent. Ego in primo repoſui: non quaſi id certa vlla ratione fieri debere ſtatuerim,ſed quòd ex omnibus libris,qui in eo recitando loco nominabantur,eum librum ceteris pręponi poſſe iudicauerim,quem ordo ipſe naturæ præponit in ordine numerorum. Hæc de loco. De reliquis,Salogæ Nonius ita habet. TVM VIRTVTE, LABORE, INDVSTRIA QVERERETVR SVMMI VIRI INDOLEM, NISI NIMIS ANIMOSE FEROX NATVRA ILLVM NESCIO QVO. Alij legunt. TVM VIRT. LAB. INDVST. QVAERERETVR SVMMI VIRI INDOLES NIHIL MINVS ANIMOSE &c. Ego,vnica ſolum dictione commutata, ſequor Salogani libri lectionem. Lego enim pro, QVERERETVR, QVAERERET: quæ tamen etiam lectio aliqua ex parte,ex aliorum propoſita lectione, hau ſta videri poteſt. Nam, PACTO, quod verbum adijcio ad extremum, hoc etiam in quibuſdam libris inuenio.

Sed quoniam plurima] Videtur hoc fragmentum non optime habere,illo quidē in loco,QVA'M SI QVIS,VT AIVNT, CVRAVERIT? Quid ſi ſic? QVA'M IS QVI, VT AIVNT, CVRAVERIT? hoc ſenſu? patria antiquior eſt parens,quàm is,qui procreauit. hac igitur de cauſa,& quòd plurima etiam beneficia contineat,maior illi quàm parēti debetur gratia. Equidem creandi vocabulum tribuit ſępe Cicero arti,tribuit naturæ: liberos autem creari vel procreari,nō minus ſæpe loquitur. Vt lib. II. de Orat. Neque boni eſt neque liberalis parentis, quem procreauit & eduxerit,eum non veſtire. Vt in ea de lege agr.ad pop. Quales nos illorum ſanguine creatos videtis. Vt in ea poſt reditū ad Quir. A parentibus paruus ſum procreatus. Vt in Lucullo. Impediet te in liberis procreandis. Vt Tuſc. v. Demarathus Tarquini liberos procreauit. vt lib. de off. I. Natura ingenerat præcipuum quendam amorem in eos, qui procreati ſunt. Vnde illud vetus de vino & venere. Vina ſitim ſedent, natis venus alma creandis Seruiat. Et quoniam, exēplis

eiuſmodi

eiusmodi recitandis, lõgiuscule progressi sumus, vt in illo quoque Euripideo memorabili carmine, quod hic noster transtulit in III. Tusculanam.

Mortalis nemo est, quem non attingat dolor
Morbusque, multi sunt humandi liberi,
Rursum creandi: mors est finis omnibus,
Quæ generi humano angorem nec quidquam afferunt.
Reddenda est terrę terra: tum vita omnibus
Metenda, vt fruges. sic iubet necessitas.

Hæc de ratione loquendi. Quod autem sententiam loci attinet, eadem est cum illa, quam ita deinde expressit idem lib. VI. Pietatem cole, quæ cum sit magna in parentibus, tum in patria maxima est. Totius autem eius loci emendationem meam confirmat Hadriani Iunii Nonius manuscriptus, in quo legitur simpliciter. ET EST ANTIQVIOR PARENS QVAM IS QVI CREAVIT. Vide librum ipsius animaduersorum VI. cap. II.

Sed ut plurimas.] Sic liber meus. Alij habent, Sed vt primas.

Qua carere diutius vix possunt.] Ita in Salogę. prius erat, NON POSSVNT.

Quid? tu'ne cum es iratus.] Sic restitui. ex TVM CVM ES IRATVS. sicut illud quoque. TVN' PSEVDOMENOS, pro TVM PSEVDOMENOS, de quo infra.

Ergo non probares consilio pulsas.] Ausus sum pro, PVLSO, PVLSAS ponere, cum viderem Sigonium pro, IRACVNDIAE, ponere, IRACVNDIAS. quanquam id quidem coniecturam esse volo. illud non item. EGO VERO NIHIL ISTO ANIMO. Sic enim liber Saloganus, & quidã alij: cum alibi particula, VERO' omissa esset. Sensus totius est. si quis est qui non probet, pulsas esse libidines & iracundias consilio, næ is miserrime est animatus. In nonnullis libris pro TENERENT, legitur, TERRENT.

Populo gratificans & aliena & sua] Mirum, ni hoc fragmẽtum ad eum locum pertineat, vbi de situ vrbis & ædificijs disputabat: quemadmodum superius in illum locum, Delubris distinctam spatijsque &c. ostendimus. Equidem Cicero ædificia publica ciuitatum inter benęficentiæ, & liberalitatis officia numerat, quibus quidem populo gratum fieri solet.

Sed ut ille, qui nauigat, cum subito mare cœpit horrescere.] Quis nõ

dicat, si se ipsum audiat, pro, CVM SVBITO MARE, CVM SVBIIT MARE, legendum esse potius? Videtur enim horrescendi verbum ad animatum potius, quàm ad inanimatum pertinere. Sed heu quàm lubricus est lapsus in hominis coniectura. Citatur ibidem dictione Horrendum, a Nonio Sisenna lib. III. vel, vt habet paullo post dictione Cæcũ, libro IIII. is ita habet, Subito mare subhorrescere, cęcosq; fluctus in se prouoluere leniter occipit, ad quem Sisennæ locũ videtur hic Cicero alludere voluisse. Sic enim is de Sisenna non modo sub Attici persona libro de legibus primo sub initium, sed etiã sua ipse, in libro qui est de claris oratoribus ad Brutum scriptus, iudicabat, virum & doctum fuisse & studijs optimis deditum, bene Latine loquentem, & gnarum reipub. nec sine facetijs: facultate autem historica tantum præstitisse, vt omnes vinceret superiores. Et si idem autem inusitatis verbis vsque adeò passim vteretur, vt ne a C. quidem Ruscio accusatore deterreri potuerit quo minus ijs vteretur, quemadmodum ibidem scribit Cicero paullo infra, tamen, mare quidem horrescere, non ipse solùm dixit, sed dixit etiam Accius, & dixit Varro, vt ostendit eodem illo in loco Nonius, & dixit Pacuuius, vt est lib. I. de diuinatione apud Ciceronem. Horrescere autem hoc loco intelligo, extare & prominere, vt exponit Nonius. Sensum fragmenti haud absurdè fortasse quispiam eo deduxerit, si dicat vsurpatum fuisse, ab eo, qui in medio cursu orationis cœptæ de repub. refugiebat a dicendo, aut certe consilium suum, quod eum ingressus esset, reprehendebat, deterritus ijs difficultatibus, quas tunc primum disputationi suæ obiectas ac propositas esse intellexit. Quam rem similitudine a nauigantibus sumpta illustrabat.

In librum secundum de Repub.



ST *igitur quiddam*] Malo quã, QVODDAM, vt erat in libro priore. Omnes enim libri, quos vidi, legunt fragmentum ad quem scripsi modum.

Omnia aliter offendisset] ALITER, male & perperam. Sic illud lib. III. epistolarum ad familiares. De tuo in me animo iniquis secus existimandi videris

nonnihil

nonnihil loci dedisse. Et Sall. in Iugurt. Prius omnia pati decreuit, quàm bellum sumere, quia tentatum antea secus cesserat. id autem est male. Quid ita vero? Primum, vt puto, ominis causa, vnde illud, in alia omnia, de quo scribit Festus, dictione, Qui hoc sentitis, quem vide etiam dict. Alter. & Plin. lib. VIII. epistolarum. Deinde, quòd antiqui res bonas, & probatas, ac receptas certas passim appellabant: Sic Cicero pro Quinctio. Nō ita instituto, inquit, vt iura societatis, & officia certi patrisfamilias nosse posset. & pro Sex. Roscio. Certi accusatoris officium, & v. Verr. Non rerum certarum, sed furtorum improbissimorum vocabula. Ab hoc igitur certo quidquid aberrabat, aliud erat, id est malum. Non solùm autem certorum vocabulo, sed etiam paucorum, bonos designatos esse a veteribus, obseruat Nonius, vt dicemus in lib. VI. de repub. Sed hæc ommittamus. Vna enim mehercle Lactantij auctoritas, non id solùm, sed etiam fragmenti totius sententiam aperit. is ita scribit lib. de ira Dei cap. XVIII. Laudatur Archita Tarentinus, qui cum in agro corrupta esse omnia comperisset, villici sui culpam redarguens, Miserum te, inquit, quem iam verberibus necassem, nisi iratus essem. Quam eandem rem narrat Cicero ipse etiam extrema quarta Tusculana. De hoc etiam Archita vide Ciceronem eundem libro de senectute, & Gell. lib. V. cap. XII. Cetera apud Diogenem Laertium. Patefacta igitur ad eum modum sententia, ausus sum fragmentum ipsum ad extremum libri collocatum, hic reponere, inter cetera, quæ loquuntur de animi cupiditatibus moderandis. Huc enim profecto pertinere, constabit, ex eorum locorum, quos nominaui, collatione.

Statuo esse optime] Cum alias legeretur, STATVE ESSE OPTIME: alias, STATV ESSE OPTIMO: legēdum duxi, STATVO ESSE OPTIME, & quæ sequuntur. Scipio enim ipse profecto constituit de forma optimæ reipub. Nonius, ex quo fragmentum sumptum est, verbo Modicum, habet ad extremū, quę nos etiā addidimus, illa: NEC PVNIENDA, IRRITET ANIMVM IMMANEM, AC FERVM: in quibus ego primùm pro PVNIENDA, scripsi, PVNIENDO. deinde illud pręterea ex coniectura addidi, quòd in Nonio pręcisum esse cum videretur, inter lineas conclusum fragmēto ipsi assutū est. NEC OMNIA PRAETERMITTENDO LICENTIA CIVES DETERIO-

RES REDDAT. Præcisum dico, quòd particula NEC, sẽper desiderat vt rursus inferatur: quemadmodum notat etiam Pedianus in orationem pro Scauro. Prorsus quemadmodum item particula, AVT. Ex quo illud quoque ex lib. I. epist. ad Att. Ne aut ignorando stultissimi iudicaremur, quod nos etiam in scholijs in eam in Clodium, & Curionem, pręcisum, vt est, recitauimus, explendum videtur ad hunc ferme modum. Ne aut ignorando stultissimi, aut cum cetera istiusmodi magno animo vicissemus, in hoc vno titubantes, facti esse meticulosissimi, vel ignauissimi iudicaremur. Quod quidem hic obiter dictum, vberius in Miscellaneis nostris cõiectationibus disputatum extat. Equidem quod in hoc de repub. fragmento farciendo tentauimus, id vnum interea de multis, veluti specimen hoc loco præbere voluimus, si quis sit deinceps, qui hæc Ciceronis concisa fragmenta, & interrupta, supplere vnquam aut contexere voluerit. Alterum si quis requirat, videat lib. IIII. initio. Cumq; autumno terras &c. Cetera vide sparsim. In hoc autem eodem fragmento, pro Regali, optimo, quidam Nonij legunt, Regali, & optimati.

Vt in fidibus] Sic prope I. off. Vt in fidibus, aut in tibijs, quamuis paullũ discrepent, tamen id a sciente animaduerti solet: sic viuendum est in vita, ne forte quid discrepet, vel multo etiam magis, quo maior, & melior actionum quàm sonorum cõcentus est. Itaque vt in fidibus, musicorum aures vel minima sentiunt: sic nos si acres ac diligentes iudices esse volumus, animaduersoresq; vitiorum, magna intelligemus sæpe ex paruis.

Sic ex summis, & infimis, & medijs interiectis.] Olim. Sic EX SVMMIS, ET MEDIIS, ET INFIMIS INTERIECTIS. Et sanè in omnibus fere quos videram libris. Sed animaduerteram profecto in auctoribus, non modo verba sępe de loco mota, sed etiam totas aliquando lineas ab oscitantibus librarijs confusas esse, atq; conturbatas. Cuius rei insigne exemplum etiam superiore editione proposueram ex libro Ciceronis de senectute: vbi ita passim legitur. Fabio. IIII. coss. adolescentulus miles profectus sum ad Capuam, quinctoq; anno post ad Tarentum quęstor, deinde ędilis, quadriennio post factus sum prętor, quem magistratũ gessi coss. Tuditano, & Cethego, quum quidẽ ille admodum senex suasor legis Cinciæ de donis, & muneribus fuit. Quem locum, etsi viderem nonnullos

extitisse, qui corruptum esse fuerunt quodammodo suspicati, ta men nemo, quod scirem, restituerat, nemo etiam iter restituendi commonstrarat. membra enim orationis luxata esse non videbant, quæ ita essent mea sententia, corrigenda. Fabio IIII. coss. adolescentulus miles profectus sum ad Capuam, decimoq; anno post ad Tarentum quæstor, quem magistratum gessi coss. Tuditano & Cethego: deinde ædilis, quadriennio post factus sum prætor, cum quidem ille admodum senex, & quæ sequūtur. Nisi forte sic potius legendum est. Miles profectus sum ad Capuam, quinctoq; anno post ad Tarentum, tum quæstor, quē magistratum gessi coss. Tuditano & Cethego. &c. Vel sic Ad Capuam, quinctoq; anno post ad Tarentum, quęstor deinde, quem magistratum &c. Nam quincto anno post inchoatam militiam, ne possit Cato videri quæsturam gessisse, facit Polyb. lib. VI. vbi ante magistratus, decem, vel minimum, requirit militaria stipendia. Cuius etiam rei Plutarchus in Gracchis meminit. Quod autem coss. Tuditanus & Cethegus ad quęsturam, vt ego censebam, non ad pręturam, vt est in omnibus libris, pertinerent Catonis, ostendere dicebam cum Liuium lib. XXIX. tum ipsum Catonem apud Ciceronem ibidem inferius, cum loquitur de sodalitatibus, & sacris Ideis magnæ matris, & apertissime denique Ciceronem ipsum in Bruto, quemadmodum copiosius cōmonstratum extat in Miscellaneis nostris coniectationibus. Cumq; adeò locum hunc ex libris de repub. luxatum esse per me ipse suspicarer, corrigendumque ad eum, quem reposui, modum iudicarem, exhibuerat mihi multo post Lucas Gornicius meus, ex regia Vilnensi bibliotheca, omni librorum genere refertissima, depromptum quoddam Augustini volumē de ciuitate dei, excusum primis adhuc ferè illis temporibus, quo typi primum ænei fuerunt adinuenti, in quo volumine locus hic ex lib. II. de repub. prorsus ad opinionis illius nostræ rationē legitur. Itaq; antea coniecturam meam tantum exponere, nunc autem, approbante vetere libro, illam etiam in contextum reponere visum fuit.

Optimum omni in repub. vinculum] Legendum puto, OPTIMVM OMNIVM. plus enim olet Ciceronem. Et certe sic Prilusium nostrum, in suo de obedientia ac pace commentario, legere video. Coniectura'ne autem, an libris aliquibus adductum, haud scio.

Proiecta

Proiecta tota est, atque eminet.] Etsi legi posit, PORRECTA, a verbo porrigo, cuius est in sequenti fragmento mentio, tamen retineo, PROIECTA. sub hoc enim verbo video citari fragmētum a Nonio. Proprie autem quid sit Proiectum, exponit Labeo ad Iabolenum lib. II. ex Post. vt est in L. malum D. verb. & rerum signif. Hic metaphorice dixit de iustitia, sicut etiam de audacia in ea pro Cluentio, Quorum eminet audacia atque proiecta est.

Multaque ditione Videndum an sit Ciceronis. Nam Isidorus, qui lib. X. citat Ciceronem de rep. ex Nonio sumere videtur. Nonius autem, in libris quidem quos vidi, nec libros de repub. sed secundum de senectute, citat, (vt videre est in ipsius ad filiũ libro, dict. Pecuniosus: quanquam id librario sane adscribi potest) & fortasis Ciceronis sententiã, quocũq; ea ex libro desumpta fuerit, verbis suis refert. vt, vt est, fragmenti certe sententiam, quod attinet, ea duæ mihi res pręcipue videntur esse comprehensæ: altera, & illa quidem principaliore, ostenditur, in quibus rebus multa apud ueteres consisteret: altera autem, quæ ex hac dependet, docetur, cur multa in illis rebus, hoc autem est in ouibus, & bobus esset constituta. Priorem quod attinet, de ea præter ceteros eodem pertinentes, cum aliorum, tum ipsius Festi locos, uide etiam eundem Festum in dictione Aestimata, & dict. Peculatus. De altera, qua quidem dicitur, ideo multam in pecore constitisse, quod in eo solo, & in agro, hominum opes tunc consisterent, de eo apud Isidorum lib. XVII. cap. I. sic habetur. Diuitiæ, inquit, antiquorum in his duobus erãt, bene pascere, & bene arare. Ad quod etiam referendum est illud Ciceronis lib. II. offic. & Plinij lib. XVIII. cap. V. quid maxime expediat in re familiari, ex Catone sumptum de re rustica. Varro autem lib. III. de ling. Lat. sic scribit. Pecuniosus, inquit, a pecunia magna dictus est, pecunia autem a pecu. A pastoribus enim horum vocabulorum origo. Festus quoque dict. Abgregare. Non est mirum, inquit, si quorundam verborum frequens vsus ex pecoribus pendeat: cum apud antiquos opes & patrimonia ex his præcipuè constiterint, vt adhuc etiam pecunias, & peculia dicimus. Et paullo ante adoriam olim laudem sine gloriam appellatam fuisse scribit, quia gloriosum eum putabat, qui farris, quod ador vocabant, copia abundaret: quod etiam notat Plinius, loco, quem paullo post nominabo. Et idem Festus, lib.

xv. Pecunia, inquit, sacrificium fieri dicebatur, cum fruges, fru-ctusque offerebantur: quia ex his rebus constant, quam nũc pecuniam dicimus. Vnde Columella in præfatione lib. vi. ita scribit. In rusticatione vel antiquissima est ratio pascendi, eademque quæstuosissima, propter quod nomina quoq; & pecuniæ, & peculij tracta videntur, a pecore: quoniã id solum veteres possederant. & adhuc apud quasdam gentes vnum hoc vsurpatur diuitiarum genus. Et illud in decretis canonicis ex Augustino desumptum: Quidquid antiqui habebant, in pecoribus habebant, vnde pecunia quoque appellata &c. vide. I. quæst. III. Totum quidquid. & August. doctrina Christiana. Qua de re sic habet etiam ipse Ouidius lib. v. Fastorum.

Cetera luxuriæ nondum instrumenta vigebant
Aut pecus, aut latam diues habebat humum.
Hinc etiam locuples, hinc ipsa pecunia dicta est.

De utraque autem re, tam de multæ, quàm de diuitiarum Rom. ratione libenter apponam locum ex Plinio lib. xvIII. cap. III. Agrum, inquit, male colere, censorium probrum iudicabatur, atque (ut refert Cato) quem uirum, bonum colonum, dixissent, amplissime laudasse existimabant. Hinc & locupletes dicebant, loci, hoc est agri, plenos. Pecunia ipsa a pecore appellabatur. Etiam nunc in tabulis censorijs pascua dicuntur omnia, ex quibus populus reditus habet, quia diu hoc solum uectigal fuerat. Multatio quoque, inquit, non nisi ouium boumque impẽdio dicebatur: non ommittenda priscarum legum beneuolẽtia. Cautum quippe est, ne bouem prius, quàm ouem nominaret, qui indiceret multam. Qui me sane locus collatus, cum altero Gellii, ubi morem illum atque vsum loquendi recitat, Multam dicere, admonuit, vt cogitãdum esse putem, an sic quoq; in hoc fragmento legi possit, MVLTA QVE IN DICTIONE uerbis duobus, uel uno uerbo INDICTIONE, uel etiam simplicius, DICTIONE potius quàm DITIONE. Nam & dicere multam, & indicere legitur: & in Nonijs profecto, quos ego uiderim, sicut abest particula IN, quæ uideri poteſt esse reponenda, ita abest etiam particula, E, quam interserit, ut uidetur, posterior Sigonij editio. Sed hæc nos, cum ne Sigonij quidem lectio magnopere displiceat, opinantes dicimus. Sicut & illud quoque, quod hoc quidem fragmentum, cum duobus superioribus, ad describendam paupertatẽ ac con-

tinen-

tinentiam Rom. pertinere arbitramur. Cum enim,ut iam fere dictum est,omnis possessio ueterum Rom.in agris tantum esset, quos pecoribus quidem,pro modo eorum,arari oporteret, primū sane locupletes,de agris, postea uero pecuniosi, de pecore, diuites sunt nominati. Cum autem initio bina tantum iugera per Romulum diuisa,magna satis latifundia ipsis uiderētur, deinde uero interiecto tempore, cum pro pernicioso ciue habitus fuerit, cui septem iugera satis non essent (quam uocem post immensum terrarum imperio eorum adiectam a M'. Curio in concione usurpatam esse scribit Plinius lib. XVIII.) apparet sane nec ualde illos totis illis temporibus locupletes, nec pecuniosos nimium extitisse. Cum autem præterea quoque æs quidem non nisi Seruio regnante,argentum uero quinque demum annis solis ante bellum primum Punicum, signare cœpissent, constat profecto ne argento tum quidem illos admodum abūdasse, nec fere ad illa tempora,quidquam præter pecudes,quo multarentur habuisse: quanquam & agris quidem eos tam multatos fuisse, uel ex Cincinnati historia colligi potest,qui ex septem iugeribus,tria pro amico obligata multæ nomine amisisse scribitur. Nam multæ pecuniariæ, quæ interea etiam ex legibus usurpari cœptę erant (sicut Vlpianus quoque testatur. L. CXXXI. Aliud est fraus.D.uerb.sign.multæ animaduersionem suis temporibus pecuniariam fuisse) eæ leues quoque atque exiguę admodum, & tales quæ temporum illorum rei nummariæ penuriam ostenderent,fuerunt: uti ex legibus XII.tab.cognoscere licet,usque adeo quidem, ut succedentibus temporibus ludibrio haberentur. Id quod uel L.Neratij exemplo ostendi potest: quem,vt est apud Gellium,scripsit Labeo obambulare solitum cum seruulo, crumenam assium plenam portitante, ut quemcunque depalmasset, ei ex lege uiginti quinque asses è uestigio numeraret. Vnde non mirum si in tanta angustia rei familiaris,dotes quoq; ipsę tenues & exiles fuerint: usque adeo ut si quá ex feminis X millia æris,dotis nomine marito attulisset,maximam dotem attulisse diceretur. Senatus quidem Scipionis filiam ex publico X L.millibus æris nuptui elocauit,& Megulia, quod cum quingentis millibus domum mariti intrauisset, Dotatæ cognomen inuenisse scribitur. Atque hæc quidem temporum erant, illa hominum, quod in hac tanta rei familiaris angustia,tamē summus quisque & maximus ciuis laudem ex continentia adhuc & par-

simonia

fimonia quęsiuisse memoratur. Quo fragmentum quoq; ipsum, quod proxime præcessit, pertinere videtur, quod siue de eodem illo M'. Curio, quem superius nominauimus, siue de Paullo Aemilio, siue de quo alio dictum videri potest. Vide de iis Valerium, libro eius IIII. cap. III. & cap. IIII. Sed nos alio rapimur.

Vt Carneade] Quod hic de Carneade dicitur, cõfirmatur iis rebus, quæ de eo alibi etiam ab eodem Cicerone dicũtur. Cum enim incredibili quadam esset facultate dicendi, non modo secutus est rationem illam cõtra omnia disserendi, sed eam etiam vehementer confirmauit, de rebusque omnibus ita semper disseruit, vt in eius sermonibus nihil magnopere constans inueniretur, sed vt modo opponeret iis aliquid, quibus cum contendebat, modo hoc aiebat, modo illud. Vide in quæst. Acad. in de nat. deorum, in de diuinatione. Fuisse autem eum violenta, & rapida facundia scribit Gellius lib. VII. cap. XIIII.

Nihil est, quod adhuc] Verba esse Scipionis, sic ostendit Augustinus lib. II. ciuitatis dei, cap. XXI. Cum, inquit, Scipio latius in fine secundi libri, & vberius disseruisset, quantũ iusticia, & prodesset ciuitatibus si adesset, & obesset, si abesset, poposcit Philus, vt hęc ipsa quęstio diligentius tractaretur, ac de iusticia plura dicerentur, propter illud quod iam vulgo ferebatur, remp. regi sine iniuria non posse. Hanc proinde quæstionem discutiendam, & enodandam esse, assensus est Scipio, respondit q;, Nihil esse, quod adhuc de repub. putaret dictum &c.

In librum tertium de repub.



RIVSQVAM progrediamur longius adnotandum illud nobis hoc loco videtur, quod D. Ambrosius lib. off. I. cap. XII. litteris prodidit, Furium iniustitiæ causam agere hoc libro aggressum, vsum esse illo præfationis, & excusationis genere, quo apud Platonẽ ante Glaucõ, itidem pro iniustitia disputans, lib. de repub. II. vsus erat: nimirum, darent sibi hanc veniam, si veritatis illustrandæ gratia, longe secus quam sentiret de iniustitia verba faceret. Sic enim Ambrosius. Laudatur in Platone, quod in politia sua po-

 suit,

ſuit,eum qui contra iuſticiam diſputandi partes, recepiſſet,poſtulare veniam dictorum, quę non probaret, & veri inueniendi atque examinandæ diſputationis gratia, illam ſibi impoſitam perſonam dicere. Quod eouſque Tullius probauit, vt in libris, quos ſcripſit de repub. eam ſententiam dicendam putauerit. Glauconis autem verba apud Platonem hęc ſunt: ἐπεὶ ἔμοι γε ὦ σώκρατες ἔτι οὐ δοκεῖ οὕτως. ἀπορῶ μέν τοι διατεθρυλλημένος τὰ ὦτα ἀκούων θρασυμάχου, καὶ μυρίων ἄλλων. τὸν δὲ ὑπὲρ τῆς δικαιοσύνης λόγον, ὡς ἄμεινον ἀδικίας, οὐδενός πω ἀκήκοα ὡς βούλομαι. βούλομαι δὲ, αὐτὸ καθ' αὑτὸ ἐγκωμιαζόμενον ἀκοῦσαι. μάλιστα δ' οἶμαι ἂν σου πυθέσθαι. διὸ κατατείνας, ἐρῶ τὸν ἄδικον βίον ἐπαινῶν, εἰπὼν δὲ, ἐνδείξομαί σοι, ὃν τρόπον αὖ βούλομαι καὶ σοῦ ἀκούειν, ἀδικίαν μὲν ψέγοντος, δικαιοσύνην δὲ ἐπαινοῦντος. Et infra. λεκτέον οὖν, καὶ δὴ κἂν ἀγροικοτέρως λέγηται. μὴ ἐμὲ οἴου λέγειν ὦ σώκρατες. ἀλλὰ τοὺς ἐπαινοῦντας πρὸ δικαιοσύνης ἀδικίαν.

Eadem autem de Furio ſcribit aperte Auguſtinus lib. II. ciuit. cap. XXI. ſuſcepit,inquit,Philus diſputationem eorum, qui ſentirent ſine iniuſticia regi non poſſe remp. purgans ſe præcipue ne hoc ipſe ſentire crederetur.

Quoniam ſimus] Deſcriptum ex Seneca lib. XIX. epiſtolarum. Eoſdem,inquit,de repub. libros cum grammaticus explicuit,primum &c. Deinde tranſit ad ea,quæ cōſuetudo ſęculi mutauit,tanquā quod ait. Cic. Quoniā ſumus ab ipſa calce,eius interpellatione reuocati. Hanc quā nunc in circo metā vocamus, calcē antiqui dicebant. Hæc Seneca. Puto verba eſſe Scipionis, qui,cū pridie permulta dixiſſet pro iuſtitia,vt ex Auguſtino colligitur,fuit interpellatione Phili prohibitus, ne poſſet ad extremū peruenire. Popoſcit enim tunc Philus quęſtionē diligentius tractari,ne iniuſtitia ſine patrono etiā condemnari videretur, propter illud maxime,quod vulgo iam tum ferebatur,vt ſcribit idem Auguſt. rempub. regi ſine iniuria non poſſe. Eam igitur ob cauſam res videtur in ſequentem diem dilata fuiſſe. Quod cum ita ſit,commode,vt opinor,in hoc libro tertio orationi ſuę principium id Scipio dare potuit, vt diceret ſe Phili interpellatione ab extremo orationis pro iuſtitia, &, vt ipſe ait, ab ipſa calce depulſum eſſe, & renotatum. Calcem autem veteres metam in circo appellaſſe, ex hoc loco colligi poſſe Seneca exiſtimauit. In cuius verbi interpretatione lapſus eſt vir noſtra ætate eruditiſsimus Eraſmus Roterod. in illud de ſenectute ſcribens. Nec vero velim, inquit Cicero, quaſi decurſo ſpatio a calce ad carceres reuocari. Putat enim mire coniunctas eſſe duas metaphoras,

phoras, alteram a corpore humano, alteram a ſpatio ludorum equeſtrium: cum ſane vtrunque, niſi ab eodem deſumptum eſſet, valde non modo miram, ſed etiam prorſus frigidam redderet orationẽ totam. Nunc aũt Seneca manifeſtè iudicat, quod ille a corpore humano ſumptũ putat, id metã in circo veteribus ſignificaſſe. Porro de metis circenſibus alius eſt dicendi locus.

Nullum eſt ius naturale.] Hoc deſcriptum eſt ex Lactantio epit. cap. I. id quod quidem totum Carneadæum eſſe, & eodem illo loco, & lib. V. cap. XVIII. ſcribit: repetitum autem eſſe in his libris a Furio, memorat lib. V. Equidem vix præ me ferre audeo, atq; etiam ne prę me fero quidem, totidem verbis perſcriptam fuiſſe eam ſententiam a Cicerone, quòd videam aliis atq; aliis referri a Lactantio. ſed tamen ſicut fecit Sigonius, in fragmento ſequenti perſcribendo, vt quæ iã in libro quinto, quàm in ipſa epitome apud Lactantium referuntur, ea verbis ex epitome deſumptis perſcribere maluerit, idem ego mihi hoc in loco cenſui eſſe faciundam. ſunt enim profecto reliquis accõmodatiora. Videtur autem ijs verbis Cicero Thraſymachum illum Platonis exprimere voluiſſe, qui ius omne opinabile eſſe, non naturale, affirmabat, idq; eſſe definiebat, quod ei qui plus poteſt, vtile ſit. Ad quem etiam Strabo alludens lib. primo, dicit nonnullos aſſeruiſſe id demum iuſtum eſſe, τὸ τοῦ κρείττονος συμφέρον, commoditatem videlicet potentioris, de qua re dicemus etiam ad finem eius libri.

Aut occupare, aut mori.] OCCVPARE, tabulam videlicet, aut equum quo alter iam vehatur, vi capere. Quo verbo poſſet etiam fortaſsis intelligi id, quod alioqui dicimus anteuertere: quod proprie gladiatorum eſt, qui, vt mortem ipſi propoſitam fugiant, aduerſarium neci dant occupatum. Vide Gellium lib. VII. cap. III. & copioſius. Non. Marcellum lib. de var. ſign. ſermonum. Meus liber pro OCCVPARE, legit, OCCIDERE, in actiua videlicet ſignificatione, pro perimere: quanquam vtrunque & reprehendi poteſt, mea quidem ſententia, & defendi. In fine eius fragmenti, pro, QVIA NOCEBIT, mallem clariore ſententia legi, QVIA ALII NOCEBIT. Alioqui enim τὸ NOCEBIT, videbitur eſſe ad τὸ, SIBI, referendum, quod res ipſa repudiat.

Sapiens ſed idem malus] Ad hunc locum reſpexiſſe mihi idem videtur, dum ſic ſcribit ad Atticum lib. VII. epiſtola Brundu-

d a ſium

ſium venimus. Non intelligunt, inquit, ſe de callido homine loqui, non de bono viro. Et mox. Sed hęc opinor, inquit, ſunt in ijs libris, quos tu laudando animos mihi addidiſti.

Contra autem, qui ſit improbiſsimus, exiſtimet] Olim erat, EXISTIMETVR. ſed ego de vera, vt puto, lectione cum per me ipſe diuinarem, tum inueni poſtea ab aliis animaduerſam eſſe. Quid vero præterea, ſi ſic? ET CONTRA EVM QVI SIT IMPROBISSIMVS EXISTIMET &c. neque enim placet, & hic, & paullo poſt, CONTRA AVTEM, & librarius in PVTET E|T CONTRA, facile, &, omittere potuit, præſertim ſi ita ſcriptum viderat, vti multa in Pand. Florent. ſcripta extant, putET contra: quod tantundem eſt ac ſi ego ſcribam, putet et contra. In fine vero fragmēti pro OMNIVM AESTIMATIONE, lego ex meo Lactantiò OMNIVM EXISTIMATIONE. Paullò autem poſt id fragmentum, induxi etiam vnum obeliſco, prorſusq; ſuſtuli. Quod ita legebatur. ETENIM QVAERO, SI QVIS PATERFAMILIAS LIBERIS SVIS A SERVO INTERFECTIS, VXORE OCCISA, INCENSA DOMO, SVPPLICIVM DE SERVO VNQVAM ACERRIMVM SVMPSERIT, VTRVM IS CLEMENS, AC MISERICORS, AN INHVMANVS, ET CRVDELISSIMVS ESSE VIDEATVR. Extat enim oratione IIII. in Catil. In quo tamen quòd olim etiam, pro, SERVO VNQVAM, SERVO NEQVAM, repoſueram, cū prǽſertim alibi, NVNQVAM. legeretur, contraria plane ſententia; eam emendationē, quam Sigonius etiā tum approbauit, nec ſententia ipſa nunc reſpuit, nec ego adhuc ſanè repudio, prǽſertim cum vulgatæ lectioni, quæ habet, De ſeruis quàm acerbiſsimum, illud opponi poſſe videatur, quod in vocabulo, Seruis numerum non retineat, nec eum qui præceſsit, nec eum qui ſequitur. Supra enim legit, A SERVO INTERFECTIS, & infra, DOLORE NOCENTIS, vtrobique videlicet ſingulariter: hic autem, DE SERVIS QVAM ACERBISSIMVM numero multitudinis. Tota periodus ſic habet, vt eſt quidē in vulgatis libris. ETENIM QVAERO, SI QVIS PATERFAMILIAS, LIBERIS SVIS, A SERVO INTERFECTIS, VXORE OCCISA, INCENSA DOMO, SVP-

SVPPLICIVM DE SERVIS QVAM ACERBISSIMVM SVMPSERIT, VTRVM IS CLEMENS AC MISERICORS, AN INHVMANISSIMVS ET CRVDELISSIMVS ESSE VIDEATVR? MIHI VERO IMPORTVNVS AC FERREVS, QVI NON DOLOREM SVVM ET CRVCIATVM DOLORE NOCENTIS ET CRVCIATV LENIERIT. Cum mihi quidem legendũ videatur, DE SERVO NEQVAM ACERRIMVM vel ACERBISSIMVM &c. Quanquam, si dicendum est quod sentio, mallem etiam in extremò legi clarius, SI NON DOLOREM SVVM, pro, QVI NON DOLOREM SVVM. Quam lectionẽ confirmat, cũ illud quod præcessit, SI QVIS PATERFAMILIAS, tum illa etiam, quæ ibi statim sequitur, similitudinis adaptatio. SIC NOS, INQVIT, IN IIS HOMINIBVS, QVI NOS, QVI CONIVGES, QVI LIBEROS NOSTROS TRVCIDARE VOLVERVNT, SI VEHEMENTISSIMI FVERIMVS, MISERICORDES HABEBIMVR: SIN REMISSIORES ESSE VOLVERIMVS &c.

Quo scelere compulsus] Bis citatur a Nonio. Legitur autem alibi COMPVLSVS, alibi IMPVLSVS.

Non grauarer Læli] Ex Gellio descriptum lib. I. cap. XXII. noct. Atticarum hocque illud est, quod August. ita scribit, post expositam defensionem iniustitię hoc eodem tertio libro a Philo habitam. Tum Lælius, inquit, rogantibus omnibus iustitiam defendere aggressus &c. Sunt enim hæc, vt puto, verba Scipionis: cui, cum Lælius pro iustitia differendi prouinciam, quam ipse recusaret, imponere velle videretur, hoc ab eo responsum tulit, se ipsius causa non grauate facturum fuisse, nisi id & suę, & ceterorum, & ipsius in primis Lælij voluntati aduersari intelligeret. Ostendi autem supra, locum esse non ex secundo, vt Gelliani codices per mendũ habent, sed ex tertio libro de repub. Mire enim quadrat, & rei ipse, & Augustini testimonio, quod proxime recitauimus. Nisi forte ego, quo'nam potissimum fragmẽtum pertineret, non optimus vates non bene conijcere potui.

Huic legi nec obrogari] Sic emendauimus: cum olim vulgo legeretur PROPAGARI. Quam nostram emendationem sic olim quoque approbauit Sigonius. Huic legi nec propagari fas est.

est Patricius corrigit, Obrogari. recte. sequitur enim Derogari, & abrogari, quibus verbis tria genera labefactandæ legis expressa sunt. Sic olim Sigonius. A qua sententia cum ne in posteriore quidẽ editione recedere videatur, effecit sanè, vt cum antea in ea emendatione, diuersam aliorum quorundam lectionem intuens, magnopere confirmarer, tum nunc profecto hoc ipsius de illa duplicato iudicio ita commouear, vt eam hunc demum tutissime posse consistere mihi persuadeam: præsertim cum eos, qui locum ipsum quondam veluti emendantes, PROROGARI, legere videbantur, ita deinceps in posterioribus suis commentarijs, suæ huic sententiæ quodammodo obrogare videam, vt nobis quidem facto ipso suo, Obrogandi verbum recipiendum esse, tacite prǽscribere videantur. A Prorogandi enim emendatione sua, quasi digressi, veterem rursus agnoscunt lectionem, PROPAGARI. Nos equidem ad duo labefactandarum legum genera, tertium addendũ nobis hoc loco esse existimauimus: quæ sanè genera cum expressurus esset idem Cicero lib. de inuentio. II. obrogationem ipsam elegantissime est circumlocutus, sic. Deinde, inquit, indignum esse de lege aliquid derogari, aut legem abrogari, aut aliqua ex parte commutari. Est enim obrogare, auctore Festo, legis prioris infirmãdæ, non tollendæ causa, legem aliam ferre: sicut exrogare, eodem teste lib. v. est, ex lege vetere aliquid eximere, per nouam legem. De his autem, & reliquis labefactandę, aut etiam constituendę, & corrigendæ legis generibus, vide Vlpianum tit. I. institutionum. Quod reliquum est, in eodem hoc nostro fragmẽto, vbi statim sequitur, SEMPITERNA ET IMMORTALIS, pro eo legerem, ex meo Lactantio, SEMPITERNA ET IMMVTABILIS.

? *Ipse se fugiet*] Aut hic legendum QVIQVE SE FVGIET, quanquam Sigonio, cum de eo ad illum retulissem, non satis placuerit: aut statim post, pro, HOC IPSO LVET, recte a nobis repositum est. HOCQVE IPSO LVET. Cum hæc ita scripsissem, vidi in Franc. Balduini commentario, quem is in Iustiniani instituta elegantissimum confecit, legi quidem, IPSE SE FVGIET, sed mox addi particulam, ATQVE, sic, ATQVE HOC IPSO LVET. Quę lectio, cum ab ea quidem, quę a nobis proposita est, nihil pene differat, erit boni lectoris officium, ita alteram amplecti, vt alteram ne asperne

tur,

tur, præsertim, si Balduiniana, vti nostra quoq; , coniectura sola, non libris vllis veteribus, nititur.

Huic tu uiro] Hoc desumptũ ex Lactantio lib. v. cap. xix. Verba autem sunt Lælij, vt ibidem testatur Lactantius. Et si autem eo loco librum non citet Ciceronis, tamen a Lælio prolata esse dicat, ad libros de repub. putaui pertinere, Quod cum ita sit, delendum sanè illud hoc loco esse existimo, quod mea quidem sententia, in verbis Lactantij allusionem tantum habet ad proposita verba Ciceronis. Sic enim est apud Lactant. lib. v. cap. xxiii. IVSTVS VERO AC SAPIENS, QVIA ILLA OMNIA HVMANA SVNT, SVA BONA DIVINA IVDICAT, NEC ALIORVM QVIDQVAM CONCVPISCIT, NEQVEM CONTRA IVS HVMANITATIS LAEDAT OMNINO, NEC VLLAM POTENTIAM, HONOREM VE DESIDERAT, NE CVI FACIAT INIVRIAM.

Noster autem popolus socijs defendendis] Hanc sententiam sic expressit libro de officijs. ii. Quandiu, inquit, imperium populi Rom. beneficijs tenebatur, non iniurijs, bella aut pro socijs, aut de imperio gerebantur, exitus erant bellorum aut mites aut necessarij: regum, populorum, nationum portus erat & refugium senatus. Nostri autem magistratus imperatoresq; ex hac vna re maximã laudem capere studebant, si prouincias, si socios æquitate & fide defendissent. itaque illud patrocinium orbis terræ verius quàm imperium poterat nominari.

Pyrrhi ridetur] Alias PYRRHI RIDET, alias PYRRHI VIDELICET.

Cuius etiam focum] De hoc loco vide Victorium var. lection. lib. x. cap. v. Præterea autem idem ille Nonius, ex cuius hoc fragmentum libro de doctorum indagine desumptum est, scribit statim initio libri de vocabulis ab A littera incipiẽtibus. Apud, inquit, significat iuxta. Sisenna hist. lib. IIII. Dum pristinum vinum apud ignem per sudorem corpore exhauserunt. M. Tullius de off. Cuius focum mirari solitus Cato, apud quem ille sedens, Samnitum quondam hostium, iam clientum suorum, munera repudiauerat. Qui mihi locus propter plurima videbatur esse adnotandus. Hic enim & liber citatur de officijs, pro libris de repub. & Mirari, pro Visere, & Repudiauerat, pro Relegauerat.

Nullum

Nullum bellum suscipitur] Sumptum ex Augustino. lib. xxii. ciuit. cap. vi. Scio, inquit ille, in libro Ciceronis tertio, nisi fallor, de repub. disputari nullum bellum &c. Etsi autem profectò haud valde affirmauerim, totidem verbis perscriptum fuisse a Cicerone, tamen ex ijs, quæ ibidem statim subdit Augustinus, non magnopere etiam dubitaui reponere. Sic enim scribit Augustinus statim post eius fragmenti verba. Quid autem, inquit, intelligat Cicero pro salute, vel quam intelligi salutem velit, alio loco demonstrauit &c. Verba autem. PRO SALVTE. sunt verba fragmenti huius. Sed & paullo post, eodem illo capite citat verba eius fragmenti planissime. Sed hi, inquit, quomodo huic disputationi possent obedire nō video, vbi dicitur nullum suscipiendum esse bellum, nisi aut pro fide, aut pro salute. Ceterum duo, quæ in hunc locum videntur fragmenta irrepsisse, pellenda esse possessione existimarem. Alterum illud est. ILLA INIVSTA BELLA SVNT, QVAE SVNT SINE CAVSA SVSCEPTA. NAM VLTRA VLCISCENDI, AVT PROPVLSANDORVM HOSTIVM CAVSAM, BELLVM IVSTVM GERI NVLLVM POTEST. Quod Isidorum magis, quàm Ciceronem, videatur redolere. Alterum illud. NVLLVM BELLVM IVSTVM HABERI VIDETVR, NISI DENVNTIATVM, NISI INDICTVM, NISI DE REPETITIS REBVS. quod extat manifeste in lib. i. off.

Quorum non corpora] De Hercule, & Romulo loquitur, teste Augustino. Nam Romuli quidem corpus in cœlum assumptum credidit populus, persuadente Iulio Proculo. Vide Liuium lib. i. Et Herculis corpus ab Aesculapio sanitati restitutū, ad eumq; modus in cœlo esse collocatum, Græci fuerunt fabulati.

Magis est in Romulo admirandum] Esse hoc Ciceronis, dubium nullum est, vel testante Augustino. Sed an ex tertio libro de repub. vel etiam an omnino ex libris de repub. dubitationem habere videtur: & quidem hoc magis, quòd in eodem illo capite Augustinus, quo hoc fragmentum affert, paullo infra, aliud fragmentum allaturus, habet hæc verba. Scio, inquit, in libro Ciceronis, in fallor, tertio de repub. disputari nullum bellum suscipi. De. vt erat in fragmento ab hinc tertio. Dixisset enim profectò, eodem in libro, & non, libro tertio, si hæc, vt illa, eodem libro contineri existimasset.

Romuli autem ætatem minus.] Erant, qui de errore suspicarentur, nec locum admodum intelligerent. nunc suspicio quidem omnis, locutionis genere, sententiæ autem obscuritas temporum ratione tollitur demonstrata. Sed ante omnia interpungo sic. ROMVLI AVTEM AETATEM MINVS HIC SEXCENTIS ANNIS, IAM INVETERATIS LITTERIS ATQVE DOCTRINIS, OMNIQVE ILLO ANTIQVO EX INCVLTA HOMINVM VITA ERRORE SVBLATO, FVISSE CERNIMVS. Deinde expono. Ex hominibus vnquam deos factos esse, id quidem hominibus ipsis probari potuisse, in Romulo magis mirari. De ceteris enim, rudioribus adhuc sæculis probare facile fuit. De Romulo autem, cuius a regno toti sexcenti anni non præteriere, difficile nimirum fuit persuadere: cum iam videlicet hominum ingenia priscam ruditatem deposuissent, cultioraque passim extitissent. Nam illud, MINVS HIS SEXCENTIS ANNIS, tantundem prope valet, quantum, quod aliàs solet idem dicere, intra hos sexcentos annos. sic illud eiusdem accipio, XIIII. ad Atticum. Verum ille gaudens, affirmatque minus diebus XX tumultum Gallicum. Et illud. I. de diuin. Remigem quendam ex quinqueremi Rhodiorum vaticinatum, madefactum iri minus XXX diebus Græciam sanguine. hoc est intra hos XX & XXX dies: &, vt nos loqui solemus, antequã dies XX aut dies XXX elabantur. vt sit sensus fragmenti: Romuli ætatẽ videmus extitisse intra hos sexcẽtos annos. videamus igitur an verum sit quod ait, ex ratione temporum. equidem disputatio hæc de repub. habita est Sempronio & Aquillio coss. vt colligitur ex lib. III. epist. ad Q. fratrem, qui fuit annus V. C. DCXXIIII. ad rationem Capitolinorum fastorum. Romulus autem mortuus est anno vrbis XXXVII. Inde igitur ad tempus disputationis, sunt anni sexcenti, minus tredecim. Quod autem ætas illa fuerit iam litterata & ciuilis, cum fragmentum ipsum inferius exponit, tum vide etiam Cicerone ipsum in Bruto XVII. XVIII. XIX. & I. Tuscul. II. & pro Archia sub initium, & Gell. lib. XVII. cap. XXI. Hoc autem etiam referendum esse existimo non tam ad Romanos, qui tum nondum sat exculti erant, quàm ad Græcos. Nam in lib. I. de diuin. Romuli auguratum pastoralem adhuc, non vrbanum appellat. & ibidem supra. pastoribus illum ait præfuisse. Et in præfatione Tusculanæ I. poetas, quod

c fuit

fuit e doctis genus antiquissimum, DX anno in vrbem venisse demum ait. Et in Bruto Cornelium Cethegum, qui primus ex Romanis orator habitus est, annis demum ante se Consulem CXL. scribit cum Tuditano consulem fuisse. Certe Gellius lib. xv. cap. xi. cum duo S. C. de philosophis & rhetoribus recitasset Roma eijciendis, addit. Neq; illis solum, inquit, temporibus nimis rudibus necdum Graeca doctrina expolitis, philosophi ex vrbe Roma pulsi sunt, verumetiam Domitiano imperante S. C. eiecti atque vrbe & Italia interdicti sunt. Atqui Fannius & Valerius coss. quibus contra philosophos S. C. factũ fuit, fuerunt in magistratu anno vrbis D. XCII. vt habent fasti Capitolini. Crassus autem & Domitius coss. anno, vt habet Plin. lib. xvii. in praefatione, DCLII. qui Latinos rhetores edicto coercuerunt, Et Augustinus lib. xviii. ciuitatis dei cap. xxiiii. de hoc fragmento ita verba facit, vt ostendat primum Romulo regnante, Thaletem Milesium vnum e sapientibus septem in graecia extitisse; deinde inferat, Ciceronem magnis Romuli laudibus tribuere, quòd non rudibus & indoctis temporibus, sed expolitis iam & eruditis, meruerit hos honores, vt in deos referretur, & ad hominum opinionem consecraretur. Cicero profecto diuinitatem hanc Romuli, suis iam temporibus subindicare videtur existimatam fuisse fabulosam. Sic enim scribit lib. i. de legibus. Tuine versus hanc quercum seuerint, an ita factum de Mario, vt scribis, acceperis. M. Respondebo tibi equidem, sed non antè quàm tuipse mihi responderis Attice, certo'ne (sic enim lego) non longe a tuis aedibus inambulans post excessum suum Romulus Proculo Iulio dixerit se deum esse, & Quirinum vocari, templumque sibi in eo loco dedicari iusserit &c.

Antiquitas enim recepit fabulas] Vnde illud Cic. lib. ix. Atticum. Vide quàm sim antiquorum hominum, inquit. id autem est, simplici, neque aliqua ex parte callido ingenio, quales etiam Graeci ἀρχαίους vocant. Quod eius loci sententiã attinet, Liuius in praefatione lib. i. sic loquitur. Datur haec venia antiquitati, vt miscendo humana diuinis primordia vrbium augustiora faciant.

Haec autem aetas iam exculta praesertim eludens omne quod fieri non potest respuit] Non prorsus mihi hoc in loco, & quidem maxime in verbo, Eludens, satisfaciebam, de mendoque suspicabar. Nunc acquiesco in lectione vsitata. Cum enim antiquitati opposuis-

posuisset posteriorem ætatem, addit, eam ipsam ætatem excultam extitisse, vt non modo vrgeat ratione ipsa temporum, quæ talis est, vt quanto posteriores, tanto homines sint doctiores, sicut ait Aristoteles: sed etiam vrgeat doctrina, & eruditione eius ętatis posterioris. Hoc sensu. Minus est loci hoc tempore ad altruendam alicui diuinitatem, quàm fuit priscis illis temporibus. Illa enim ætas fabulas etiam recepit: hæc autem, præsertim cum ad eum doctrinæ cultum peruenisset, in quo esse cernitur, omne ἀδύνατον non sine risu, & cachinno reijcit atque repudiat. Omnino eam lectionem agnoscit etiam Fr. Petrarcha lib. VII. episto. familiar. episto. II. quem vide de toto hoc loco disputantem.

Apud Ennium] Vide scholia Sigonij, posteriora præsertim. His enim demũ illa, a nobis olim hoc loco recitata, Senecæ verba adfert, quæ nisi haberemus, adfirmare sane vix possemus, versus Ennij propositos in his libris a Cicerone repetitos extitisse. verba ipsa Senecæ sic habent ex lib. xx. epistolarum. Cum Grammaticus, inquit, libros de repub. Ciceronis explicuit, felicem se putat, quòd inuenerit, vnde visum sit Vergilio dicere,

quem super ingens
Porta tonat Cœli.

Ennium hoc ait Homero surripuisse, Ennio Vergilium. Esse Ennij apud Ciceronem in his ipsis de repub. hoc epigramma

Si fas cedendo cœlestia scandere cuiquam est,
Mi soli cœli maxima porta patet.

Sunt autem quoque libri Senecæ, qui priorem versum legunt sic.

Si fas est plagas cęlestum ascendere cuiquam.

In eodem autem fragmento pro, EST VERO, INQVIT, AFRICANE, legerem, vel, EST VERO', ITA AFRICANE. Notum est enim verbum, inquit, quod in Lactantio hoc loco, non tam Ciceronis quàm Lactãtij ipsius esse videtur, verba Ciceronis commemorantis, sępenumero pro verbis alijs substitui. quod nos etiam statim admonebimus. Vel lege, rem simpliciter, ET VERO AFRICANE. Hoc enim magis etiam, quàm Est vero, assentienti, hoc quidem in loco, conueniret. vt illud. Et vero max. ille Scipio vehemens fuit. Et illud infra lib. VI. Et verò in dissensione ciuili, cum boni plus, quàm multi valent, expendendos ab his non numerandos puto.

Hic est ille situs] Seneca lib. eodem xix. epistola prima, hæc verba habet. Ex iisdem, inquit; de repub. libris grammaticus Ennianos versus colligit, & in primis illos de Africano scriptos. Cui nemo ciuis &c. Ad quorum quidem caput versuum, facile illud sum pertinere arbitratus, quod habet Cicero II. leg. Hic est ille situs. Sic enim ibi habet. Antiquissimum genus sepulturæ fuisse, cum terræ corpus redditur, & ita locatū ac situm quasi operimento matris obducitur, declarat Ennius de Africano. Hic est ille situs &c. Etsi autem diuinare non potui, ad quem locum hæc omnia proprie pertineant, tamen, quia & in libris de repub. Seneca teste, fuerant, & hoc in loco versus alij recensebantur, visum quoque fuit ea ijs subiungere: si modo non meritò erant præferenda, cum Seneca hos primum versus grammaticum scribat ex ijs libris colligere. Versus sane esse Ennianos de Africano, & Cicero scribit, & Seneca. Quorum quidem versuum rationē quod attinet, etsi prior, vt Petro quoque Royzio Maureo viro doctissimo videtur, certius constaret, si legeretur, Cui ciuis nemo &c. Tamen, vt idem etiā animaduertit, sic quoque vti est constat, & magis antiquum continet. Cui nemo ciuis neque hostis. Posterior autem haud scio an aliter constare possit, quàm si pro, Operæpretium, legatur, Opræpretium, vt ego censeo: vel vt Io. Cochanouius meus iudicat, Operpreciū.

Subito sole obscurato non comparuisset] Seneca lib. xix. eodem epistolarum. Quum ad hanc lectionem (loquitur autem de libris de repub.) philologus accessit, notat Romulū perijsse solis defectione. Quod cum scribit, vel huc respicit, vel ad illud lib. vi. Olim deficere sol hominibus extinguiq; visus est, cum Romuli animus &c.

Vult planè virtus honorem] Declarauimus, &, vt puto, illustrauimus hunc locum alibi, quod satis esse ad Lactātium illustrandum iudicauimus. nunc nihil addo. optime enim Sigonius. illud vnum, animaduertendam esse rationem interpunctorū, quæ in libris quibusdam nonnihil conturbata cernitur, & retinendā lectionem, NAE ILLA SE TAMEN MVLTIS, pro, NEC ILLA SE MVLTIS. quæ sane omnia partim ex optimis exemplaribus desumpta, partim ex coiectura sunt. Etsi enim τὸ TAMEN, absit ab Lactantij exemplaribus, tamen in eo loco manifeste Lactantius τὸ, INQVIT, interponit, & pro τὸ, TAMEN, substituit, sicut & in libro de consolatione,

pro,

pro, ENIM: vbi cum Cicero scripsisset, Nihil est enim in animis mistum (quemadmodum ex prima Tusc. intelligitur) Lactantius libro de ira dei cap. x. sub finem legit. Nihil est, inquit, in animis mistum. videlicet pro, ENIM, INQVIT, substituit: sicuti hic pro, TAMEN, Quam sane particulam sententia ipsa exposcere videtur hoc quidem in loco. Quod autem in hoc fragmento ingratorum, inuidorum meminit, idem ita expresit in ea pro Flacco, in ipso initio. Sed si forte, inquit, aut beneficij obtrectator, aut virtutis hostis, aut laudis inuidus extitisset &c.

Ciuitas autem] Disiunctum erat à superiore: ego coniunxi, ex ipso August. Vbi etiam pro, AC CONCIDAT, legitur, ET CONCIDAT, iucundiore sono. Ad eius autem totius loci sententiam videtur respexisse Scipio in oratione apud Liuium lib. xxviii. Ne istuc inquit, Iuppiter opt. max. sierit, vrbem auspicato diis auctoribus in æternum conditam, fragili huic & mortali corpori æqualem esse. An autem hoc fragmentum ad eum librum pertineat, videndum esse puto. Augustinus enim, ex quo id sumptum est, non plane significat.

Atque hactenus sane, ab illo loco, vbi vera lex definiebatur, esse verba videntur Lælij, iustitiam contra patrocinium iniustitię superius eodem libro a Furio propositum, defendentis. Ad quorũ ego quidem cumulum addam nõ grauatim ea, quæ, ex eiusdem Lælij sententia, idem Cicero libro de finibus II. recitat ijs verbis. Si scieris, inquit Carneades, aspidem occulte latere vspiã, & velle imprudentem super eam assidere, cuius mors tibi emolumentum factura sit: improbe feceris, nisi monueris ne assideat: sed impune tamen id te constat fecisse. quis enim coarguere posit? Sed nimis multa, perspicuum est enim, nisi æquitas, fides, iustitia proficiscantur a natura, & si omnia hæc ad vtilitatem referantur, virum bonum non posse reperiri. Sed de his rebus, inquit, satis multa in nostris de repub. libris sunt dicta a Lælio.

Vbi uero iustitia est] Extractum ex Augustino lib. xix. ciuit. dei. cap. xxi. Videtur enim profecto esse Ciceronis, cũ reprehensione ad extremum definitionis iustitiæ, allatæ à Thrasymacho apud Platonem, lib. I. de repub. de qua etiam superius diximus, eius libri initio.

Quòd eam coercet] Legebatur, atque adeo legitur in Augustino.

no. QVO EAM COERCET. Putaui, vel QVO EAM COERCET, vel, QVOD EAM COERCET, legi rectius. Eandem autem differentiam imperiorum, quam hoc loco tractauit Cicero, copiosius, vt puto, persecutus est. 11. Tusc. quę verba, quoniã memorabilia sunt, minime piget adscribire. Reliquũ est, inquit, vt tutę tibi imperes: quod quanquã nescio quo modo dicatur, quasi duo sumus, vt alter imperet, alter pareat, non inscite tamen dicitur. Est enim animus in partes distributus duas, quarũ altera rationis est particeps, altera expers. Cum igitur pręcipitur, vt nobisinet ipsis imperemus, hoc præcipitur, inquit, vt ratio coerceat temeritatem, & pergit. Est in animis hominum, inquit, omnium ferè, natura molle quiddam, demissum, humile eneruatum quodammodo, & languidum. Si nihil esset aliud, nihil esset homine deformius. sed præsto est domina omnium, & regina ratio, quę connixa per se, & progressa longius, fit perfecta virtus. hæc vt imperet illi parti animi, quæ obedire debet, id videndum est viro. Quonã modo, inquies? Velut seruo dominus, velut imperator militi, velut parens filio. si turpissimè se illa pars animi geret, quam dixi esse mollem, si se lamentis muliebriter, lachrymisque dedet, vinciatur, & constringatur amicorũ, propinquorumque custodijs. Sæpe enim videmus fractos pudore, qui ratione nulla vincerentur. ergo hos quidem, vt famulos, vinclis ac custodia arceamus. qui autem erunt firmiores, nec tamẽ robustissimi, hos admonitu simili oportebit, vt bonos milites, reuocatos dignitatem tueri. Quam rem statim exẽplis illustrat poetarum. Deinde inquit, In quo autem viro erit perfecta sapientia, is sic illi parti imperabit interiori, vt iustus parens probis filijs: nutu quod volet conficiet, nullo labore, nulla molestia: eriget ipse se, suscitabit, instruet, armabit, vt tanquã hosti sic obsistat dolori. Et mox. Quę sunt ista arma? inquit, contentio, confirmatio, sermoque intimus. cum ipse secũ: caue turpe quidquam, languidum, non virile, & quæ sequuntur.

Exportauerunt in Græciam] Si verum est quod dicunt grammatici, aut legendum hic est, IMPORTAVERVNT, aut intelligendũ, EXPORTAVERVNT ex Phęnicia in Græciam. Sicut loquitur idem Cicero in ea pro Flacco. Cùm aurum, inquit, Iudæorum nomine, quotannis ex Italia, & ex omnibus vestris prouincijs Hierosolymam exportaretur. Cæsar equidem Importandi, non Exportandi verbo vtitur in re propemodum

dum eadem, cum initio lib. 1. belli Gallici sic scribit de Belgis. Minime, inquit, mercatores ad eos sæpe cômeant, atque ea, quæ ad effeminandos animos pertinent, important. Totum autem hoc fragmentum quò pertineat, ego, cum verba illa Ciceronis ipsius attendo in libro de officijs. 11. quæ superius recitaui, videor quodammodo posse diuinare. Verba ipsa sic habet. Quod præsens tanquam in manum datur, iucundius est, tamen hæc in posterum gratiora. Theatra, porticus, noua têpla, verecundius (sic enim lego) reprehendo propter Pompeium, sed doctissimi non probant &c. & Phalereus Demetrius, qui Periclem principem Græciæ vituperat, qui tantam pecuniam in prçclara illa propylęa coniecerit. Sed de hoc, inquit, genere toto in his libris, quos de repub. scripsi, diligenter est disputatum. Sic Cicero. Eodem autem pertinere superiora quoque tria fragmenta existimo. Noster autem populus. Pyrrhi videtur. Cuius etiam focum. Nimirum omnia de largitione tractant, & vero, præposteroque diuitiarum vsu.

Duas sibi res] De Isocrate, quem etiam de se scripsisse, aliter non nihil scribit lib. de orat. 11. Pudore se videlicet a dicendo, & timiditate quadam ingenua refugisse.

Sed vt ipsi seu animum periclitentur] Alias erat, SED VT IPSI NIMIVM SEV PERICLITENTVR. In Salogæ Nonio, & alibi, SED VT IPSIS SEV ANIMVM PERICLITENTVR, scripsi, SED VT IPSI. EV ANIMVM PERICLITENTVR. Nisi fortè legendũ sit pro, SEV ANIMVM, SVVM ANIMVM. Plaut. Amphyt. Periclitatus sum animum tuum.

In librum quartum de Repub.



CVMQVE *autumno terras*] Hic locus sic habebat. CVMQVE AVTVMNO TERRAS AD CONCIPIENDAS FRVGES PATEFECERIT, HYEME AD CONCIPIENDAS RELAXARIT, MATVRITATE ALIA MITIGAVERIT, ALIA TORRVERIT. In quibus ego verbis primo, e x coniectura, voci, RELAXARIT asteriscum præposui:

posui: deinde ex Salogano Nonio,& alijs, dictione Mitis, post idem verbũ,addidi hoc modo, RELAXARIT A FISTVLA MATVRITATE. Etsi autem nec dum ad eum modum fragmentum ipsum prorsus emaculatum sit,tamen iter quidem nonnulla ex parte præbet ad sui emendationem. Succurrendum est igitur,quà possumus, sanctissimis istis reliquijs antiquitatis. Ac cetera quidem aliàs, nunc totum fragmentum hoc sic lego, quemadmodum superiore quoque editione mea legendum existimaui. CVMQVE AVTVMNO TERRAS AD CONCIPIENDAS FRVGES PATEFECERIT,HYEME AD CONFICIENDAS COMPRESSERIT,VERE AD DIFFVNDENDAS RELAXARIT,AESTATE AC MATVRITATE ALIA MITIGAVERIT,ALIA TORRVERIT. Vel,AESTATE AD MATVRITATEM ETC. Quid ita? primum, propter illud,A FISTVLA quod est in Salogono,& alijs,vestigium,vt mihi quidẽ videtur, germanę lectionis: deinde,quia verisimile vix videbatur,hyemem tantum,& autumnum nominari,ceteras anni partes reticeri:postremò,quia Relaxandi verbum,hyemi,ad quod vocabulum adhæserat,parum esse accommodatum existimabatur,verbũ autẽ. CONCIPIENDAS bis per mendum repetitũ cernebatur. Quid nos igitur fecimus? Primũ,hyemi sua vocabula accõmodauimus: Deinde ver omissum reposuimus,eiq; sua etiam verba,vnum recens tribuimus, alterum vetus conseruauimus. Postremo,ęstatis, relicta & penè obruta vetustate,vestigia renouauimus. Quarum rerum omniũ antequam rationem reddamus,libet sententiam persimilem eiusdem Ciceronis hoc loco adscribere,quæ extat in libro ipsius de senectute,ijs verbis. Me quidem non fructus modò,sed etiam ipsius terræ vis ac natura delectat: quæ quum gremio mollito ac subacto semen sparsum excepit,primum id occęcatum cohibet: ex quo occatio,quæ hoc efficit,nominata est: deinde tepefactũ vapori & complexu suo, diffundit, & elicit herbescentem ex eo viriditatem: quæ nixa fibris stirpium,sensim adolescit,culmoq; erecta geniculato,vaginis,iam quasi pubescens includitur,e quibus quum emerserit,fundit frugem spicę ordine structã,& contra auium minorum morsum munitur vallo aristarum. Sic Cicero. Dicamus igitur, ac, quod promisimus,facti nostri verbis aliquanto pluribus reddamus rationem. Primum inquam hyemi
verba

verba duo accõmodauimus, alterum, FRVGES CONFICIEN DI, alterum, TERRAS COMPRIMENDI. AC CONFICIEN DI quidem vocabulum in verbo CONCIPIENDI, adumbratũ, sonorũ affinitatẽ quodammodo indagantes concepimus ipsi atque cõfecimus. Cũ enim, particula, CONCIPIENDAS, bis, vt diximus, legeretur, de autumno videlicet, & de hyeme, eã autumno quidem, vt par fuit, reliquimus, hyemi autem, vestigia quasi relegentes, pro CONCIPIENDAS, CONFICIENDAS, affinximus. Esse autem recte, alteri suum relictũ alteri propriũ tributum verbum, inde intelligi potest, primum quod quantum quidem ad autumnum attinet, lectio minime corrupta videbatur: deinde etiam quòd locus ex libro de senectute propositus, eandem fortassis anni partem significãs, & Gremij uocabulum adhibet, & Excipiendi verbum, pro verbo Concipiẽdi, vsurpat: quod verbum alioqui auctor idem non dissimulauit in II. de Deor. nat. cum terram semina non tam excipere, quam concipere diceret: & ibidem paullo inferius, semen incidere non tam in excipientẽ quàm in concipientẽ compręhẽdentemque naturam. vtrobique videlicet translatione a mulieribus ducta: sicut & paullo post ibidem, terram grauidatã seminibus appellat, & it ẽ paullo inferius, fœtã frugibus. Cuius generis trãslatione vti quoq; videtur in Hortensio, dũ inquit, doctrinis excoli animos, & ad sapientiã concipiendã imbui & præparari decere. Quod aũt hyemẽ attinet, principio, cũ in verbo CONCIPIENDAS, bis, vt diximus perperã usurpato mendũ esse videremus, appo- situri propemodũ hyemi eramus verbum COHIBENDAS, quo quidẽ verbo de senectute vtitur Cicero, hyemẽ, vt videtur, circũscribens: sed id quidem principio a vestigiis verbi CONCIPIENDAS longius recedere videbamus, deinde verbum CONFICIENDAS, quod iã tum repereramus, & sono ipso magnopere ad verbum CONCIPIENDAS accedere, & significatione sua hyemis officium valde repræsentare intelligebamus: quod hyems videlicet semen per autumnum conceptum non secus conficere soleat, quàm cibum dentes intimi, qui genuini uocantur: quibus sanè conficiendi officium adscribit idem Cicero II. de nat. deor. Cui quidem officio occatio ipsa, cuius in loco ex libro de senectute proposito mentio fit, magnopere respondere videtur. Confici autem quoque semina hyeme intelligo in terræ ipsius ueluti aluo quodam, inclusiui caloris: cum ignẽ quoque idem Cicero confectorem appellat. quanquam alterius generis ignem, & alia ratione. Vide lib. II. de nat. deor. bene ante eum, quẽ modo citauimus locum. Vnde in Aecono-

mico etiam dixit, coqui ac confici cibaria. Equidem in aluo quoque animantis cocta atque confecta omnia diuidi per reliquum corpus, scribit idem iste Cicero, eodem illo in secundo de deorum natura libro, statim post descriptionem dentium genuinorum. COMPRIMENDI autem verbum, quod alterum est ex iis, quæ hyemi accommodauimus, opposita ratione ad verbum RELAXANDI, quod per nos veri seruatum est, inuestigauimus. Sic enim propemodum dixit Verg. I. Aeneidos, cum de ventis, & eorum rege loqueretur.

Qui fœdere certo.

Et premere & laxas sciret dare iussus habenas.

Sic ipse quoque Cicero in Oratore. Zeno cum compresserat digitos, pugnumque fecerat, dialecticā aiebat eiusmodi esse; cum autem diduxerat, & manum dilatauerat, palmæ illius similē eloquentiam esse dicebat. Et item II. de Finib. de eodem, Rhetoricam palmæ, Dialecticā pugno similemesse dicebat quod latius loquerētur rhetores, dialectici autē compresśius. Nisi quis fortaśsis maluisset Astringēdi verbo, quàm Comprimendi vti, quo vsus est etiam Cicero eodē, quem sæpe citauimus, II. de deorū natura libro, vbi de depulsu reliquiarum cibi loquitur. Quemadmodum, inquit, reliquiæ cibi depellantur, tum astringētibus se intestinis, tum relaxantibus, haud sanē difficile dictu est. His igitur, quæ ad hyemem pertinebāt, a nobis expositis, pergamus ad demonstradum, ea quæ veri per nos tributa, sint recte nos atque ex ratione tribuisse. Qua in re DIFFVNDENDI quidem verbum vnde haustum per nos, ad eumque locum deductum existat, facile arbitrari poterit, qui modo ad propositam illam ex libro de senectute sententiam oculos animumque conuerterit. Sic enim ibi Cicero, cum per hyemem cohibitum in terra, atq; occultatum semen esse dixisset, addit, vernum fortaśsis tempus significans. Deinde, inquit, tepefactum vapore, & complexu suo diffundit. Equidē effundi fruges, dixit etiam Horatius lib. IIII. carminum. Simul pomifer autumnus fruges effuderit. Iam RELAXANDI verbum, quod ad verbum hyemis in corruptis Nonij libris perperam adhæserat, nos inde auulsum, ueri quoque ipsi cōseruauimus. Quippe hyems anni pars frigidiśsima, terram natura sua astringit potius quàm relaxat: ver contra & relaxat terram, atque aperit, ex quo Aprili quoq; ipsi, qui uernus mensis est, nomen tributum est: & hyemem adeo ipsam soluit. Sic enim canit Horatius, in descriptione veris.

Aut flore, terræ quem ferunt solutæ.

Et paullo ante.

Soluitur aeris hyems grata vice veris,& Fauoni.

Stet igitur quod posuimus, RELAXANDI verbum recte a nobis ad ver accommodatum esse. Aestatem autem quibus quęso vestigijs consecuti sumus? illis profecto primum in Salogano libro impressis, sed iam pene euanescentibus notis, A FISTVLA: & quidem ita euanescentibus atque deformatis, vt vix vnam iam atque alteram verę lectionis litteram retinerent: deinde illa quoque planiore iam & apertione coniectura, quam ipsa nobis verisimilitudo suppeditauit, credibile vix esse, in explicādis oportunitatibus naturę, quas hoc libro expressisse Scipionem, ipse in primo de legibus testatur Cicero, duas anni solas partes commemorari, ceteras, & eas quidem magis praecipuas, silentio praeteriri. Ad quam eandem rationem emendauisse Perionium memineramus locum Timaeo eiusdem Ciceronis: qui locus, cum vbique sic legeretur. Erant autem animantium genera quattuor, quorum vnū diuinum atque coeleste, alterum pennigerum, & aerium, tertium terrestre, quartum diuinae animationis maxime speciem faciebat ex igne, ita &c. legendum ostendit. Quorum vnum diuinum atque coeleste, alterum pennigerum, & aerium, tertium aquatile, terrestre, quartum diuinę animationis, & q.s. Mirum enim erat omitti aquatilia. Equidem Cicero ipse cum alibi eadem hac de re loqueretur, qua de in hoc fragmento loquitur, quadripartitas plane, non bipartitas temporum commutationes memorat. Locus est lib. 1. Tuscul. quaest. Videmus, inquit Cicero, speciem primum candoremq; coeli, deinde conuersionis celeritatem tantam quantam cogitare non possumus, tum vicissitudines dierum atque noctium, commutationesque temporum quadripartitas, ad maturitatem frugum & ad temperationem corporū aptas &c. Sed hic de verbo DIFFVNDENDAS, quod veri ipsi tribuimus, illud obiici nobis videtur posse, quod ex Horatio nos ipsi attulimus. Cum enim is poeta fruges effundi, manifesto nō ad ver, vti nos existimauimus, sed ad autumnum retulerit, permirum videri possit, ecquonam modo nos Horatii auctoritate adductos videri velimus, Diffundendi vocabulum veri accommodauisse. Nos autem si hanc rationem sequamur, ne Ciceronis quidem ex libro de senectute allatae auctoritati consentaneum quidquā attulisse magnopere videbimus. Is enim quoq; cum semel verbum, DIFFVNDENDI, veri, vt visum fuit,

tribuisset,paullo post iterum verbo FVNDENDI vtitur,ad aliam illud anni partem accommodans. Sic enim scribit. Cum herbescēs illa viriditas,quam ex semine tepefacto & diffuso vis terrę elicuit,e vaginis quibusdam,quibus quasi pubescens inclu debatur,emerserit,fundit frugem &c. Nec aliter in ipso secundo de deorum nat. lib.cum inquit: Profecto ipsa terra eadem vi continetur,& arte naturæ, quippe quæ grauidata seminibus omnia pariat,& fundat ex se se &c. Et item: Terra legumina maxima largitate fundit &c. Itaque attentius nobis omnia considerantibus ita demum statuere in mentem venit,vt aliud esse existimemus,semen ipsum diffundi,aliud fruges ipsas fundi vel effundi: quorum vtrunque etsi vi terræ ipsius ac natura peragatur,tamen alterum altero prius ac posterius est,ita vt alterū vere ipso,alterum consequentibus deinceps anni temporibus fieri videatur. Atque hoc quidem si proprie loqui velimus,sic oportet statuamus. Cum autem hoc quidem in loco, quem ex libro quarto de repub.corrigendum desumpsimus, frugum vocabulo indifferenter vtatur Cicero,tam de semine videlicet, quàm de fructu ipso,mirum non est, si fruges diffūndi vere ipso dicat, cū semen diffundi dicere debuerit. Idem enim superius quoq; fruges concipi manifesto,& idem, si nos modo recte reposuimus, fruges quoque confici dixit,cum tamen proprie semina non fruges autumno concipi,& semina non fruges hyeme confici videātur. Nam cum deinceps æstate maturari ait,id quidem cum de fructu iam proprie dicatur,manifestò constat Ciceronē hoc quidem loco frugum appellatione, tam prò semine, quàm pro fructu varia vsum esse,plane sicut Græci quoque ipsi, τὸν κάρπον & fructum, & semen appellare consueuerunt. Illud iam quoq; non dissimulandum est,extremum fragmenti istius membrum, ad eum fortassis modum legendum videri posse,vt quemadmodum dictū fuit. AVTVMNO AD CONCIPIENDAS, HYEME AD CONFICIENDAS,VERE AD DIFFVNDENDAS, itidem dicatur, AESTATE AD MATVRANDAS. De quo iam alij viderint. Hæc est ratio lectionis meæ. Quam sane lectionem, quod in ipsum olim contextum iam repositam,hac editione exemisse inde rursus planissime videor, non eo feci,quasi minus de illa hoc tempore sentiam,cum eam sanè magis etiam confirmauerim,sed quòd,cum sententiam meam de reficiēdis antiquitatis ruinis exposuerim,

voluerim

voluerim ipsas quoque illas ruinas, sic uti sunt, spectandas exhibere, quorum profectò hic iste næuus eiusmodi magis interdū delectare videtur oculos eruditos, quàm omnis fucus omnéque pigmentum extrinsecus iis aspersum ac inductum.

Eademq; obiectam uino] Hoc fragmentum aliàs ita legitur, EADEM'QVE OBIECTAM VIVO ATQVE VMBRAM NOCTEM'QVE EFFICIAT CVM NVMERVM DIERVM APTVM AD LABORVM QVIETEM. In ipso Nonio, ex quo inter fragmēta relatum est, ad eundem propè modum: nisi quod inter, CVM, & NVMERVM, additur præpositio, AD, CVM AD NVMERVM DIERVM. Equidem sicut superius de sole, ita hoc fragmentum de terra, clarissime loquitur, sed verbis nonnihil intricatis. Quo animo igitur superiori illi mederi conati sumus, eodem hoc istud aggrediamur, si quid forte proficiamus. Ac primas quidem tres voces facile aliis relinquo emēdandas: quas etsi sciam varie legi in libris Nonii, in quibus & EADEM'QVE OBIECTVM VIVO, &, EA DENIQVE OBIECTVM VIVO, & uti etiam in hoc nostro libro est, EADEM'QVE OBIECTAM VIVO, legitur, tamen ego quidem in ijs emendandis prorsus hęreo. Reliqua lego sic. ATQVE VMBRAM NOCTEM'QVE EFFICIAT, CVM AD NVMERVM DIERVM APTAM, TVM AD LABORVM QVIETEM. Loquitur enim de terra, ut dixi, quæ soli obiecta atq; opposita, umbram & noctem faciat, noctem inquam aptam, id est necessariam, ut exponit Nonius, cum ad numerum dierum (nisi sol enim occideret, & terra noctem faceret, unus quidam perpetuus dies esset, numerus dierum nullus esset) tum ad quietem laborum. Quod postremum ita expressit Cice. idem lib. II. de nat. deor. Diei, inquit, noctisque vicissitudo conseruat animantes, tribuens aliud agendi tempus, aliud acquiescendi. Librarius ex, APTAM TVM, fecerat, APTVM. Emendationem eam suggessit mihi ipse penè Nonius, qui scribit sic. Aptam, necessariam significat. particula autem, CVM, quæ præcesserat, requirere, TVM, uidebatur. Quam ego, & superioris fragmenti emendationem cum Petr. Porembio, homini integerrimo, &, quod ad eam rem pertinet, ingeniosissimo, forte fortuna Osuecimi recitarem, mirifice approbabat, meque ut eas ali-

quid

quid esse etiam ipse existimarem, planè inflammabat.

Nec uoluntatem] Hoc desumptum ex Lactantio de opificio. Sermo autem est de fabrica hominis, in qua hoc libro explicanda nullam a se diligentię studiique partem esse prętermissam testatur Cicero.

Patiamur.] Hoc olim fragmentum erat a superiore separatum. coniunxi, ex ipso Augustino, & ratione sententiæ. Ibidem quoque restitui, IAM SVAE CIVITATI, cum ante tantum legeretur, IAM CIVITATI.

Nostræ contra XII. *tab.*] Haud scio an id sit, quod Donatus in Terent. de tragœdia & comœdia significat his uerbis: Sed cum poetæ abuti licétius stylo & pasim lædere ex libidine cœpissent plures bonos, ne quisquam in alterum carmen infame proponeret, lege lata, siluere. Et quod Horat. in epistola ad Augustum lib. II. epist.

Fescenina per hunc inuenta licentia morem
Versibus alterius opprobria rustica fudit:
Libertasque recurrentes accepta per annos
Lusit amabiliter: donec iam sęuus apertam
In rabiem uerti cœpit iocus, & per honestas
Ire domos impune minax. doluere cruento
Dente lacessiti: fuit intactis quoque cura
Conditione super communi, quinetiam lex
Pœnasque lata, malo quę nollet carmine quenquam
Describi. uertere modum formidine fustis
Ad bene dicendum, delectandumque redacti.

Quanquam hæc quidem utraque tam Donati, quàm Horatii, nō magis ad pœnam duodecim tabularum, quàm ad pœnam legis Cornelię pertinere uidentur. De qua sic scribit Vlpianus L. V. D. iniuriis. Si quis, inquit, librum ad infamiam alicuius pertinentem scripserit, composuerit, condiderit, doloue malo fecerit, quo quid eorum fieret, etiam si alterius nomine ediderit, uel sine nomine, uti de ea re agere liceret, etsi condemnatus est, qui id fecit, intestabilis ex lege Cornelia esse iubetur.

Si quis occentauisset] Sic lego, sicut est in libris ueteribus. Antea erat. ACTITAVISSET. Quid autem uerbi sic occentauisset, exponit Festus.

Aeschines Atheniensis] hoc de Gręcorum, & maxime Atheniensium repub.

Probris.

Probris, & iniurijs] Hoc & sequens, de Romanorum, quasi per contentionem ad Grecorum consuetudinem, & leges. Quod autem ibi dicitur, CAPITE ETIAM PVNIRI SANCIENTES alibi abest, PVNIRI. Quod sane additum ab aliquo existimo, vim verbi, SANCIENTES, ignorãte. Quamquam ego quidem hoc totũ uix puto esse Ciceronis, sed Augustini potius, ad fragmentum illud superius respicientis, quod proxime de XII. tabulis præcessit.

Cumque nihil tam incorruptum] Translatum ex Marcellino lib. xxx. Horum obstinatione (loquitur de tabulis forensibus) libertatem temeritas, constantiam audacia præceps, eloquentiam inanis quædam imitatur fluentia loquendi: quarum artium sæuitate, vt Tullius, adseuerat, nefas est religionem decipi indicãtis, ait enim. Cumque nihil tam incorruptum, &c. Primum autem in Marcellino pro, SAEVITATE, lego SVAVITATE. Deinde autem etsi is certum fragmenti locum non designet, tamẽ mihi quidem videtur huc pertinere, & ab eodem Scipione contra oratores dici, qui superius poetas ex sua repub. exterminandos existimabat, & qui infra, turpes etiam philosophos expellere de ciuitate non dubitat.

Censoris iudicium] Perpurgatus hic locus erat a Victorio lib. xv. cap. xxi. var. lect. sed quoniam ipse etiam dubitare videbatur, satis locum purgatum per se esse, adduxit fortasis Sigoniũ, vt is quoque locum, vt videtur emendandum susciperet, & pro OFFERT, AFFERT, legeret. Me etiam profecto eadẽ hęc ista hominis ingenui & aperti dubitatio commouit, vt pro, ITAQVE VT OMNIS, sicut olim legebatur, legendum plane, & reponendum hunc existimarem, ITAQVE QVOD OMNIS. Sic enim fere illud ex VI. libro infra, Eaque dissensio ciuium, quòd seorsum eunt alij ad alios, seditio nominatur. Et de ijsdem censoribus illud Varronis de vita populi Romani lib. II. Itaque, inquit, quòd hos arbitros instituerunt populi, censores appellarent. idem enim valet censere, (sic enim lego ibi) & arbitrari. Citat Nonius dictione censeo. Quanquam Iauolenus I. c. ita a censendo censores deducat, ut tunc, censere, non, arbitrari, sicut Varro, sed, sicut ipse existimat, constituere, & præcipere significet L. censere D. verb. sign. Festus lib. III. sic scribit: Censio æstimatio. vnde Censores. Tanti enim, idem inquit paullo superius, rem suam quisque æstimare solitus est, quãtum illi censuerint.

Nec verò mulieribus præfectus reponatur] Quid? si, PRAEPONATVR.

Magnam habet uim disciplina uerecundiæ, canent temeto omnes mulieres] VIM, pro VIAM, verissime legitur etiam in libris Nonij quibusdam. Ego etiam pro, CARENT, CAVENT, legere non dubitaui. Hoc enim magis & disciplinæ est, & verecundiæ, de qua est sermo. Certe Augustinus in libro Quæstionum noui & veteris testamenti, quæstione CXV, de ea re ita loquitur, vt eam quoque disciplinæ tribuat. Mulieribus Rom. inquit, multis temporibus vini vsus incognitus fuit. Disciplina enim facta cõsuetudine confirmauit sensum suum, vt retineret quod prodesse didicerat. Nimirum non fatum hæc, sed disciplina inuenerat. At vbi recessum est a consuetudine, periit disciplina. Hæc Augustinus. De eadem re ita scribit Varro lib. 1. de vita populi Ro. Quantopere, inquit, abstemias mulieres esse voluerint, vel ex vno exemplo potest videri. Et tantum quidem ex Varrone adfert Nonius, dict. Abstemius. Exemplum autem si quærimus, cuius eo loco Varro meminerat, vel de vxore Egnatij Mecennij esse dicemus, quam cum, ob haustum vinum, maritus occidisset, a Romulo fuit asolutus: vel fortasis de matrona illa, quæ, propter resignatos loculos, in quibus erãt claues cellæ vinariæ, fame, miserrimo mortis genere, a suis est interẽpta. Vtrunque exemplum extat apud Plinium lib. xiiii. cap. xiii. natur. historiæ.

Si qua erat famosa] Famosam intelligo, ut exponit ibi Nonius, infamem, sed propter vinum proprie. Nam illud, quod est apud eundem Cicer. lib. ii. de orat. Nam me ad famosas vetuit mater accedere: alio pertinere arbitror. Hic autem famosam, uinosam, & ut appellat Terentius, temulentam intelligo. nam temetum olim, vinum appellabant, ut scribit Plinius lib. xiiii. cap. xiii. De Osculo, quod statim dicitur, de hoc, præter Plinji locum allegatum, uide Valer. de instit. antiquis, & Festum in dict. Osculana pugna, quanquàm uerbis mutilatis, & manca sententia. Vide etiam Plut. in problematis. Arnobium lib. ii. disput. contra gen. Tertul. in Apolog. Gellius lib. ii. cap. xiii. ex Cęcilio comico hæc adducit. Quæ mihi, ubi domum adueni ac sedi, extemplo suauium dat ieiuna anima. Verba autẽ sunt mariti de vxore. Quæ extant etiam apud Nonium dictione Anima. Certe Athenæus scribit lib. i. apud Rom. inquit, οὔτε οἰκέτης οἶνον ἔπινεν οὔτε γυνὴ ἐλευθέρα, οὔτε τῶν ἐλευθέρων οἱ ἔφηβοι μέχρι τριάκοντα ἐτῶν. quanquam Aelianus usque ad quinque & triginta annos extendit, uti adnotauit Sigonius.

Apud Græcos opprobrio fuit adolescentibus] De ea re præter ceteros, uide Ciceronem in v. Tuscul. ubi de Dionisio Siracusano,

&, de

&,de natura deorum,vbi de Alcæo. Et Xenophontem in lib. de forma ciuitatis Lacedęmoniorum sub initium.

Admiror, nec rerum solum] De hoc, & sequenti fragmento sic Nonius. Iurgium, & lis hanc habent distantiam. M. Tullius de repub. lib. IIII. Admiror nec rerum solum, sed etiam verborum elegantiam. si iurgant, inquit beneuolorum concertatio, non lis inimicorum iurgium dicitur. Et in sequenti, iurgare igitur putat inter se vicinos, non litigare. Primum igitur ordinem fragmentorum, quę in Nonio reperio, retineo: præsertim quod cum ad secundum transit Nonius, aperte fatetur esse in sequenti: vt periculum etiam sit, ne sit ex sequenti libro. Deinde distinguo, & scribo sic. Admiror, nec rerum solum, sed etiam verborū elegantiā; SI IVRGANT, inquit, Beneuolorum concertatio, non lis inimicorum, iurgium dicitur. Videtur autem de XII. tabulis sermo esse, de quibus est etiam illud lib. de orat. I. Fremant omnes licet, et quę sequuntur. Quasi igitur recitata vna aliqua ex ijs tabulis integra lege, sic infert. In quo earum tabularum admiror nec, rerum solum, sed etiam verborum elegantiam. Et mox repetens fortassis caput legis recitatæ. SI IVRGANT, inquit. Deinde incipit verbum iurgandi declarare. Beneuolorum, inquit, concertatio, non lis inimicorum, iurgium dicitur. Sequens autē fragmentum est veluti eius disputationis cōclusio. Iurgare igitur lex putat inter se vicinos, non litigare. Et quidem PVTAT lego, non VETAT; exponoq; PVTAT, pro censet, & iudicat. Sic Modest. D. statu liberis leg. XXV. Statu liberos venundari posse leges XII. tab. putauerunt. VETAT, autem aperte pugnat cum Nonij sententia. Seruata autem est quoque a plerisque alijs scriptoribus eorum verborum, & Iurgandi, & Litigandi, & Certandi proprietas. Certandi, vt Syrus apud Terentiū in Adelphis actus. II. scena. II. cum lenissime vellet pugnam appellare: Audio te nescio quid, inquit, concertasse cum hero. Et ipse Cicero lib. III. ad Atticum, epistola Tu quidem. Nunquam accidit, vt cum eo verbo vno concertarem. Litigandi verò, vt Terentius Eunucho act. IIII. sc. V. Lites sunt inter eos factæ maximæ, quasi videlicet inter inimicos. Et Phormione act. IIII. sc. III. Herus liberalis est, & fugitans litium. At iurgandi idem Eunucho act. IIII. sc. I. Miles tendere ad iurgium. Adelphis act. I. sc. I. Credo iam, vt solet, iurgabit. act. III. sc. III. Adortus iurgio fratrem apud forum.

rum. Hecyra act. III. sc. v. Porto hoc iurgium ad vxorem. Et Paullus quoq; iurisconsultus in L. Quod si non D. iure dotium. Quod si non diuortium, inquit, sed iurgium fuit, dos eiusdem matrimonij manebit. Varro lib. vi. de ling. Latin. quanquam loco corrupto, tamen significat profecto ab iure dictū esse iurgandi verbum. Id quod Festus quoque lib. ix. abnuit, cum inquit, iurgationem iuris esse actionem. Cicero hic idem superius in Protagora, concertationis verbo, etiam mollius videtur inuenisse. Controuersemini, inquit, inter vos, non concertetis. Nam in ea, quę pro lege manilia habita est, etiam inimicos concertare dixit Sępius cum hoste, inquit, conflixit, quàm quisquam cum inimico concertauit. Hæc de eorum verborum ratione, inter quæ fragmentum ipsum discrimen constituit. Sed monet me sane locus ipse, vt persimilem alium apud eundem Cic. II. de legibus, quantum possim, corrigam, & explanem. Recitat enim etiā caput legis, sed verbis, vt ego puto, & illis, & sequentibus labem passis. locus sic legitur. A paruis enim Quincte dicimus, SI IN IVS VOCAT, atque ea eiusmodi leges solas nominare. Sed vero &c. Hoc sensu. Non abs re, ò Quincte, æstu consuetudinis absorberi metuis, veritus, ne communi loquēdi more deceptus, ea tantum, quę XII. tabulis cōtinentur, leges appelles, appellari ue intelligas, a teneris enim profecto didicimus. SI IN IVS VOCAT. id autem est, legem, quæ sic in XII. tab. incipit, atque alia eiusmodi. XII. tabulis comprehensa, solas leges nominare. Sed vero magnus hic est error, inquit, & fugiendus, intelligi enim oportet &c. Et incipit vim æternæ illius, & cœlestis legis explicare. Sed horum quoq; vberior explicatio ex Miscellaneis nostris peti poterit.

Notam esse leuitatis] Sic reposui, cum uiderem alibi legi, NIMIAM ESSE, alibi EAM ESSE, alibi MEAM ESSE. quanquàm si quis etiam mauult, NIMIAM, recte fecerit, si ita distinxerit, AMBITIONEM NIMIAM, ESSE LEVITATIS. Ego, ut dixi. NOTAM reposui. Errorem autem natum fuisse ex eodem illo fonte arbitror, ex quo item in lib. epistolarum ad Brutum peccatum fuit in eadem dictione, NOTAM. Locus est in epist. XIX. Quod ego cum dabam Bruto, inquit, notam esse in fastis gratissimæ uictorię sempiternam uolebam. Olim enim legebatur, sempiternam memoriam volebam, videlicet non satis animaduersa significatione

uerbi,

uerbi, NOTAM, quod pro cognitam, accipiebant quidam: ſed locum reſtituit meus Manutius.

Nolo enim eundem populum imperatorem, & portitorem] Nam portitorum quęſtus in odia hominum incurrunt, vt idem eſt te ſtis lib. de officiis. I.

Non enim facile] Hoc & ſequens fragmentũ, ex Priſciano deſumpta ſunt, alterum ex lib. xv. alterum ex lib. de carminibus. Sequentis enim fragmenti locum ita lego apud Priſc. Ab arma deriuata ſunt armarium, armamentum, armamentarium, armillę, quę brachialia uocantur Ciceroni IIII. de Repub. pro, Cicero in IIII. de repub. quæ lectio effecerat, ut quidam fragmentum conformarent ad hunc modum. Armillę quæ brachialia nocantur. Quod autem dicit ualenti reſiſtere, eodem modo dixit lib. VII. ad Att. Epiſtola ad VII. Id. Dec. Mallem, inquit, tantas ei uires non dediſſet, quam nunc tam valenti reſiſteret. Sed ibi de Cęſare loquitur, hic de populo.

Armentum habeo] Ex Priſciano ſuper XII. verſus Aeneidos. quanquam eum locum alii aliter legunt.

In librum quinctum de Repub.



TANTAM *& tam iuſte lateq; imperantem*] Quid? ſi, TAM LONGE LATEQVE, vel TAM FVSE LATEQVE. Nam, & particula, TANTAM, quę pręceſsit, aliquid eiuſmodi requirere videtur, & particula IVSTE, quæ pro alia, vt puto, irrepſit, nec facit ad propoſitum, nec recte, vt opinor, cum particula LATE, coniungi poteſt.

Noſtra uero ætas] Hanc partem fragmẽti citat etiam Nonius dictione Vanum: vbi legitur. SED IAM EVANESCENTEM. uti repoſuimus.

Reapſe uero iampridem amiſimus] Sententiam eandem propemodum ſic extulit idem II. officiorum. Parietes vrbis, inquit, modo ſtant & manent, iíque ipſi iam extrema ſcelera metuentes, rem uero publicam penitus amiſimus. In Auguſtino, ex quo fragmentum deſcriptum fuit. REIPSA LEGITVR. Ego autem ex Seneca lib. XIX. epiſtolarum, REAPSE repoſui. Seneca ſic habet. Eoſdem, inquit, de repub. libros cum Gramma-

ticus explicuit,primum uerbum Reapse dici a Cicerone, id est re ipsa,in commentarium refert,nec minus se se,id est seipse,& quæ sequuntur. Putaui igitur τὸ REAPSE, huc pertinere: qua particula pro, REIPSA, ut hic ait Seneca,etiam alibi Cicero usus est, ut in lib. de finib. & de diuin. &, præter Ciceronem,etiam Pacuuius, inquiens, si non est, ingratus reapse quod feci. Vide Festum dict. Reapse,& Requeapse. De se se,quod ait Seneca, nescio an legi debeat, SEPSE. Errore librarij nō multum ab illo differente, de quo in Oeconomico notauimus: vbi pro IPSE, A SE, fuit repositum. nam, SESE, adnotari a grammatico,ex his Ciceronis de repub. libris,nimis esset putidum; cum id passim non modo ex his de repub.sed ex aliis etiā eiusdem libris, & omnino ex aliis aliorum, possit, si quid opus esset adnotari. Vereor autem quoque,ne hoc, SEPSE, vel SESE, sit in somnio Scipionis,ubi de natura animi disputatur.

Virtute honesta] Nihil muto,sed coniecturam expono. Quid? si, VIRTVTE ONVSTA. nam HONESTA VIRTVTE, miro quodam modo dicitur:& ei,quod superius dixit, firma,locuples,ampla,pulchrius respondet onusta,quàm honesta. Hanc coniecturā meam adiuuat etiam ratio scribendi, & pronunciandi veterum: qui nonnullis vocibus firmandis roborandisque,H. litteram de industria sine necessitate inferebant. Quo ex vocum numero etiam verbū, Honusta, extitisse Gellius pronunciat,idem iste,qui hanc tradit veterum scribendi,& pronunciandi ratione lib. II. cap. III. Nisi si forte honestam pro diuite posuerit: quod veteres factitasse, notat etiam Asconius in III. Verrinam. Alioqui mallem ét, HONESTATA, quàm Honesta. Solent enim librarij scribere sic honesTA, & legunt, honestata: Exempla reperies in Pand. Florentinis. Sic scribit Festus lib. III. antiquos Canta,dixisse pro cantata,& lib. IX Incita, pro incitata.

Excellunt] Hoc ex Diomede, vbi ait de duplici terminatione verbi excello,vt in scholijs in epistolas ad M. filium demonstrauimus. Diomedes citat librum de repub. sine numero. Ego hic reposui,vbi agitur de principe,& moderatore reipub.

Menelao Laconi] Ex Gellio lib. XII. cap. II. constat esse ex libris de repub. Ex quoto autem libro sit, id vero ex Gellio non constat. Proximum autem fragmentum.

Breuiloquentiam] esse quidem ex libris de rep. constare potest.

test. Vide de eo Senecam lib. XXI. ad Lucilium. Quod autem Cicero ait de Menelao, sumptum est ex Homero Iliad. v. vbi Helena de eo narrat, illum pauca quidem loqui, sed suauiter. Vnde ipse quoq; Cicero in Bruto Menelaum ipsum Lacedęmonium, inquit, dulcem illum quidem tradit Homerus, sed pauca dicentem. Cum enim genera ipsa dicendi tria in tribus ab Homero tradita ac expressa essent, magnificum, & vber in Vlysse, moderatum, & mixtum in Nestore, in Menelao certe subtile, & cohibitum ostensum est. Vide Gellium lib. II. cap. XIIII.

Qui Cōperit.] Sic Salogę liber, & aliorū. Sigonius pro, COMPERIT, COMPESCIT, & pro ILLAM FEROCIAM; ILLIVS FEROCIAM. Ego haud scio an legendum sit potius, COMPRESSIT, pro COMPERIT, intelligendum autē vel de P. Mucio Scæuola cos. qui T. Graccho trib. plebis acriter tum in senatu, tum in concione restitit: vel potius de P. Cornelio Nasica, qui priuatus eiusdem Gracchi ferocitatem manu compresit, eumq; occidit. Nam de Gracchi morte in his de repub. libris fuisse mentionē, testatur D. Augustinus lib. II. cap. XXI. ciuit. dei.

Orbi terrarum comprehensos] In Nonio non vidi; vidi in Carisio. ORBI autem pro ORBE, vt est apud ipsum, grammaticum; & illud Phænomenis apud hunc nostrum.

Quattuor hic obediens secum deducere signa
Signifero solet ex orbi.

Quod molestias, &c.] Est in aperte, & mea, & aliorum, & ipsorum in primis Nonij librorum lectio. Quisque, quam velit, teneat, & tueatur.

In librum sextum de repub.



N HOC precipue libro informauisse se virum bonum, & principem ciuitatis, ita testatur ad Att. lib. VII. Quod si ita, inquit, nobis cogitatio de triumpho iniecta non esset, quam tu quoque approbas, næ tu haud multum requires illum virum, qui in VI. libro informatus est, quid enim tibi faciam, qui illos libros deuorasti? De hac eadem re, videbimus etiam in fragmento, Alendus hic est gloria. Disputauisse

sputauisse autem in hoc libro de impari numero Scipionem, testatur Hieronymus in Apolog. pro libris aduersus Iouinianum. Quod idem in commentario in Amos Prophetam repetit, sed ibi diserte loquitur disputationem hanc haberi in ipso somnio Scipionis. De quo quidem cum cogito, nihil aliud reperio, quā pauxillū illud, quod est in concentibus orbiū cœlestium, & hoc etiam minus, illud quod est de anfractibus solis, octies septies, Quod si aliud nihil est, miror Hieronymum in commentario in Amos his verbis vti, cum faciat eius rei mentionem. De imparis, inquit, numeri sacramentis in Scipionis somnio plenius narrat Tullius.

Expleríque atque saciari nullo modo] In quibusdam libris. EXPLERI NEC SACIARI VLLO.

Oratio extat Lælij] olim legebatur sic. ORATIO EXTAT LAELI. QVAM OMNES HABEMVS IN MANIBVS. QVOD IMPERIA PONTIFICVM DIIS IMMORTALIBVS GRATA SINE SAMIO, QVAE, VT HIC SCRIBIT CAPEDINES. Quem ego olim in locum, in hunc ferè modum adnotaram. Sic, inquiebam, habent libri quidam. Alii, duo prima verba omittunt. Vt, vt est, fragmentum tamen ipsum nondum etiam hoc pacto satis est elimatum. Pro, QVOD IMPERIA, Saloęę liber, & alii libri legunt, QVAM SI IMPERIA. Fortassis legendum. QVAM SINT IMPERIA: vt quidam putant: quanquam etiam de verbo IMPERIA, dubito. illud etiam, SINE SAMIO, nō valdè placet. mallem enim. SIVE SAMIO, vel aliquid tandem eiusmodi, quod Saminm a sacrificiis non reiiceret. Cetera etiā sunt imperfecta. Hæc nos, vt dicimus, sic priore adhuc editione nostra adscripseramus. Sigonius in sua posteriore, totum hoc ita corrigit. QVAM SIMPVVIA PONTIFICVM DIIS IMMORTALIBVS GRATA SINT, SAMIAE'QVE, VT IS SCRIBIT, CAPEDINES. In quo sane laudo hominis eruditi coniecturam. Sic enim plane in suo quoque Nonio manuscripto legi affirmat Hadrianus Iunius lib. II. animaduersorum cap. X. Nisi, quod pro LAELI, LAELII habet, generandi casu, & pro SIMPVVIA SYMPIVA. quod tamen idē significare ait. Et sane LAELII, potius generandi, quàm, LAELI, vocandi casu legendum esse, illud indicare videtur eiusdem-

eiusdem Ciceronis III. de natura deorum. Docebo, inquit, me hora me de diis immortalibus colendis didicisse iure Pontificio, & maiorum more capedunculis iis, quas nobis Numa reliquit, de quibus in illa aureola oratiuncula dicit Lælius, quàm rationibus Stoicorum. Qua de oratiuncula ita idem paullo superius lib. eodem. Habeo, inquit, C. Lælium augurem, eundemque sapientem, quem potius audiam de religione dicentem in illa oratione nobili, quàm quenquam principem Stoicorum. Extitisse autem tēporibus Ciceronis orationes Lælii, ex Bruto eiusdem Ciceronis liquet, quanquam & Læli patrio casu, pro, Lælii, antiqui scripsisse videntur. Sigonius non Lælii, sed Catonis orationem fuisse existimare videtur. De fictilib. verò simpuuijs sic etiam scribit Plinius lib. XXXVI. cap. XII. in sacris etiam inter has opes, non murrhinis, crystallinis'ue, sed fictilibus prolibatur simpuuiis.

Firmiter enim] Citat etiam, prętėr Nonium, Priscianus lib. xv. de aduerbiis. Equidem nuptias Modestinus noster lib. I. D. ritu nuptiarum, vocat coniunctionem maris & feminæ, consortium communis vitę, humani diuiniq; iuris communicationem. Et Imperator Institut. nuptias vel matrimonium, viri & vxoris coniunctionem appellat, indiuiduam vitæ consuetudinem cōtinentem. Certe dotis causam perpetuam esse, dixit Paullus item noster, & cum voto eius, qui dat, ita contrahi, vt semper apud maritum sit, videlicet sine vlla diuortii mentione. quod diuortium, quo primum tempore ab vrbe condita in ciuitate receptum sit, vide Gell. lib. IIII. cap. III. & lib. XVII. cap. vltimo. & Valer. lib. II. de institutis antiquis.

Quæ ciuitatis statum peruertunt.] Nonius legit, PERMOVENT.

Quod quidem fuit eò maius.] Præter Gellium, refert etiam fragmentum Non. verbo deprecari.

Boni plus quàm multi] Inde notat Nonius, veterum memorabilem scientiam paucos pro bonis posuisse, multos contra pro malis. Sic supra idē lib. IIII. Nec in hac dissensione suscepi populi causam, sed bonorum.

Mactant honoribus] Imitatus est hanc locutionē Lactan. lib. V. cap. IX. Si qui autem, inquit, doloris vel mortis metu, vel suapte perfidia cœleste sacramentum deseruerint, & ad funesta sacrificia consenserint, eos laudant, & honoribus mactant.

Alen-

Alendus hic est gloria.] Repetitum ex August. lib. v. ciuitatis dei cap. XII. vbi sic scribit. Etiam Tullius id dissimulare non potuit in iisdem libris, quos de repub. scripsit, vbi loquitur de instituendo principe ciuitatis, quem dicit alendum esse gloria, & consequenter commemorat maiores suos multa mira, & praeclara glorię cupiditate fecisse. Sic Augustinus. vnde haud scio, an sit ex procemio, nam locus narrandi de suis maioribus in dialogo ipso esse non potuit, cum ipsius persona abfuerit a dialogo. Sed vt vt est, miror ab aliis esse prætermissum, cum ipsius, & Augustinus, & Thomas Aquinas meminerit.

Ni his, vt meministis] Legebatur antea. IN HIS, VT MEMINISTIS. sed nimirum quam sepe hęc commutentur, norunt qui aduertunt, & qui libris conferendis student. Ego vnum hoc tempore locum adferam, in quo eodem hoc illo erroris genere ab omnibus librariis peccatum, nec ab vllo, quod sciam, hactenus animaduersum cum esset, multorum errorum caussa extitit. Locus est in Liuio lib. IX. vbi de duobus imperiis dari cęptis per populum loquitur. Duo, inquit, imperia eo anno dari cępta per populum, vnum vt tribuni in quattuor legiones seni deni a populo crearentur, quæ antea, per quam paucis suffragio populi relictis locis dictatorum, & consulum, ferme fuerunt beneficia. Tulere eam rogationem &c. legendum autem est, & distinguendum. Vnum, vt tribuni militum, ni quattuor legiones seni, dein a populo crearentur: quæ antea perquam paucis. &c. sicut nos copiose in nostris Miscell. coniectationibus, & in libro de tribunis militum ostendemus, an iam ostendimus. Nam in singulis legionibus sex tãtum tribunos extitisse, si parum est, quod ex Liuio significari potest lib. VII. cum ait, Secundum in sex locis, inter tribunos militũ ad legiones, tenuisse, certe aperte tradit Polybius in libro de castrametatione. Et profecto particulę huic Dein, ex veritate, vt puto, & necessitate per me restitutę, eleganter respondet particula, Antea, quæ ibi confestim sequitur. hoc sensu. Antea a dictatoribus, & coss. dein autem a populo. Mendum autem hoc dum non animaduertunt quidam, σκότον vt leuissime dicam, rei non attingunt in explicatione rationis de tribunatu militum. Sed hæc alio loco commodius demonstrabuntur.

Paullo post sequitur Scipionis Somnium. in quo quæ declaratione indigebant, ea quidem post Macrobium, Sigonius noster

peritis-

peritiſsime adnotauit. Quibus nos hæc pauca interim addamus.

Fere fit enim] De hoc ita Claudianum poetam ueterem ſcribere memini.

Omnia quæ ſenſu uoluuntur vota diurno,
Tempore noctuꝛno reddit amica quies.
Venator defeſſa thoro cum membra reponit,
Mens tamen ad ſiluas & ſua luſtra redit.
Iudicibus lites, aurigæ ſomnia currus
Vanaq; nocturnis meta cauetur equis.
Me quoque muſarum ſtudium ſub nocte ſilenti
Auribus aſsiduis ſolicitare ſolet.

Et hoc vetuſtiorem Lucretium lib. IIII. vbi ſic habet.

Et quo quiſque ferè ſtudio defunctus adhæret,
Aut quibus in rebus multum ſumus ante morati,
Atque in qua ratione fuit contenta magis mens
In ſomnis eadem plerunque videmur obire.
Cauſidici cauſas agere, & componere leges,
Induperatores pugnare, ac prœlia obire,
Nautæ contractum cum ventis degere bellum,
Nos agere hoc autem & naturam quęrere rerum
Semper, & inuentam patriis exponere chartis.
Cetera ſic ſtudia atque artes plerunque videntur
In ſomnis animos hominum fruſtrata tenere,
Et quiunque dies multos ex ordine ludis
Aſsiduas dederint operas, plerunque videmus
Cum iam deſtiterint, ea ſenſibus vſurpare.

Quanquam in hoc quoque Lucretiano verſu. pro, Et quicunque dies, mallem, Vt quicunque dies. Neque enim amplius de ſomnijs loquitur, ſed ad ea, quæ de illis antea dixerat, ſimilitudinem adfert, ſic videlicet, hominibus per ſomnum recurrere ea, quę vigilantes egerint, vti ea quæ præſentia paulló ante ſtudioſius ſpectauerunt, ſolet etiam per abſentiam, ſenſibus eorum repręſentari. Id ita eſſe, indicat particula, Sic, quæ præceſsit, ibi, Cetera ſic ſtudia atque artes &c. vt quicunque dies &c.

Sermonem in multam noctem produximus] Huius meminit quoq; Fronto ipſe, ante ipſam elocutionis formulam, Infelix hac re.

Quæ mihi ex imagine eius] Ad imagines reſpicit, illas quas ponere poſteriſque tradere, ij ſoli poterant, qui geſsiſſent curulem

magistratũ,de quibus est illud Satyrici. Tota licet veteres exornent vndique ceræ Atria, nobilitas sola est atque vnica virtus. Reliqua pete ex Polybio lib. vi. & Plinio lib. xxxv. cap. ii. & ceteris.

Qui tuerentur illum globum] Fortasſis QVO TVERENTVR. quanquam Græcus vulgatam sequitur lectionem.

A quo ille est uobis datus] VOBIS, potius quam NOBIS vt passim legitur, Nam supra dixit, TIBI, & infra, VIDEAMINI, & huiusmodi quoque oratio mortuo magis cõuenit.

Vltima cęlo, cituma terris] Meminit Prisc. lib. iii. & Nonius dict. Cituma.

Prosperus & salutaris] Prisc. lib. vi.

Aures obsurduerunt] AVRES VESTRAE OBSVRDVERVNT. Sic reponendum puto. In Græco est, τὰ τῶν ἀνθρώπων ὦτα, plenius sane quàm in Latino.

Tu enim quam celebritatem sermonis hominum] Vereor de mendo. Legendum fortasſis, primũ, IBI ENIM QVAM CELEBRITATEM. Deinde. SERMONIBVS HOMINVM, Potius quàm, TV ENIM, & quàm, SERMONIS HOMINVM. Græcum habet ἐκ τῶν φημῶν Nisi forte totum sic legendum est. QVAM ENIM TV CELEBRITATEM SERMONIBVS HOMINVM &c.

Nihil ad uestrum genus] Lego, NIHIL IIS AD VESTRVM GENVS. Ex Græco.

Olim deficere sol hominibus] Hic est fortassis locus, ad quem respiciens Seneca lib. xix. epistolarum, dicit Philologum, ubi ad hos de repub. libros accesſerit, notare Romulum periisse defectione solis. De quo etiam superius diximus.

Expletum annum habeto] EXPLETVM ANNVM HVNC HABETO. Ex Greco, & ipsa claritudine sensus. De anno autem magno hoc, in Hortensium loquemur.

In libros

In libros de iure ciuili.




M. CICERO, iam tum toga pura accepta, iuri ciuili dedit operam, sub Q. Scęuola P. F. Testatur Plutarchus, testatur ipse etiam initio libri de amicitia, & 1. de legibus, in persona Attici. A primo tempore ætatis, inquit, iuri studere te memini, cum ipse etiam ad Scæuolam ventitarem: neque mihi vnquam visus es ita ad dicendum te dedisse, vt ius ciuile contemneres. Certe in Bruto sic scribit. Ego iuris ciuilis studio, multum operæ dabam Q. Scæuolæ P. F. qui quanquam nemini se ad docendum dabat, tamen consulentibus respondendo studiosos audiendi docebat. Ibidem autem paullo superius tantum se iuris ciuilis, quantum oratori sat esset, edidicisse asseuerat. Vnde dictum illud videri potest: si mihi homini vehementer occupato stomachum moueritis, triduo me iurisconsultum profitebor. Quod cum ita sit, mirum uideri non debet, si lib. 1. de orat. cogitasse se scribit ius omne ciuile in genera digerere, deinde eorum generum quasi membra quędam dispertiri, tum propriam cuiusque vim definitione declarare. Hoc autem est ius ciuile in artem redigere. Immo mirum uideri non debet, si id etiam, quod cogitarat, hoc libro quantum licuit pręstiterit. Gell. enim lib. 1. cap. XXII. fragmentũ ex hoc libro decerpens, Ciceronem citat in libro, qui inscriptus est, vt ille ait, de iure ciuili in artem redigendo. Equidem cogitasse idem C. Cæsarem dictatorem scribit Suetonius, sed tam laudabile eius propositum mors intempestiua pręuertit. Primum quidem Q. Mucium P. F. P. N. illum ipsum Ciceronis nostri pręceptorem in hoc genere, ius ciuile constituisse, generatim in libros XIIX illud redigendo, auctor est Pomponius in libro singulari enchiridij, vbi extat scriptum leg. II. D. orig. iuris. vt sane Cicero magistrum suum imitatus, quę deesse ad artem plenam, & perfectam existimaret, ea hoc libro persecutus fuisse, aut certe persequi voluisse videatur. Cępisse enim eum tantum, non etiam perfecisse, Quinctilianus scribit. Qua ex re eandem vt cogitationem Cęsar ipse postea susciperet, fortassis adducebatur, vti diximus.

Aliquo excellente ac nobile viro] Ante, NOBILI, sed Nobi-

le legendum esse, satis indicat Sosipater, ex quo fragmentũ sumptum est.

Nec vero Scientia] Relatum ex Gell. lib. 1. cap. xxii. vbi declarat vim verbi superesse. M. inquit Cicero in libro, qui inscriptus est de iure ciuili in artem redigendo, verba hęc posuit: Nec uero scientia &c. in quo loco, inquit Gellius, superluit, significare videtur supra fuit, & præstitit, superauitque maiores uos doctrina sua superfluenti, tum & nimis abundanti.

In librum de auguriis.



INVTVM est quod refertur in fragmẽtis eius libri, solùm igitur ne silentio librum ipsum prętereamus, aliquid de Ciceronis auguratu dicamus. Cicero non nisi post exiliũ augur erat factus, de quo sic scribit. xv. fam. in epistola ad Catonem. Si quisquam fuit vnquam remotus & natura, & magis etiam ratione atque doctrina ab inani laude & sermonibus vulgi, ego profectò is sum, testis est &c. Idem post iniuriam acceptam, quam tu reipub. calamitatem semper appellas, meam non modo calamitatem, sed etiam gloriam, studui quàm ornatissima S.P.Q.R. de me iudicia intercedere. Itaq; & augur postea fieri volui, quod antea neglexeram, & eum honorem, qui a senatu tribui rebus bellicis solet, neglectum a me olim, nunc mihi expetendum puto, &c. De quo ipso suo auguratu ita etiam lib. vi. epistolarum ad familiares meminit. Quare quando & augures, & astrologi solent, ego quoque augur publicus ex meis superioribus prędictis &c. & in. ii. Philip. Quo tempore me augurem a toto collegio expetitum, Cn. Pompeius, & Q. Hortensius nominauerunt, tu nec soluendo eras, &c. & in pręfatione Bruti, mortem deflens Hortensij. Qua in cogitatione, inquit, & cooptatum me, ab eo in collegium recordabar, & inauguratum ab eodem. Philippica autem. xiii. de Cn. Pōpeij filio. In primum auguratus locum ego eum (vt quod a patre accepi, filio reddam) mea nominatione cooptabo. Eo igitur potissimum tempore scripsisse videtur de augurijs. nam ante ne inspicere se quidem illorum libros profitetur, in or. pro domo: ea si tantum nosse in iure augurum, quę vna cum populo

didicit, cum sæpe responsa essent in concionibus. Postea autem augur factus cum esset, ita a Q. fratre in lib. de diuin. 1. compellatur. Auspicia vero vestra quam constant? inquit: quę quidem nunc a Rom. auguribus ignoranter (bona hoc tua venia dixerim) a Cilicibus, Pamphilijs, Pisidis, Lycijs tenentur. Et statim post, idem Quinctus Appium bonum augurem collegam ipsius vocat, & lituum, id est incuruum ac leuiter a summo inflexum bacillum, quod est, vt ibidem ait, clarissimum insigne auguratus, ipsius esse dicit. Vnde & aliquanto post, cũ dixisset Magos in Persis augurari, & diuinare congregatos in fano, colloquendi inter se causa, addit: quod vos etiam, inquit, Nonis facere quondam solebatis. Quo pertinet illud quoque ex lib. de diuinat. 11. vbi M. ipse commentaria augurum nominaturus esset. Itaque, inquit, in nostris cõmentarijs scriptum habemus, Ioue tonante, fulgurante, comitia populi habere nefas. Et cetera, quę nõ multo negocio alibi poterunt reperiri. Quod autem librum hunc istum, de augurijs, quem præ manibus habemus, attinet, recte narrat Sigonius, commotum libris Appij Ciceronem idem sibi quoque argumentum tractandum desumpsisse. Eos enim profecto Appij libros vidisse se Atticus, & dissensionem inter ipsum Appium, & Marcellum optimos augures obseruasse de ipsorum disciplina, testatur apud Ciceronem ipsum. 11. de legibus. Qui locus vniuersus magnopere etiam huc pertinet, & nisi obuius esset, a me sane adscriberetur. Et eorum autem, vt puto, librorum primo hæc adfert Festus Pompeius. Sollistimum Appius Pulcher, inquit, inauguratus disciplina lib. 1. ait esse tripudium, quod aui excidit, ex eo quod illa fert.

In Hortensium vel de philosophia.



ORTENSII vulgata est inscriptio, inscriptũ autem librum quoque fuisse altero nomine, ad Platonis imitationem, significat Cicero ipse. 1. de finibus. Philosophiæ, inquit, vituperatoribus responsum est eo libro, quo a nobis philosophia defensa, & collaudata est &c. Et apertè testatur Seruius, qui, ut infra dicturi sumus, vtitur inscriptione, de philosophia: videlicet a re quæ pertractatur, ut superior illa

a persona maxime insigni & prȩcipua: qua ipsa inscriptione vtitur etiam,ut arbitror alicubi Nonius: cum tamen is sȩpius vsurpet superiorem illam a persona maxime insigni atq; prȩcipua. Dialogo autem hic quoque res acta est,& quidem dialogo prioris generis,de quo in præfatione in libros de repub. locuti sumus. Ex quo est illud. Quid. tu inquam,soles,cum rationem a dispensatore &c. Et illud. Captum me fortasse,inquit,tu putas. &c.Nam inquam,& inquit,ad primum illud dialogorum genus pertinere,ostendit de amicitia Cicero.Fecimus autem libenter in hoc libro,vt cum hic Hortensium & accusasse philosophiam, & laudasse eloquentiam constet,fragmenta omnia,quæ vel philosophiæ vituperationem,vel laudes eloquentiæ reddebant,initio proponeremus, reliqua autem ad extremum collocaremus: eo sanè ordine,quem si æque facile,ut nobis ipsis,probare omnibus potuissemus, haud grauati fuissemus omnem illius rationem exponere. Sed de ordine fragmentorum, nemo, vt puto, anxie perquiret.

Præter ceteras nostra extulit ciuitas] Hoc de eloquentia dictum quoque existimo : quȩ quanto in pretio Romæ habita fuerit, docent cum alia,tum ipse quoque Cic.lib.1. de oratore. Quanquam in quibusdā libris legatur, PRAETER CETEROS.

Lentus, ut scitis] Aliàs, LENTIVS.

Multo antequam ferant] Sic Salogæ Nonius.

Quid enim aut Herodoto] Ad eloquentiæ laudem, adiunxisse etiam laudem historiæ credendus est Hortensius : ex qua parte est & hoc,& quod sequitur. De Philisto autem,quem hic breuē appellat,idem pronunciauit lib.11.epistolarum ad Q.Fratrem. Siculus ille capitalis,creber,acutus,breuis,penè pusillus Thucydides.

Vnde autem facilius,quàm ex annalium monumentis aut res bellica] Aliàs, Aut res bellicæ.

Nec enim imperite] Sic in Salogano, & certe magis antiquum obtinet,quàm. NON ENIM IMPERITE.

Sed ad extremum] Ex Nonio dictione Comest. Videtur Hortensius in his uerbis dialecticam accusare. aliàs,non, PROBATVRVM, sed PROLATVRVM legitur. Posset etiam, pro, SED AD EXTREMVM, legi, SE AD EXTREMVM. sed tamen sic etiam sensus erit subobscurus. Omnino alicubi legitur, SED AD EXTREMVM POLLICETVR

CVR PROLATVRVM SE, QVAE SEIPSA. Respondet huic fragmento illud, quod est inferius. Tu' ne pseudomenos.

Id enim est sapientis] Fragmentum ad hunc locum pertinere, quo loco Hortensius sapientiam se, cum quæreret, negabat inuenire, etiã Sigonius ostendit ex Augustino libri. III. contra Academicos. Alioqui ipsum quidem non apud Augustinum, sed apud Nonium extat. dict. Prudentia, nominatim etiam citato Hortensio.

Annum magnum] De hoc fragmento scribit etiã Seruius ipse in I. Aeneid. non solum in III. sed in primo, pro Nongentis, habet Quingentos. Vtrinque autem non liquet an principium fragmenti sit verè Ciceronis. Equidẽ de eius anni reuolutione, quàm longa ea sit, nihil certi tradi videtur ab auctoribus, etiam ijs, qui se Ciceronem solum in ea re sequi profitentur. Nam Seruius primum, vt vidimus, hunc locum Hortensii recitans, aliàs, vt habent quædam exemplaria, annos numerat solares XII. DCCCCLIV, aliàs, vt alia, XII. DLIV. Deinde Tacitus sub initium dialogi de oratoribus, ad eundem Ciceronis locum respiciens, sic habet. Nam si, inquit, sicut Cicero, in Hortensio scribit, is est magnus & verus annus, quo eadem positio cœli siderumque, quæ nunc maxime est, rursum exiſtet, isque annus horum, quos vocamus, annorum $\overline{XII}$. DCCCLIIII. complectitur, incipit Demosthenes vester, quem uos veterem & antiquum fingitis, nõ solum anno, quo nos, sed ferè eodem mense extitisse. In quo ipso tamen Taciti loco sunt libri qui legunt $\overline{XII}$. DCCCCLIIII. Nec mirum est autem auctores in Ciceronis referenda sententia non congruere, cum ipse quoq; Cicero in ea vacillare videatur. Nam in libro quidem de finibus II. simpliciter pronunciat multa intercedere necesse esse annorum millia, antequam omnium siderum, eodem vnde profecta sint, fiat ad vnum tempus reuersio. In libro autem de natura deorum II. quanta sit & quam lõga eius anni, quem Mathematici magnum nominauerunt, conuersio, magnam quæstionem esse ait. In sexto vero libro de repub. vix dicere se audere scribit, quam multa in hoc magno & vere vertente anno sęcula hominum teneantur. Innuit saltem paullo post quid opinetur, cum addit, a consecratione Romuli, quæ incidit in annum V. C. XXXVII. ad Sempronij & Aquillij consulatum, qui fuit annus vrbis DCIII.

non-

nondum vigesimam partem esse conuersam. In Timæo & Phœnomenis eam conuersionem nullo certo tempore circumscribit, dicit tātum absolutum hunc perfectumque annum tunc compleri denique cum se octo ambitus, confectis suis cursibus, ad idem caput retulerunt, cumque eos permensus est idem, & semper sui similis, orbis. Non aliter propemodum quàm Festus quoq; lib. xi. Magnum, inquit, annum dicunt Mathematici, quo septem sidera errantia, expletis proprijs cursibus sibimet concordant. Hęc habuimus, quæ hoc tempore de reuolutione ipsius anni diceremus. fragmentum ipsum nostrum quibusdam in libris citatur sic. Et horum annorum quod in fastis habemus, magnus xiiM. quingētos quinquaginta quattuor cōplectitur.

Beati certe omnes esse volumus] Tractū ex Augustino lib. xiii. de trinitate cap. iiii. Sic enim ille disputans de eo, an omnes norint, & velint beate viuere. Itane falsum erit, inquit, id quod nec ipsis Academicis cum omnia dubia sunt, Academicus ille Cicero dubitauit: qui cū vellet in Hortēsio dialogo ab aliqua re certa, de qua nullus ambigeret, sumere suæ disputationis exordium, Beati certe, inquit, omnes esse volumus. Absit vt hoc falsum esse dicamus. Puto autem cum supra reprehendisset philosophiam, quæ est de natura, nunc incipere cōuellere eam etiam, quæ de moribus est.

Quantum inter se homines studentes moribus] Haud scio an legendum sit. DISSIDENTES MORIBVS.

Ecce autem] Recte huius fragmenti auctor citatur Augustinus in libro de beata vita, sed tamen, & ibi, & lib. xiii. de trinitate cap. v. plenius multo fragmentum ipsum inuenitur. Vtrobique enim extat illud, quod nos quoq; addidimus. FALSVM ID QVIDEM vsque ad extremum. Vsi autem sumus quoque vtriusque loci cōparatione, ad emendandū illud, PROMPTI TAMEN AD DISPVTANDVM OMNES AIVNT. &c. Cum enim in libro de beata vita ad eum modum legeretur, in libro autem de trinitate hoc pacto. PROMPTI TAMEN AD DISPVTANDVM HOMINES AIVNT &c. Vtrunque retinuimus, & sic reposuimus. PROMPTI TAMEN AD DISPVTANDVM HOMINES, OMNES AIVNT. &c. De quo profecto, etiam antequam loca contulissemus, per nos ipsi facile coniecturam faciebamus.

Præcipiunt hoc isti] Adnotanda est hoc loco Cornelij Nepotis sententia, quę & fragmentum hoc non mediocriter illustrat, & gustum etiam nobis præbet aliquem eius istius Cornelij, ad quem a Cicerone scriptarum epistolarum fragmenta fuerunt etiam superius explicata. Sic igitur is scribit ad Ciceronem, quod quidem conseruatum extat in Lactantio, libro ipsius. III. cap. XV. diuinarum institutionum. Tantum abest, inquit, vt ego magistram esse putem vitæ philosophiam, beatæque vitę perfectricem, vt nullis magis existimem opus esse magistris viuendi, quā plerisque, qui in ea disputando versantur. Video enim magnam partem eorum, qui in schola de pudore, & continentia præcipiant argutissime, eosdem in omnium libidinum cupiditatibus viuere. Hæc Nepos. Ad eandē sententiam quod faciat, vide apud Senecam lib. III. epistolarum initio.

Profecto omnis istorum disputatio] Hoc antea inter ea, quæ certum suum locum in libris Ciceronis demonstrare non posse videbantur, fuit repositum. Equidem petitum est ex Lactant. lib. III. cap. XVI. Sermonem esse de philosophia doctoribus, ex eodem illo Lactantij loco patet. Existimaui igitur esse Hortensij, hoc quidem in loco, quo philosophorum mores reprehendit. Principio autem, ISTORVM, non, IVSTORVM, legendum esse, etiam Lactantij meum exemplar docet. Deinde autem, quod ad extremum perperam esse videbatur repositum, VEREOR NE TANTVM VIDEATVR ATTVLISSE NEGOCIIS HOMINVM QVANTVM OBLECTATIONEM OTII, in eo quanquam varient exemplaria: alia enim habēt, NEGOTIIS HOMINVM, QVANTAM OBLECTATIONEM OTII, alia, NEGOTIIS HOMINVM QVANDAM OBLECTATIONEM OTII: & quanquàm etiam vtrunq; suum habeat sensum, mihi tamē quod posterius multo commodiorē minusque contortam sententiam videretur continere, idcirco id prætuli, idque reposui,

Quæ est igitur philosophia] Quidam Nonij sic legunt hoc totum, non optime, vt arbitror, sed tamen sic, vt contineat vestigia verioris lectionis. QVAE EST IGITVR PHILOSOPHIA, SOCRATE? NEC DVBITO, QVIN QVAECVNQVE SIT, LAVTVM AC VICTVM ELEGANTEM, &c.

Vidi in dolore podagræ] Vidisse se eundem Posſidonium, ſed aliter, Pompeio præſente, in podagræ doloribus affectum, ſcribit idem Cicero, lib. II. Tuſc. quæſt. At noſter Poſsidonius, inquit, quem & ſæpe vidi, & id dicam, quod ſolebat narrare Pompeius: ſe, cum Rhodum veniſſet decedens ex Syria, audire voluiſſe Poſsidonium: ſed cum audiuiſſet eum grauiter eſſe ægrum, quòd vehementer eius artus laborarent, voluiſſe tamen nobiliſſimum philoſophum viſere: quem vt vidiſſet, & ſalutauiſſet, honorificisque uerbis proſecutus eſſet, moleſteque dixiſſet ferre, quòd eum non poſſet audire: at ille. Tu vero, inquit, potes: nec committam, vt dolor corporis efficiat, vt fruſtra tantus vir ad me venerit. Itaque narrabat eum grauiter & copioſe de hoc ipſo, nihil eſſe bonum, niſi quod honeſtum eſſet, cubantem diſputaſſe, cumque quaſi faces ei doloris admouerentur, ſæpe dixiſſe. Nihil agis dolor, quamuis ſis moleſtus: nunquam te confitebor eſſe malum. Hæc ibi. Quod aũt in hoc Hortenſiano loco Poſsidonio adſcribit, ea lib. II. Tuſc. paullo ante Dionyſio Heracleoti tribuit. Vide locum. Quamuis extremo quincto de finibus, non renum id, ſed oculorum dolori in eo tribuit.

Eloquentiam tueri] Hactenus Hortenſius de eloquentiæ laudibus, & vituperatione philoſophiæ: nunc ad Hortenſii orationem reſpondetur, primum autem ad laudes eloquentiæ. Sed tamen non nuſquam, ELOQVENTIA TVERI, non, ELOQVENTIAM, legitur.

Quare uelim dari mihi] Hoc fragmentum ita deſcripſi ex meo Nonio dict. Sumo, cum ante legeretur. QVARE VELIM MIHI LVCVLLE, IVBEAS INDICEM TRAGICORVM, VT SVMAM QVI MIHI DESVNT. Pertinet hoc aut ad ea, quæ fortaſsis Lucullus dixerat pro poetarum ſtudiis: quæ quòd eloquentię finitima ſint, hoc loco duxi eſſe fragmentum reponendum.

Faceſſant igitur omnes] Hoc contra eloquentiam dictum exiſtimo, quæ, ſi abſit philoſophia, inanis eſt tota: nec poteſt aut virtutem docere ipſa, aut ſapientiam. nam de philoſophis accipere non libet, qui, vt Hortenſius ipſe fatetur, docent quidem & præcipiunt, ſed faciunt nihil.

Prudentiæ partes.] Hinc, vt opinor, initium eſt ſermonis pro philoſophia habiti, contra vituperationem Hortenſij. Certe hoc fragmentum ex Auguſt. ſumptum eſt, qui lib. xiiij. de trinitate

nitate cap. XI. sic inquit. Quidam cum de virtutibus agerent, in quibus est etiam Tullius, in tria ista prudentiam diuiserunt, memoriam, prouidentiam, intelligentiam. Etsi autem in Tullio locum non nominet, tamen res non videtur inde abhorrere. Nam de virtutibus hic omnibus egisse Ciceronem, ex sequenti fragmento ostendit idem Augustinus. vt hoc nostrum vel præponi certe illi fragmento, vel statim post illud poni debeat. nisi forte hoc fragmentum ad librum de virtutibus pertineat. quo de libro infra loquemur.

Altera est nexa.] De philosophia dictum esse existimo, cuius de natura & de virtutibus partes, quę sunt, ex inuicem sunt con nexæ.

Tu ne pseudomenos.] Ex Nonio Marcello, dict. Increpito. nisi quòd pro TVM, lego TV NE, sicut & supra, pro TVM CVM ES IRATVS, TV NE CVM ES IRATVS. De Pseudomeno, præter locum ex Academicis Ciceronis, vide etiam eundem Cic. II. de diuinat. Augustinum lib. contra Aca demicos II. cap. V. Erat autē pseudomenos ita fallax & captiosum apud stoicos argumentationis genus, vt Philetam quoque quendam ad mortem adegerit, propter sui difficultatem: sicut scribit Athenæus lib. IX. cap. XXIII. dipnosophistis.

Malo uel unum paruum.] Restitui ex Lactantio lib. VI. cap. II. cum alibi legeretur, MALO VEL PARVVM.

Itaque tibi concedo] De hoc loco, lege quæ scripsit Petr. Victo rius lib. V. cap. XIII. Var. lect. Lego autem planè, VT CALCVLVM REDVCAS. Nisi fortè, NE, pro, VT, positum fuerit: quod nonnulli viri eruditi videntur etiam aliàs obseruare.

Nihil tamen esse] Sic lego, vt in meo libro.

Et id quod nollem.] Sic puto melius, aliàs ET ID QVIDEM NOLLEM. Commutari autem solere eas particulas, vnum interea locum proponam, qui demonstret. Is est II. de officiis. vbi, mea quidem sententia, sic loquitur Cicero. Certum igitur hoc sit, & id quidem primum & maxime necessarium, familiaritates habere fidas amantium nos amicorum & nostra mi rantium. Quum tamen vulgati libri legunt. Et id quod & primum &c. In quo tamen ipso meam sententiam veterum librorum confirmat auctoritas. Fragmentum ipsum nostrum ad sermonem de pseudomeno pertinere videtur.

Vt ait Ennius. Refugiat] Hoc versu eodem vsus est lib. v. fin. Quid est, inquit, quod magis perspicuum sit, non modo clarum sibi quenque, verum etiam vehementer clarum esse? Quis est enim, aut quotus quisque, cui mors cum appropinquet, non

Refugiat timido sanguen, atque exalbescat metu?

Fragmentum ad Hortensium etiam pertinere, ex Prisciano, lib. vi. constare potest.

Mortis denique] Apud me in Nonio, & alibi, dict. Contemptus, legitur. MORTIS DOLORVMQVE. Quid? si MORTIS DOLORISQVE, vt supra li. v. de repub. Quæ virtus fortitudo vocatur, in qua est magnitudo animi, mortis, dolorisq; magna contemptio.

Vt ea sibi] Malo, quàm, VT EA IBI, cōtra fidem omnium librorum, quos vidi.

Habet enim ipsam certam definitam] Alibi sic legebatur. HABET ENIM IPSAM INCERTAM DEFINITAM VIAM, Alibi etiam, IPSA INCERTAM ET INDEFINITAM. Præembij, & Salogæ liber in Nonio, dict. Deductum, sic legunt. HABET ENIM IPSA INCERTAM DEFINITAM, &c. Etsi autem video esse qui ita studet castigare, IPSA INCERTAM ET INFINITAM, tamen me quidem si quis est qui respicit, ita lego, non discedens a vestigijs Præembiani, & Salogani libri. IPSAM CERTAM DEFINITAM. vel etiam, IPSAM CERTAM ET FINITAM. Deduci enim ex incerta via, vt statim loquitur Cicero, non video qui sit error, aut quod vitium. igitur quod scriptum erat, IPSA INCERTAM, ex prima syllaba sequentis dictionis, IN, facio litterã extremam prioris. M. verba sunt autem fortasis de mēte, & ratione, de qua superiori proximum fragmentum loquebatur, quæ, cupiditatibus, & perturbationibus animi, sæpe de statu suo dimouetur.

Sufficit ad gloriam] Ex Seruio in ix Aeneidos. Is scribit Vergilianum illud, Dij moresque dabunt vestri, Ciceronis esse tractum de philosophia, vbi dicit sufficere ad gloriam benefacti conscientiam. Si modo non est tractum de Philippica. II. in fine, vbi quidem dicit, in ipsa conscientia pulcherrimi facti fructus satis esse. Quod si est, equidem Seruij librarius ex, PHILIPPICA, fecit, PHILOSOPHIA.

Tum intelligas] Ex Non. dict. Redundo. Reposui autem in hunc

hunc locum, quòd fermo esse videatur de immoderatis cupiditatibus, quæ vltra id, quod vitæ hominum necessarium est, euagantur.

Ad iuuenilem libidinem. Copia voluptatum] Sic putaui ex coniectura esse distinguendum, vt LIBIDINEM sit finis vnius periodi, & COPIA, principium alterius. Locus autem a Nonio sic confusè citatur, & trūcatim, vel vitio librariorū, vel quòd nobis solum indicio sit, quid sit id, quod glifcere dicitur. Meæ lectionis sensus est. cum finisset periodum, ad iuuenilem libidinem, incipit deinde sequentem, & dicit, Illa, inquit, libido iuuenilis gliscit, hoc autem est crescit, copia voluptatum, vt ignis oleo. Nam, IGNI OLEO, quod est in quibusdam exemplaribus, non recipio. In verbo autem gliscendi, quod, recitans hoc fragmentum, explicat Nonius, mendum quoque in libris Pompeij Festi inesse videtur. Ita enim pasim legitur lib. xvi. Regiescit, inquit, cum dixit Plautus &c. Cum legendum sit, Reglifcit, cum dixit Plautus. Id ita esse, apparet ex eo quod sequitur. Vnde etiam glires, inquit, dicti. Quomodo enim glires a regiesco dici possunt? & nonne a glisco potius? Certe Seruius in xii. Aeneid. statim initio, glires a glisco deducit.

Hi nostri amici.] De Epicureis, aut quibusuis tandem philosophis, qui non virtutem pro dignitate æstimarent. vocat autem suos amicos, forte per ironiam, vt illud i. ad Atticum. Ipse noster amicus, & ii. ad Atticum. Itaque ille noster amicus, &c. & pro Fonteio. Amicus meus M. Pletorius.

Oratæ, homini ditissimo.] Si lego Augustinum, eo quidem loco, ex quo id desumptum fragmentum est, haud facile dixero, ad eum istum modum conformari fragmētum debuisse, sed tamen studio istius antiquitatis dedi facile, vt illud qualecunque sit, non solum reciperem, sed etiam adaugerem, ab eo videlicet loco, EIVSQVE (VT BREVITER TOTVM EXPLICEM) &c. Quia sane particula exclusa, haud video, quo modo cetera vel recipi, vel retineri possent. Vnum est obseruandum, quòd meum exemplar pro DELICATISSIMO, legit, DELICIOSISSIMO.

Inclusit pisces.] Sic meus Nonius, non, INCLVDIT.

Solertiamque eā posset, uel in tegulis] Ex Nonio. dictione Ostrea Haud scio autem an sic legi debeat. SOLERTIAMQVE EAM, POSSET VT IN TEGVLIS. videntur de eodem

dem Orata dici, de quo superiora. Nam & Macrob. lib. III. de eo loquens, ostrearum etiam facit mentionem: & Varro lib. III. de re rustica, piscibus eum delectatum fuisse scribit. Et aperte id Valerius Max. significat: quem locum quoniam ad superiora etiam pertinet, libenter totum hic adscribam. Is habet lib. IX. cap. I. ad hunc modum. C. Sergius Orata pensilia balnea primus facere instituit: quæ impensa leuibus initiis cœpta ad suspensa calidæ aquæ tantum non æquora penetrauit. Idem uidelicet ne gulam Neptuni arbitrio subiectam haberet, peculiaria sibi maria excogitauit, æstuariis intercipiendo fluctus, pisciumque diuersos greges separatis molibus includendo, ut nulla tam sæua tempestas incideret, qua nō oneratę mensæ uarietate pisciculorum abundarēt. Aedificiis etiam spatiosis & excelsis deserta ad tempus ora Lucrini lacus pressit, quo recentiore vsu conchyliorum frueretur, ubi dum se publicæ aquæ cupidius immergit, Cōsidii publicani iudicium nactus est, in quo L. Crassus aduersus illum causam agens, errare amicum suum Considium dixit, quod putaret Oratam remotum a lacu cariturum ostreis, nanq; ea si petere inde non licuisset, in tegulis reperturum. De eodem Orata vide quę scribat Plinius quoque lib. IX. cap. LIIII.

Attendere animo, inire rationem] INIRE RATIONEM: sic in correctiore exēplari, non, vt in alijs, INIRE RATIONE. Quod si est, non vereor, quin etiam, ATTENDERE ANIMVM, legi debeat. vt illud in Verrem, Aures iudex animumque attenderet. & in Rullum, Attendite animos ad ea quę sequuntur. & in officijs. Si animum attenderis, turpitudinem videas. Quod autem hic ait de maxima voluptate corporis, contraria omnino cogitationibus præclaris, sumptum est ex oratione Architæ Tarentini, de qua Cato apud Ciceronem in de senectute. Vidi etiam Aristotelem lib. VII. cap. XI. ethicorum.

Tunc obsequatur] Ex Augustino depromptum. is enim libro contra Iulium Pelagianum V. cap. V. non obscure fert ad Hortensium pertinere.

Et qui expectat, pendet animi.] Sic Terentius. Clitipho cum spe pendebit animi, decipiam.

Et ceteris quidem in rebus.] Cum, quid melius afferrē, non haberem, priorum fragmentorum lectionem reliqui. Meus Nonius, & quidam alij pro, DIFFERVNT, AFFERVNT, legit;

legit, neque vllum, nisi post, TAMEN, interpunctum habet. Quid ego inania consecter? Equidem cum alibi alia, tum illo in loco, IN SCIVNT ATTINGVNT, aliquid melius desidero.

Vt igitur domitores equorum.] Similitudo est a P. Africano primum, vt puto, vsurpata, de qua ex sententia Panętii, sic scribit in I. de offic. Panætius auditorem Africanum & familiarem suum solitum ait dicere, vt equos propter crebras contentiones præliorum ferocitate exultantes, domitoribus tradere soleāt, vt his facilioribus vti possint, sic homines secūndis rebus effrenatos sibiqúe præfidentes tanquam in gyrum rationis & doctrinę duci oportere. Refertur autem quoque a Plutarcho dictum Themistoclis, quod eodem pertinet. Τοὺς τραχυτάτους πώλους ἀρίστους ἵππους γενέσθαι, ὅταν ἧς προσήκει τύχωσι παιδείας καὶ καταρτύσεως. Ex pullis ferocissimis optimos equos euadere, si recte educentur & instituantur.

In continentibus quidem.] Quædam exemplaria, NE INCONTINENTIBVS QVIDEM, eodem sensu, quo illa etiam lib. VI. de repub. Ex his ipsis cultis, notisq; terris, num aut tuum, aut cuiusquam nostrum nomen vel Caucasum hūc, quem cernis, transcendere potuit, vel illum Gangem transnare? Quis in reliquis orientis, aut obeuntis solis vltimis, aut Aquilonis, Austri'ue partibus, tuum nomen audiet? quibus amputatis, cernis profecto, quantis in angustijs vestra gloria se dilatari velit. Et illa item ex lib. IIII. Tusc. Sapienti, inquit, nihil humanarum rerum aut intolerabile ad demittendum animum, aut nimis lætabile ad efferendum videri potest. Quid enim ei videatur magnum in rebus humanis, cui æternitas omnis, totiusque mundi nota sit magnitudo, & quæ sequuntur.

Quod alterius ingenium.] Lego, vt legendum demonstrauit Sigonius, diuino vir ingenio. De melle Hymettio vide etiam lib. II. finib. apud eundem Ciceronem prope finem, & Plinium lib. XI. cap. XIII. Eius item quod quidem hūc vehementer pertinet, meminit Augustinus, nescio cuius, libro de vita beata, ijs verbis. Nescio quomodo, inquit, contortum hoc & aculeatum, quod posuisti, vt ait ille de melle Hymettio, acriter dulce est, nihilque inflat viscera. Est autem Hymettus mons in Attica. Hymettiarum columnarum meminit Plinius lib. XVII. cap. I. & lib. XXXVI. cap. III. & Valerius Max. libro. IX. capite. I.

Em-

Eundem enim non modo mediocri.] Meus Nonius habet simpliciter, NON MEDIOCRI. Sigonius correxit, NON SOLVM MEDIOCRI. Ego eadem prorsus sententia qua Sigonius, sed a vestigijs scripturę recedens minus, NON MODO MEDIOCRI. occasionem enim erroris librario Nonij dedisse videtur, MODO MEDIOCRI.

Qui ijdem nescio quid.] Quædam exemplaria Nonij habent, QVI ILLVM, NESCIO.

Ex quibus humanæ] Ad hoc fragmentum respiciens etiam Seruius in VIII. Aeneid. scribit Ciceronem in Hortensio docere, Tyrrhenum cum socijs pyraticam in Tyrrhenia, quæ pars est Italiæ, exercuisse, captiuosque nouis pœnis afflixisse, occisorum eos alligando cadaueribus. Eiusdem autem rei meminit quoq; Valerius Max. lib. IX. cap. II. in fine.

Quæ nobis dies noctesque] Ex Augustino lib. IIII. cap. vltimo de trinit. Significat autem ibidem aperte Augustinus, extremo ipso dialogo desumptũ esse, in quo cetera recte: illud, QVOD SENTIMVS ET SAPIMVS, haud scio an commodius legatur, QVO SENTIMVS. alioqui in consolatione ait, quod sentit, quod sapit, Illud itẽ. IN RATIONE ET INVESTIGANDI CVPIDITATE, vereor, ne legi debeat, ET VERI INVESTIGANDI. Denique illud. CVM HIS ARTIBVS VIXERIMVS: CVM IN HIS ARTIBVS VIXERIMVS.

In laudem M. Catonis.



E Ciceronis Catonibus & Anticatone Cæsaris copiose & eleganter Sigonius. Ego de Catone hoc isto nostro, primum adnoto locum Ciceronis ipsius ex epistola ad Atticum secunda lib. XII. De Catone, inquit, πρόβλημα ἀρχιμήδειον est. Non assequor, vt scribam, quod tui conuiuæ non modo libenter, sed etiam æquo animo legere possint. Quin etiam si a sententijs eius dictis, si ab omni voluntate consilijsque quę de repub. habuit recedam, ψιλῶς q; velim grauitatem constantiamq; eius laudare, hoc ipsum tamen iis odiosum ἄκουσμα fit. Sed vere laudari ille vir non potest, nisi hęc or-

nata sint: quòd ille ea quę nunc sunt, & futura viderit,& ne fierent contenderit,& facta ne videret, vitam reliquerit. Horum quid est quod Aledio, probare posimus? Ad eum sanè librum magnopere vereor ne illud pertineat,quod est apud Augustinũ epist.VII. recitatum,& à me inter incerta relatum.

Nullum unquam uerbum,quod reuocare uellet,emisit.] De quo ibi. De Cæsaris autem Anticatone,locum adfero ex lib. XII.ad Atticum epistola, quæ sic incipit. Qualis futura sit Cæsaris vituperatio contra laudationem meam,perspexi ex eo libro, quem Hirtius ad me misit: in quo colligit vitia Catonis,sed cum maximis laudibus meis.Illud addo,duos libros a Cęsare institutos fuisse aduersus ipsam Catonis laudationem. Liquet id quodam modo ex Prisciano lib.VI. & VII. qui ex Anticatone priore citat Cæsarem. Aperte autem liquet ex Suetonio in vita ipsius. Prægrandes autem extitisse significare videtur Iuuenalis Satyra VI. inquiens.

Maiorem quàm duo Cæsaris Anticatones.


Ex eo libro,præter Priscianum,vt dixi, citat etiam verba nonnulla Gellius lib.IIII. cap.XVI. Noct. Att. De eodem autem libro sic scribit Cicero ipse in Topicis ad Trebatiũ.Cum aliquid de vtilitate,honestate,æquitate disseritur,deq; ijs rebus quæ his sunt contrariæ,incurrunt status aut iuris aut nominis: quod idẽ contingit in laudationibus. Nam aut negari potest id factum esse quod laudetur, aut non eo nomine afficiendum quo laudator affecerit,aut omnino non esse laudabile,quod nõ recte, non iure factum sit. Quibus omnibus,inquit,generibus vsus est nimis impudenter Cæsar contra Catonem meum. Hæc de singulis. De vtrisque autem tam Catone Ciceronis,quàm Anticatone Cęsaris,vide quę scribit Plutarch.in vita Cæsaris. Marcianus Capella lib.V. vbi de genere demonstratiuo sic habet. Aduersus hanc intentionem laudatori certamen est, vel vituperatori, licet in superiori astructione quidam conflictus euidens approbetur,vt cum alius quempiam laudat,& alter accusat: vt Catonem Tullius laudans,& duobus voluminibus Cæsar accusans. Liuius autem quoque sic scribit. Huius glorię,inquit, nec profuit quisquam laudando, nec vituperando quisquam nocuit, cum vtrumque summis prędit fecerint ingenijs. Significat autem Liuius, vt scribit Hier. in præfatione comment. in Oseam Prophetam,M. Ciceronem,& C. Cęsarem: quorum alter laudes, alter

vituperationes supradicti scripsit viri. Vtraque autem volumina scribit Lod. Viues in ca. XXIII. lib. I. de ciuitate dei Augustini, Cardinalem Leodiensem Leodij in Bibliotheca peruetusta se vidisse asserere, & ad ipsum Viuem promisisse olim mittere.

Pronepos] Ex Gellio lib. XIII. cap. XVII. Quem locum totũ consule.

Maiora omnia re, quàm fama] Sic prope de Scipione Syphax apud Liuium lib. XXVIII. Mirabiliorem eum sibi visum corám congresso, quàm bello rebus gestis, & de eodem ac Massanissa libro eodem. Ceperat, inquit, iam ante Numidam ex fama rerũ gestarum admiratio viri, substitueratque animo speciem quoque corporis amplam ac magnificam: ceterum maior præsentis veneratio cepit. In ipso autem fragmento, pro, QVOD PLERISQVE SOLET, videndum an non clarius legatur, QVOD IN PLERISQVE: & pro, EXPECTATIO COGNITIONE, EXPECTATIO A COGNITIONE.

In libros de gloria.



IRVM videri posset hos libros de gloria, eo potissimum tempore interijsse, quo ceteri Ciceronis libri iam deperditi, in lucem rursus producti ferè fuerũt. Nam cum eos Fr. Petrarcha legisse videatur, qui circa annum domini MCCCL. floruit, nemo propemodum illud est tempus consecutus, ex quo appareat hos libros ad eum peruenisse: cum tamen circiter annum MCD. per Gerardum Landrianum Laudę Pompeij Episcopum, & tres libri de Oratore, & Brutus seu de claris oratoribus, & Orator: & per Poggium Florentinum epistolæ item ad Atticum, eodem tempore quemadmodum scribit Blondus in Flaminia Italię, reperti fuisse dicantur. Quod si quis est, qui Petrarchæ testimonium de libris ijs cognoscere desideret, id eiusmodi ferè est ex libro epistolarum ipsius senilium XV. epistola prima ad Lucam de Penna deprom ptũ. Franciscus Petrarcha Lucæ de Penna. S. Petieras ex me vt de libris Ciceronis, si quos inusitatos, & extraneos haberem, tibi quoque cuidam nuper cępto operi subuenirem. respondi

tunc,

tunc,non quod volui,sed quod potui,Ciceronis libros,non me alios habere,quàm qui communiter habētur,vel,vt puto, etiam pauciores. vnum addidi,quod & verum fuit, habuisse me alios, sed amisisse. Nam cum iam aliquali fama ingenij,varias amicitias contraxeram, semper, abeuntibus domum amicis,&, vt fit, petentibus,nunquid e patria sua vellem,respondebā,nihil,prę-ter libros Ciceronis, ante alios,dabam memorialia, scriptaq; & verbis instabam, & quotiens putas preces, quotiens pecuniam misi,non per Italiam modo, vbi eram notior, per Gallias atque Germaniā,& vsque ad Hispanias atque Britanniam. Multo studio,multaque cura,multa vndiq; parua volumina recollegi, sed sæpe multiplicata,eorum vero,quæ maxime optabam, raro aliquis, ita vt, quod humanis in rebus crebro accidit, multa mihi deforent, multa superfluerent. Nondum sanè sanctorum libros attigeram, & errore cæcus, & typo tumidus ætatis. Nihil mihi ferè, nisi vnus Cicero sapiebat. Cum circa quinctum,& trigesimum vitæ annum,inter Belgas Heluetiosque festinans,cum Leodium peruenissem, audito quòd esset ibi bona copia librorum, substiti,comitesque detiuni,donec vnam Ciceronis orationem manu amici, alteram mea manu scripsi, quā postea per Italiam effudi. Et de libris quidem reip. iam desperans,librum de consolatione quæsiui anxie, nec inueni, quæsiui & librum de laude philosophiæ,quòd & ipse libri titulus excitabat,& in libris Augustini, quos iam legere cœperam, librum illum ad vitæ mutationem, & ad studium veri multum sibi profuisse compereram: statim autem affuit, non liber, sed falsa libri ipsius inscriptio. Post hæc enim cum Neapolim venissem,Barbatus meus Sulmonensis amicus optimus,voti mei conscius, paruum Ciceronis librum mihi donauit, cuius in fine principium solum erat libri Academicorum. quod ego perlegens,conferensq; cum illis qui inscribuntur de laude philosophię, luce clarius deprehendi illos esse duos,tot enim sunt,tertium,& quartum vel secundum,& tertium Academicorum, subtile opus magis quàm necessarium aut vtile. Obtulerat item casus mihi venerabilem quendam senem Raimundum Superantium. Ille mihi,& commodando libros,& donando supra communem modum facilis fuit. Ab hoc habui,& Varronis,& Ciceronis aliqua, cuius vnum volumen de communibus fuit,sed inter ipsa communia, libri de oratore,vel de legibus imperfecti, vt semper inueniuntur, & præterea singu

lares libri duo,de gloria : quibus visis,me ditissimum existimaui. Longum est exequi,quos,& qualiter,& vnde quęsierim,prætet vnum volumen elegantissimum,cui par aliud inuenire difficile,paternas inter res inuentum,quod in delicijs pater habuerat, quodque non ideo euasit, quia illud mihi executores testamentarij saluum vellent, sed quia circa prædam pretiosioris, vt putabant,pattimonij occupati,ceu vile neglexerant.In his omnibus noui nihil,vt dixi,præter illos de gloria libros duos,& aliquot orationes aut epistolas. Hactenus qualiter libros eos quęsierim dico, vt cognito quantus fuerit quęrendi labor, quantus fuit perdendi dolor intelligas. Fuit mihi penè ab infantia magister, qui me primas litteras doceret, hunc pater meus, dum vixit, liberaliter satis adiuuit,inuaserat eum enim pauperies ac senectus,comites importunæ ac difficiles. Post obitum patris,omnem in me spem posuetat.Ego autem impar licet,me illi tamen & fide, & obsequio obligatum sentiens, aderam omni ope, qua poteram,vt deficiente pecunia, quod crebrum erat,egestatem suam apud amicos,nunc fideiussione,nunc precibus,apud fœneratorem vero pignoribus subleuarem : millies in hunc vsum libros,& res alias asportauit, & retulit, donec fidem expulit paupertas. Grauiore siquidem pressus inopia,duo illa Ciceronis volumina vnum patris alterum amici,librosque alios, me tradente, abstulit, prætendens necessarios sibi in opere suo quodam. Quos cum diu postea non retulisset, & mihi incipetet hominis suspecta esse dilatio,cœpi altius exquirere, quid de eis actum esset,&,vt oppignoratos comperi, penes quem essent indicari mihi petij,vt facultas fieret tuendi eos. Ille,& pudoris plenus,& lachrymarum,negauit se id esse facturum, quod turpe nimis esset sibi,si quod ipse deberet, altet faceret, expectarem paullulum, quod suum erat, cito se facturum: obtuli in hanc rem pecunię quantum vellet,& hoc respuit,orans ne sibi hanc infamiam inurerem.Ego etsi nihil dicto fiderem,nolens tamen quem amabam contristare,subticui, ipse interim paupertate pulsus,in Tusciam iuit,vnde sibi erat origo,me tunc ad fontem Sorgię, mea transalpina in solitudine latitante, vt solebam : nec prius eum abiisse,quàm obijsse cognoui : nec deinceps vlla vnqnam diligẽtia,vel minimum amissi Ciceronis indicium,inuenire quiui. Ita simul & libros perdidi,& magistrum. habesſẽ historiã quam petisti. Vale Arquade.v. Cal. Maias.

Itaque

Itaque conſtat ſanè Petrarchæ temporibus hos libros extitiſſe. Poſterioribus tempóribus obſcurior eſt facta eorum librorum memoria. Sed me tamen de iis deſperare adhuc vetant cum cetera, tum epiſtola illa eadem, de qua ſuperius diximus, B. Rhenani, qua quidem ab amico eos libros poſtulat inter ceteros Ciceronis, quos is videtur habuiſſe, minime peruulgatos. Epiſtola ipſa extat, vt diximus, initio librorum eius de rebus Germanicis. Vixit aut Rhenanus noſtra penè memoria. Hæc ego interim ad conſolationem orbitatis noſtræ commemoranda eſſe exiſtimaui. Quam ſanè orbitatem vt hoc etiam facilius ferendám eſſe exiſtimemus, argumentum hoc tempore & capita eorum librorum, genusq; adeò tractationis ipſius, quoad eius maxime facere poterimus, proponemus, deinde verò fragmēta aliquot exhibebimus. Ac mihi quidem de eorum librorum argumento cogitanti, ſic videtur, Ciceronem hoc loco, de gloria tanquam de ſummo ciuilis hominis, ipſorumque adeò Rom. bono, fortaſsis egiſſe. Cum enim & rempub. ac ciuilem virum ſex totis libris informaſſet, & leges ad eam rempub. accommodatas quinque libris deſcripſiſſet, de gloria ſibi agēdum exiſtimauit, tanquam de fini, quem vnicum egregiorum factorum ſuorum propoſitum habere videntur viri omnes politici, qui vt dedecus & ignominiam ſummum malum, ita laudem & gloriam ſummum bonum arbitrantur. Omnino, inquit Cicero 1. de officiis, vix inuenitur qui laboribus ſuſceptis periculiſque aditis, non quaſi mercedem rerum geſtarum deſideret gloriam. Vnde in ipſo etiam lib. VI. de repub. ſcripſit principem ciuitatis alendū eſſe gloria. Et certe in Romanis veteribus naturale quoddam, & tale quod etiam ad poſteros ipſos proderetur, deſideriū eius rei extitiſſe, Virtutis & Honoris ædes cōiunctiſsimę indicant: quas ita Romani ſtatuerant, vt ſignificarent, virtutis finem honorem ſe arbitrari, ad quem bonorum ſtudia referrentur: vt eſt etiam apud Auguſtinum lib. V. ciuit. cap. XII. Ex quo eſt illud quoque lib. III. de repub. apud eundem Ciceronem. Vult plane virtus honorem, nec eſt virtutis vlla alia merces. Hæc de argumento. Capita autem eius libri videntur mihi in II. de officiis expreſſa & adumbrata eſſe, verbis nō omnino paucis, ſed tamen in compēdium veluti quoddam redactis. Cum enim ſic dixiſſet eo loco Cicero. Nunc dicamus de gloria: quanquam ea quoque de re duo ſunt noſtri libri. Addit, ſed attingamus, inquit, Et po-

ſtea.

ftea. Summa igitur & perfecta gloria cõftat ex tribus his,& quæ fequuntur,vfque ad tractationem de beneficentia & liberalitate. Hæc de argumento & capitibus librorũ. Tractationis autem genus dialogum fuiffe,ipfe etiam fignificat lib. xvi. ad Att. De gloria inquit,mifi tibi. Cuftodies igitur,vt foles: fed notentur eclogarii,quos Saluius,bonos auditores nactus,in conuiuio dun taxat legat. mihi valde placent: mallem tibi. Sed in hoc loco quoque,etfi exemplaria in omnibus ferme confentiant, videndum tamen effe puto,an ita fit diftinguendum. Notentur eclogarii,quos Saluius bonos,auditores nactus in conuiuio, dumtaxat legat: vt videlicet Saluium bonos tantum velit legere eclogarios,malos relinquere.

Hic fitus eft] Verfus funt ex Homeri Iliad. *.

Oppidorum appellationem.] Defcriptum ex Paullo, qui Feftum Pompeium in compendium redegerat. Is ita fcribit lib. xiii. Oppidorum originem optime refert Cicero lib. 1. de gloria, eamq; appellationem vfurpatione appellatam effe exiftimat, quòd opem darent, adiiciens, vt imitetur ineptias Stoicorum. De re ipfa autem fic fcribit Ifidorus lib.xv. cap.11. oppidũ quidam ab oppofitione murorum dixerunt, alii ab opibus recondendis,eò quòd fit munitum,alij quòd fibi in eo conuentus habitantium opem det mutuam contra hoftem. Nam primum homines tanquam nudi, & inermes nec contra bella, hæc præfidia habebant, nec receptacula frigoris, & caloris, nec ipfi inter fe homines ab hominibus fatis erant tuti. Tandem naturali folertia fpeluncis filueftribusq; tegumentis tuguria fibi,& cafas virgultis arundinibusq; contexuerunt, quo effet vita tutior, ne his qui nocere poffent,aditus effet. Hæc eft origo oppidorum: quæ quòd opem darent idcirco oppida nominata dixerunt. Hæc Ifidorus auctor non omnino contemnendus. Hoc autẽ multo nobilior Pomponius iurifconfultus libro fingularium de tacitis fideicommiffis,ficut extat lege ccxxxix. D. uerb.& rerum fignif. §. oppidum,fic fcribit. Oppidum ab ope dicitur, quòd eius rei caufa mœnia fint conftituta.

Quo ftante,& incolume] Ex Carifio INCOLVME autem non INCOLVMI, fecunda uocali non tertia.

In librum

In librum de consolatione.



DE hoc libro, vltra eos locos quos accuratissime adnotat Sigonius, meminit preterea Cicero lib. I. Tusc. quęst. Hæc quidem vita mors est, inquit, quam lamentari possem, si liberet. A. Satis tu quidem in consolatione es lamentatus, & quæ sequuntur. Item lib. XII. Attic. Quod hoc mœrore recreari vis, facis vt omnia. sed me mihi non defuisse tu testis es: nihil enim de mœrore minuendo scriptum ab vllo est, quod ego non domi tuę legerim: sed omnem consolationem vincit dolor. Quinetiam feci quod profectò ante me nemo, vt ipse me per litteras consolarer. quem librum ad te mittam, si descripserint librarii. affirmo tibi nullā consolationem esse talem. Nimirum cum mors Tulliæ filiæ acerbitatem ei attulisset incredibilem, hoc libro seipsum est consolatus. Consolati autem fuerunt eum alij quoq;: vt Seruius Sulpicius lib. IIII. ad Famil. vt M. Brutus lib. epistolarum ad Brutum, vt Cæsar ipse, & fortasis Hirtius. Quod autem Attico scribit consolationem talem esse nullam, nimirum ad illud, mea quidem sententia respicit, quod ita expresit lib. III. Tusc. Sunt qui unum officium consolantis putent malum illud omnino nō esse, ut Cleanthi placet: sunt qui non magnum malum, ut Peripatetici: sunt qui abducunt a malis ad bona, ut Epicurus: sunt qui satis putāt ostendere nihil inopinati accidisse, nihil mali. Chrysippus autē caput esse censet in cōsolando, detrahere illam opinionem mœrenti, si se officio fungi putet iusto atque debito. Sunt etiam qui hæc omnia genera consolandi colligunt: alius enim alio modo mouetur, vt fere nos omnia in consolationem vnā coniecimus. Erat enim in tumore animus, & omnis in eo tētabatur curatio. Hocq; adeo illud est, quod eidem Attico deinceps ita scribit libro eodem. Omnia scripta doctisimorum hominum quæcunque sunt in eam sententiam, non legi solum, quod ipsum erat fortis ægroti, accipere medicinam, sed in mea etiam scripta transtuli, quod certe afflicti & fracti animi non fuit.

Crantorem sequor] Ex Plinii præfatione hoc desumptum est, quo quidem fragmento M. Cicero profiteri videtur, se, in libris de repub. Platonem, in de officiis Panætiū, sic in hoc libro Crantorem

torem imitari, sicut ibidem ait Plinius, & admonet Sigonius ex Hieronymo in epitaphio Nepotiani. Intelligit autem Crantoris illum de luctu librum: quem inter ipsius libros maxime laudari scribit Diogenes Laertius. De quo etiam ipse Cicero in Lucullo ita habet. legimus omnes Crantoris veteris Academici, de luctu, est enim non magnus verum aureolus, &, ut Panętius Tuberoni pręcipit, ad uerbum ediscendus libellus. Eundem librum, in extremo Tusculanæ primæ consolationem Crantoris uocat, ex eoque nonnulla adfert. Et certe non Crantoris modo, quanquam huius quidem præcipue, sed & omnium uirorum doctorum quę essent in eam sententiam, omnia in hunc se librum contulisse profitetur lib. XII. Att. epistola longissima. Quantum autem hoc genere medicinę profecerit, scribit Attico paullo pôst, non se pęnitere.

Idcirco nati sumus] Ex Lactantio lib. III. ca. XVIII. Sed cum bis illic ea sententia recitetur, priorem locum in conformando fragmento sequi maluimus. Sic enim ibi Lactantius. Quæ ignorantia, inquit, effecit, vt quosdam dicere non puderet idcirco nos esse natos, vt scelerum pœnas lueremus. Infra autem declarãs, veluti quem his dictis significaret, ait. Quid Ciceroni, faciemus, qui cum in principio consolationis suæ dixisset, luendorum scelerum causa nasci homines, &c. Eandẽ sententiam alijs etiã verbis ita extulisse videtur Augustinus lib. XXII. ciuit. cap. XXII. Si paucis, inquit ille, diuinitus datum est veræ philosophię contra miserias huius vitæ vnicum auxilium, satis & hinc apparet humanum genus ad luendas miseriarum pœnas esse damnatum. Præsertim si pro, Damnatum, Natum, legatur.

Quam primum mori, & tanquam ex incendio effugere fortunæ] Vetusti libri Lactantij, quos aut ego viderim, aut Fr. Petrarcha lib. I. epist. rerum senilium vidisse se significat, legunt QVAMPRIMVM TANQVAM EX INCENDIO EFFVGERE FORTVNAE. Recẽtiores, QVAMPRIMVM MORI, TANQVAM EX INCENDIO EFFVGERE VIOLENTIAM FORTVNAE. Sigonius recentiorum lectionem sequi videtur. Addit solum, ET, MORI ET TANQVAM &c. Ego. QVAMPRIMVM, MORI, ET TANQVAM EX INCENDIO EFFVGERE FORTVNE. Retineo videlicet verbum, MORI, cum particula ET, ex libris posterioribus, tollo autem verbũ VIOLEN-

LENTIAE, quod etsi Plinius lib. VII. cap. XL. natur. histor. tribuat fortunæ, tamen hoc quidem in loco abest a vetustioribus exemplaribus. Adducor ad omnia verbis ipsius Lactantij, quæ ibi sequuntur, dum significat Ciceronem integram ipsam Sileni sententiam, quam ibidem refert, vsurpasse, de suo autem prçterea nonnihil adiecisse, vt ornaret. Neque enim sine verbo, Mori, integra esset Sileni sententia, & ornatus, detracto verbo Violētiæ magis est ἐμφατικὸς, minusq; affectatus. Sic supra in or in Clodiū, & Curionem, Quo ex iudicio, velut ex incēdio, nudus effugit. Eādem Sileni sniam expressit Pli. lib. VII. in prçfatione.

Animorum nulla in terris] Totus locus desumptus ex Tusculana prima, vt indicat ipse Sigonius. Eius fragmenti etiam principium vide apud Lactantium libro de ira dei. cap. x. Extremum lib. I. cap. V. diuinarum institutionum. Sed Cicero, & Lactantius variant in quibusdam. Nam quod apud Ciceronem est, EX TERRA NATVM ATQVE FICTVM, Lactantius legit, ATQVE FACTVM. Quod illic, NIHIL NE AVT HVMIDVM QVIDEM AVT FLEBILE: hic. NIHIL'QVE HVMIDVM AVT FLABILE. Quod illic, HIS ENIM IN NATVRIS NIHIL EST: hic, HIS ENIM INNATVM NIHIL INEST. Ibi, QVOD ETIAM PLVRA, hic QVO ET PLVRA. Ibi, NEC INVENIETVR VNQVAM. hic. NEC ENIM INVENIVNTVR VNQVAM. Ibi, OMNIA SENTIENS ET MOVENS, hic, OMNIA SENTIENS ET OMNIA MOVENS.

Et eorum, in vrbibus] Sic lego ex meo Lactantio. Nam alij legunt, IN EORVM VRBIBVS. sententia ipsa prorsus, non solum verbis cōmutatis. Neque enim, EORVM, ad, VRBES, quod proximum est, sed ad, TEMPLA, quod est paullo remotius, referendum est. Ex eodem quoque meo Lactantio, infra, pro ASSENTIAM, lego ASSENTIAMVR.

Illud profecto fuit] Suspicor de mendo. Neq; enim satis intelligi potest qua de re loquatur. Nam si de Tullia, in eo quidem nec genus seruauit feminæ conueniens, cum neutro vteretur, nec tempus aut personam cum illo tēpore aut persona congruentem, quam infra vsurpat de eadem Tullia verba faciens. Huic idem honos, inquit, certe dicandus est. Neq; enim aut ibi dicit, Illi dicandus fuit. aut hic, Hoc profecto est: sed ibi qui-

dem, Huic dicandus est: hic autem, Illud profecto fuit. Itaque cũ de hoc vniuerso loco attentius cogitaui, sic iudico, aut abundare totum hoc, ILLVD PROFECTO FVIT, aut legendum esse, SICVT PROFECTO FVIT, aut verò ab auctore ipso ita fuisse repositũ, vt tribus propositis periodi mẽbris, a particula, SI, incipientibus, & in, FVIT, desinentibus, quarto ipso membro periodus, per verbum, EST, clauderetur, ad hunc aliquem consimilem modum. QVOD SI VLLVM VNQVAM ANIMAL CONSECRANDVM FVIT, SI CVI ETIAM DIVINITATIS OPINIO TRIBVENDA, HOMINI EX HOMINE PROFECTO, FVIT, SI CADMI, AVT AMPHITRYONIS PROGENIES, AVT TYNDARI IN COELVM TOLLENDA FAMA FVIT, HVIC IDEM HONOS CERTE DICANDVS EST. Praeterea, ante cum de Cadmi, & Amphitryonis, & Tyndari progenie mecum considero, deducor sensim cogitatione ad illum locũ, huic, vt mihi quidem videtur, persimilem, quem idem libro. 1. quaestionum scriptum reliquit, vbi ita loquitur. vnum illud insitum erat priscis illis, quos Cascos appellat Ennius, esse in morte sensum, neque excessu vitae sic deleri hominem, vt funditus interiret: idque cùm multis alijs rebus, tum e pontificio iure, & caeremonijs sepulchrorum intelligi licet: quas maximis ingenijs prȩditi, nec tanta cura coluissent, nec violatas tam inexpiabili religione sanxissent, nisi hȩsisset in eorum mentibus, mortem non interitum esse omnia tollentem atque delentem, sed quandã quasi migrationem, commutationemq; vitae, quae in claris viris, & feminis dux in coelum soleret esse, in ceteris humi retineretur, & permaneret tamen. Ex hoc & nostrorum opinione,

Romulus in coelo cum dijs genitalibus aeuum

Degit, vt famae assentiens dixit Ennius: & apud Graecos, indeque perlapsus ad nos, & vsque ad Oceanum Hercules, tantus & tam praesens habetur deus. Hinc Liber Semele natus, eademq; famae celebritate Tyndaridae fratres qui non modò adiutores in praeliis victoriae populi Ro. sed etiam nuncij fuisse perhibentur. Quid? Ino Cadmi filia nonne Leucothea nominata a Graecis, Maruta habetur a nostris? quid? totum propè coelum, ne plures persequar, nonne humano genere completum est?

Ad opinionem omnium mortalium consecrabo] De ea re plenus lib.

lib.XII.epistolarum ad Atticum, cuius libri locos omnes referre hoc tempore non est necesse. Vnus suffecerit. Habeo, inquit ille, nonnullos ex ijs, quos nunc lectito, auctores, qui dicunt id fieri oportere, quod saepe tecum egi, & quod a te approbari volo, de fano illo dico, de quo quantum me amas velim cogites. Equidem neque de genere dubito. Placet enim mihi Cluatij: neque de re, statutum est enim: de loco nonnunquam. Velim igitur cogites. Ego quantum his temporibus eruditis fieri poterit, profecto illam consecrabo omni genere monimentorum ab omnium ingenijs scriptorum & Graecorũ, & Latinorum: quae res forsitan sit refricatura vulnus meum, sed iam quasi voto quodam, & promisso me teneri puto, longumque illud tempus cum nõ ero, magis me mouet quam hoc exiguum, quod mihi tamen nimium longum videtur. Haec ibi. Cetera de fano vide alibi libro eodem hoc isto XII. Vnum ex verbis recitatis adnotandum est. Cum inquit Cicero, quantum his temporibus eruditis fieri poterit, manifeste respicit ad illud III. de repub. vbi de Romuli consecratione disputans, inquit. Doctis iam hominibus ac tẽporibus ipsis eruditis ad fingendum vix quidquam fuisse loci.

Eundem cursum in caelum patere] Ita meus Lactantius. Prius erat. INDE CVRSVM.

Nam vitijs & sceleribus contaminatos] Ad eandem hanc sententiam idem iste Lactantius, qui fragmenti est auctor, respicit lib.VII. cap. x. in fine. Atque adeò respicit etiam ipse Cicero I.Tusc. sic scribens. Socrates disseruit duas esse vias, duplicesq; cursus animorum e corpore excedentium. nam qui se humanis vitiis contaminassent, & se totos libidinibus dedissent, quibus caecati velut domesticis vitiis atque flagitiis se inquinassent, vel in repub. violanda fraudes inexpiabiles cõcepissent, iis deuium quoddam iter esse seclusum a concilio deorum: qui autem se integros, castosque seruauissent, quibusque fuisset minima cũ corporibus contagio, seque ab his semper seuocassent, essentque in corporibus humanis vitam imitati deorum, his ad illos, a quibus essent profecti, reditum facilem patere. Cum igitur in hoc fragmento dicit, sapientis, non vnum omnibus cursum propositum esse arbitrari, Socratem hunc istũ intelligit, cuius illa sunt in Tusculana ex Phaedone Platonis translata. Quo quidem in loco lego etiam pro, Velut domesticiis vitiis, Vel domesticis vitiis.


Castos autem animos] Sic Lactantius lib. III. cap. XIX.

Facili lapsu] Sic Vergilius IIII. Aeneid. Et labere pennis. Sic ipse in Mario, Prępetibus pennis lapsuque volantem.

Ad naturam sui similem.] Respicit eò idem Lactãtius lib. VII. cap. VIII. in fine.

Cedo en manum tollo] Quid? si, ET MANVM TOLLO. Immo sic legisse videtur Petrarcha, vt est lib. VIII. senilium rerum epist. I.

In librum de suis consiliis.



HIc liber, etsi aliter quidam existimare videntur, a libro de suis temporibus differebat, qui, vt postea videbimus, scriptus fuit versibus, cũ expositio suorum consiliorum soluta numeris oratione perscripta esset, vt ex fragmento ipso constat. Inscriptus autem fuit liber vel de suis consilijs, vt Boethus, vel expositio suorũ consiliorum, vt Augustinus, & Asconius Pedianus memorant. Ac Boethi quidem, & Augustini infra referemus. Asconius autem initio statim expositionis suæ in orationem in toga candida sic habet. Aut C. Cæsaris, inquit, aut M. Crassi domum significat. etenim acerrimi hi ac potentissimi fuerunt Ciceronis refragatores, cum petijt consulatum: quod eius in dies ciuilem crescere dignitatem animaduertebant. & hoc ipse, inquit, Cicero in expositionem suorum consiliorum significat. Mihi autem ad eius quoque libri inscriptionem alludere videtur Cicero ipse, cum sic loquitur. I. Philip. initio. Antequam de repub. P.C. dicam ea, quæ dicenda hoc tempore arbitror, exponam vobis breuiter cõsilium & profectionis, & reuersionis meæ. Et item. Exposui profectionis consilium, reuersionis exponam. Et in ea pro Sextio. Exponam enim hodierno die iudices omnem rationem facti, & consilij mei. Quo etiam, & Asconius in argumento. II. Verr. videtur respexisse.

Sed ut aliquam] Ex Boetho, & Augustino desumptum fragmentum, quorum vterque ijsdem verbis vtitur in recitando. Et Augustinus quidem sic lib. V. contra Iul. Pelag. cap. IIII. Aures quoque hominis quomodo ei (de libidine loquitur) sub-

derēs inueniſti,& erexiſti eius vetuſtiſsimum quidem, ſed plane glorioſsimum titulum,commemorans,quod in expoſitione cōſiliorum ſuorum Tullius poſuit. quia cum vinolenti adoleſcentes &c. Boethus autem ſic lib.vii. de muſica cap.i. Tanta fuit muſicæ diligentia, vt eam animos quoque obtinere arbitrarentur. vulgatum quippe eſt,quàm ſępe iracundias cantilena repreſſerit,quam multa vel in corporum,vel in animorum affectionibus miranda perfecerit. Cui enim eſt illud ignotum, quod Pythagoras ebrium adoleſcentem Tauromínitanum, ſub Phrygij modi ſono incitatum,ſpondæo ſuccinente reddiderit mitiorem,& ſui compotem.nam cum ſcortum in riualis domo eſſet clauſum, atque ille furens domum vellet amburere, cumque Pythagoras ſtellarum curſus (vt ei mos nocturnus erat) inſpiceret, vbi intellexit ſono Phrygij modi incitatum, multis amicorum admonitionibus a facinore noluiſſe deſiſtere, mutari modum pręcepit. atque ita furentis animum adoleſcentis ad ſtatū mentis pacatiſſime temperauit. Quod ſcilicet M. Tullius commemorat in eo libro,quem de conſilijs ſuis cōpoſuit,aliter quidem,ſed hoc modo. Sed vt aliqua ſimilitudine,&c. In extremo autem fragmento ſic legūt libri Boethi, GRAVITATE CANENTIS, ILLORVM FVRENTEM PETVLANTIAM CONSEDASSE. Sed ego ex Auguſtino repetere malui. De efficacitate ſanè variorum canendi modorum, hæc ex Ciceronis lib. de diuinatione primo adferre libuit. Fit,ait Q. frater,ſæpe vocum grauitate,& cantibus, vt pellantur animi vehementius. Et paullo poſt ibidem,eſſe,idem inquit, qui ſono quodam vocum, & Phrygijs cantibus incitentur. Vnde M. ipſe in II. de legibus ita habet: Aſſentior Platoni, nihil tam facile in animos teneros atq; molles influere,quàm varios canendi ſonos,quorum dici vix poteſt quanta ſit vis in vtranque partem.namque & incitat languentes, & lāguefacit excitatos, & tum remittit animos, tum contrahit, ciuitatumq; hoc multarum in Gręcia interfuit, antiquum vocum ſeruare modum: quarum mores lapſi ad mollitiem pariter ſunt immutati cum cantibus, aut hac dulcedine corruptelaque deprauati, vt quidam putant: aut cum ſeueritas eorum ob alia vitia cecidiſſet,tum fuit in auribus animisq; mutatis etiam hinc mutationi locus. Quamobrem ille quidem ſapientiſsimus Græciæ vir, longeque doctiſsimus valde hanc labem veretur: negat enim mutari poſſe muſicas leges,ſine mutatione

tione legum publicarum. Quod autem Phrygiorum modorum, aliquoties superius est facta mentio, eos sane vehementes extitisse, illud quoque Varronis arguit, quod Non. dict. Anima, ex Eudæmonibus ipsius adducit. Phrygios, inquit Varro, perosa cantus, liquida canit anima. Sic enim lego, & liquidam animam sonum remissum ac moderatum, vel vt Non. ipse dict. Liquidum interpretatur, dulcem ac suauem intelligo.

In librum de virtutibus.



IN HOC libro, mea quidem sententia M. Cicero, quæ copiose in libro de officijs ad filium tradiderat, breuiter compræhensa litteris consignauit: planè ad Aristotelis imitationem, qui post libros τῶν ἠθικῶν ad Nicomachum, etiam περὶ ἀρετῶν opusculum scripsisse dicitur. Carisius & libri meminit, & fragmentum ex eo proponit.

Illud neutiquam probares] Vnicum hoc est, quod sciam, eius libri fragmentum a Sigonio propositum. Nisi fortè etiam illud referre huc libeat, quod est apud Augustinum lib. XIIII. de trinit. cap. XI. Prudentiæ partes sunt memoria, prouidentia, intelligentia. Quód tamen in Hortensio alioqui retulimus.

In librum de notis.



DE EO libro quem de notis inscripsisse videtur, sic tradit Io. Tritemius scriptor ecclesiasticus in Polygraphia, pluribus in locis. M. inquit, Tullius Cicero facundus Rom. orator librum scripsit, non paruæ quantitatis, notarum ad filium, quem sanctus Ciprianus Carthaginiensiũ præsul, & martyr, multis, & notis, & dictionibus ampliauit, in modum scilicet dictionarij, vbi secundũ ordinem ponuntur primo characteres siue notæ, postea dictiones per eosdem characteres designatæ: ita vt dictio quæuis per notam sibi significaretur præpositam. Rarus est codex, inquit, & a me semel duntaxat repertus, vilique pretio emptus. Nam cum anno dominicæ natiui

tatis

tatis M. C D. X C. V I. bibliothecas plures, librorum amore, perlustrarem, reperi memoratum codicem in quodam ordinis nostri monasterio nimia vetustate neglectũ, proiectum sub puluere atque contemptum. Interrogaui abbatem doctorem iuris, quanti illum ęstimaret. respondit Sancti Anselmi parua opuscula nuper impressa illi præferrem. Ad bibliopolas adij, postulata Anselmi opuscula pro sexta floreni parte comparaui: Abbati, & monachis gaudens tradidi, & iam prope interitum actum codicem liberaui. Decreuerant enim pergameni amore radendum. Ego autem, inquit, librum etiam hactenus habeo integrũ, & incorruptum, quem nusquam vidi alibi. His notis autem, inquit, tam Tullianis, quàm a Cipriano adinuentis, biennio pòst in bibliotheca maioris ecclesiæ Argentinen. reperi totum Dauidis psalterium exaratum: nisi quod liber inscriptionẽ, ab ignaro quodam prępositam haberet, psalterij in Armenica lingua: cum inscribendus esset, Psalterium Dauidis regis Latinum, notis Tullianis descriptum. Etsi autem earum notarum tanta esset in illo libro copia, vt omnino ad scribendum omnia, quæcunq; Latino sermone volueris, sufficere viderentur, tamen is paucas duntaxat notas subiecisse se scribit, vt ex ijs forma reliquarum videri ac cognosci posit.

approbat	improbus
comprobat	probus

Hęc nos ferè ad verbum ex Tritemio. Quæ sanè vel inde etiam possunt videri verisimilia, quòd Plutarchus scribit in Catone, Ciceronem scriptoribus breues quasdã notas præscripsisse, quibus, Catonis de coniuratis oratio, exciperetur. Ego tamen magnopere vereor, ne is sit liber, cuius non Cicero ipse, sed Tullius Tiro Ciceronis libertus auctor extiterit: qua de re scribit Eusebius in Chronicis, olympiadis cxciii. anno. iiii. Sane enim Tirouem hunc complures libros reliquisse testatur Gellius lib. xiii. cap. ix. Omnino autem veteres ipsos in scribendo breuibus quibusdam notis vsos fuisse, idque non solum eiusmodi, cum primis litteris, vt ait Iustinianus noster, verba, & nomina notarentur, sed etiam obscurioribus quibusdam, & quæ a paucis duntaxat conscijs legi intelligique possint, aliunde affatim peti potest. Has sanè eiusmodi notas litteras non esse, notat Paullus li. xli. ad edictum, scribere Pedium lib. xxv. ad edictum. vide D. de bon. poss. leg. vi.

In Cho-

In chorographiam.



VNC librum, idem ex quo fragmentum desumptum est, citat Priscianus lib. VI. Et quidem sic citat, uti Ciceronis. Ego tamē vereor, ne Varronem pro Cicerone citare debuerit: si modo etiam is error non librarij culpa in libros irrepserit. Est enim plane Chorographia Varronis liber.

In ea, quæ ad libros Academicos pertinent.



VAE restant ex hoc tertio tomo explicāda breuissime expediam. sunt enim ex libris, quorum magna pars in excusis inuenitur. Fragmenta hæc, quę ex Academicis collecta sunt, ad eos libros pertinent, qui erant posterioris editionis, & quorum nunc etiam primus extat, quāquam mancus & mutilus. Nonius, dum quartum esse putat eius editionis, qui est prioris secundus, fecit, vt quarti libri fragmentum certum demonstrare nullum possimus.

Quid stomachetur Mnesarchus] Hunc inter principes Stoicorum Atheniensium numerauit in Lucullo.

Qui enim serius honores] Vocem, SERIVS, restitui ex meo Nonio, & aliis. Sensus autem fragmenti fortassis est, eos qui nō suo anno adipiscuntur magistratus, vix vnquam deinde admitti ad eosdem. non enim valde esse commēdatos ad opinionem multitudinis. vnde frequens illa Ciceronis gloriatio, in recēsendis gradibus honorum suo anno obtentorum.

Scelera ponere] Non admodum probo, Ponere.

Lunæ quæ lineamenta] De maculis Lunæ, vide Plinium lib. II. cap. IX.

Quid mare? non ne cæruleum?] Persimilis huic est locus in Lucullo, quem ego referente Sigonio non referrem, nisi me aliqua ex parte corrigere posse existimarem. is ita habet. Mare illud,

quidem nunc Fauonio naſcente purpureum videtur, idem huic noſtro videbitur, nec tamen aſſentietur, quia nobiſmetipſis modo cæruleum videbatur, mane flauum. Quod ſane teſtimonium cum ita referat Nonins, dict. Rauum, quia nobiſmetipſis, inquit, tum cæruleum, tum rauum videtur, legendum exiſtimo, pro Flauum, Rauum, pro Mane autem, veſtigiis Nonij inſiſtẽs, arbitror legendum, Modo: vt ſit, Modo cæruleum videtur, modo rauum. Rauum autem quid ſit, vide Nonium & Feſtum. Mutari autem a ventis, maris colores, adnotauit etiam Gellius lib. II. cap. XXX. ex Ariſtotele nominatim, quoties ventus mare cæruleum criſpicans facit niteſcere, ſcribit Furium poetam veterem purpurare dixiſſe lib. XVIII. cap. XI. vt verendum plane ſit, ne in hoc quoque fragmento ſtatim pro, cum Pulſa eſt remis, Pulſa ventis, legendum eſſe videatur. Victorius in ſuis caſtigationibus ſuam cuique loco lectionem ſtudet conſeruare.

Et quidem aqua tinctum quodammodo.] Non puto locum eſſe integrum. Meus, quo vtor, Nonius, ET QVIDEM AQVAE TINCTVM QVODAMMODO, ET INFECTVM. Aliorum vt videtur. ET QVIDEM AQVA TINCTVM QVODAM ET INFECTVM. Hæreo. prꝗterea autem, quid ſit quod hic dicitur, MARIS VNDA AQVA TINCTVM, non intelligo.

Quid tam planum uidetur.] Deſcripſi, vt erat in nõnullo exemplari. uſque adeò autem æquor planiciem omnem, quod hic Cicero indicare videtur ſignificat, vt Phauorinus etiam apud Gellium lib. XII. cap. I. ad ventris læuitatem accommodare nõ dubitauerit. Pleræq; prodigioſæ mulieres, inquit, nituntur vt fœtus concepti aboriantur: ne æquor illud ventris irrugetur. id eſt, vt ego exiſtimo, ne planicies illa & læuor ventris in rugas abeat.

Alius adultis, alius ſenibus, alius ægris.] Haud valde dubitarem affirmare legendum eſſe, poſt SENIBVS, ALIVS SANIS, ALIVS AEGRIS. nam & ratio contrariorum requirit, & in Lucullo ita loquitur. Dormientium & vinolẽtorum & furioſorum viſa imbecilliora eſſe dicebas quàm vigilantium, ſiccorũ, ſanorum. ſed imperito librario. SENIBVS ET SANIS, impoſuit. Siccos autem Cicero vinolentis non ſolum in his locis oppoſuit, ſed etiam in ea de lege agraria in ſenatu, in ipſo initio.

Si quando enim nos demersimus.] Sic legit liber meus, & quidã alij. prius erat, DEMISSIMVS.

Cum ouum inspexerant.] Idem ille liber meus in Nonio dictione Gallina, sic habet. Cicero Acad. lib. III. Qui gallinas alere permultas quęstus causa soleret. Idem lib. II. Cum ouum inspexerant, quæ id gallina peperisset, dicere solebant. Ex quo, si locus est coniecturæ, ita existimarem, prius illud ex lib. III. fragmentum, esse inter ea, quæ sunt ex lib. III. reponendum: hoc autem quod est ex secundo, eradendum prorsus, & delendum. fortasse enim eum secundum nominat, qui fuit prioris editionis secundus, Lucullus videlicet, qui nunc extat, atq; adeo hoc istud fragmentum continet: sicut ipse etiam adnotauit Sigonius.

Quis non cum miserrimum.] Sic emendaui, approbante Sigonio: quanquam in omnibus, quos vidi, libris EVM MISERRIMVM. Paullo autem superius quoq; video in eadem particula peccatũ fuisse. Lego enim planè pro, IN FACINOROSIS, CVM FACINOROROSIS. sic enim etiam lib. I. locutus est. Antipater digladietur cum Carneade. nisi si id sanè sic dictum quis esse cõtendat, vt illud, haberi in magnis viris, esse in clarissimis ciuibus, reponi in suis, pro inter magnos, inter clarissimos, inter suos. Cum hæc scripsissem multo ante, Regis postea Nonium videre mihi cõtigit, qui manifeste legit, CVM FACINOROSIS.

Et ut nos nunc sedemus ad Lucrinum.] Sic Lucullo. Et vt nos nũc sumus ad Baulas Puteolosque &c.

Quod si liceret ut ijs.] In meo Lactantio, ex quo auctore hoc fragmentum descriptum est, legitur, sic: QVOD SI LICERET IIS, QVI IN ITINERE DEERRAVISSENT, SIC VITAM DEVIAM SECVTOS CORRIGERE ERROREM PAENITENDO, FELITIOR ESSET EMENDATIO TEMERITATIS, aliàs DEERRASSENT, pro DECREAVISSENT: & FACILIOR, pro FELICIOR, correxi. QVOD SI LICERET VT IIS, QVI IN ITINERE DEERRAVISSENT, SIC VITAM DEVIAM SECVTIS &c. vel, QVOD SI LICERET, VT QVI IN ITINERE DEERR. SIC VIT. DEVIAM SECVTOS &c. vide Lactantiũ lib. VI. cap. XXIII. Est enim plane sumpta similitudo a viatoribus: cuius generis & multę extãt

alię

aliæ alijs in locis,& illa etiam in illo,quod est lib. II. epistolarũ ad Q. fratrem. Efficiam inquit,quod sępe viatoribus cum properant euenit,vt si serius quàm voluerunt fortè surrexerint,properando etiam citius quàm si de multa nocte vigilassent,perueniāt quo velint,sic ego &c. Cum hæc ita scripsissem,vidi postea in quorundam obseruationibus,particulam, V T, hoc loco nō omitti. De FELICIOR, autem &, FACILIOR, amplius pronuncio.

Latent ista omnia Varro] Sic Lucullo. Latent ista omnia Luculle,crassis occultata & circumfusa tenebris. In primo autem quoque ad Varronem ipsum,sic. Socrates,& qui inde profecti sunt omnes veteres,omnia tenebris circumfusa esse dixerunt, sic omnia latere censebant in occulto.

Academico sapienti.] Ex eodem illo Augustini loco,ex quo se Sigonius reliqua attulisse significat. Lego autem, ACADEMICO SAPIENTI. nō, ACADEMICOS SAPIENTI. Quod autem hic dicitur Academico secundas partes a ceteris sectis dari,eleganter id expressit idem iste Cicero III. de nat. deor. statim initio, cum ita Velleium Epicureum inducit ad Cottam Academicum verba facientem. Nescis,inquit,quanta cum expectatione Cotta sim te auditurus. Iucundus enim Balbo nostro sermo tuus contra Epicurum fuit. Præbebo igitur me tibi vicissim attentum contra Stoicos auditorem.

Recte primum esse iudicio suo,qui ceterorum omnium sit secundus.] Sic Amazonum quoque statuam probatissimā electam fuisse, in templo Dianę Ephesiæ,scribit Plinius,ipsorum artificum,qui præsentes erāt, iudicio,quam apparuit eam fuisse,quam omnes secundam a sua quisq; iudicassent. Plin. lib. XXXIIII. cap. VIII.

Quasi libera turba temulentorum, quærentiũ tantum] Prius erat, QVAERENTIVM TAMEN. sensus est. Epicurus conuocat de hortulis, suorum turbam quasi liberam, id autem est omnibus curis solutam, illud tantum quærentem,quem &c. Ibidem autem dixit. teste populo, pro eo quod alibi, secundo populo.

In quorum rixam si Academicus incurrerit] Prius INCVRRIT: meus Augustinus. INCVRRERIT.


Et hac & illac aurem admouerit.] Puto legendum, ET HVC ET ILLVC.

De re tanta deliberandum esse pronunciat] Imitatio Teren-

tij Phorm. Ego amplius deliberandum censeo, res magna est.

Mos fuit Academicis] Augustinus contra Academicos sic habet lib. III. in fine. quisquis putat hoc sensisse Academicos, ipsum Ciceronem audiat. ait enim illis morem fuisse occultandi sententiam suam, nec eam cuiquam, nisi qui secum ad senectutem vsque vixissent, aperire consueuisse. vt sanè videatur fragmentum esse ad talem aliquem modum conformandum, qualem expressimus. Cum autem constet Ciceronis fragmentum esse, facile etiam ex Academicis esse quæstionibus existimari potest. Id enim vel ipsa Augustini librorum inscriptio potest commonefacere. sin minus hinc sumptum est, at certe alicunde, & erit inter incerta reponẽdum. Simile certe huic est, quod ita in Lucullo perscribitur. Volo videre quid inuenerint. Non solenis, inquit, ostendere. Quæ sunt tandem ista mysteria? aut cur celatis, quasi turpe aliquid, sententiam vestram?

In ea, quæ ad libros de natura deorum pertinent.



FICTORQVE *item cera.*] Olim legebatur, FICTORQVE CERA. quod mihi, cum alia etiam ex causa non satis faceret, recurri ad exemplar Lactantij ipsum, quod legit. FICTORQVE ITEM CERA. Equidem quod reperi posui. sed si dicendum est quod sentio, aliquid præterea desidero. Omnino de ijs, qui e cera fingere solebant, locus est apud eundem Ciceronem VI. Verr. vbi de duobus fratribus Cybiratis, & Plinium lib. XXXV. cap. XII. & fortasis etiam cap. XI. & reuera cap. II. Ex quo illud Iuuenal, Tota licet veteres exornent vndique ceræ Atria. Et illa metaphora lib. III. de oratore. Verba, inquit, cum iacentia sustulimus e medio, sicut mollissimam ceram ad nostrum arbitrium formamus, & fingimus. Et illud item lib. I. de natura deorum. Hoc intelligerem quale esset, si id in ceris fingeretur.

Non sunt ista] Ex Lactantio lib. II. cap. III. Etsi autem ibi librum, vnde desumpserit, non nominat, tamen ex ijs, quæ scribit, facile libros de deorum natura conijcimus, sic enim habet.

Intel-

Intelligebat Cicero, falsa esse, quæ homines adorarent. nam cum multa dixisset, quæ ad euersionem religonum valerent, ait tamen non esse illa vulgo disputanda &c. Loqui autem videtur Cicero de secundo genere deorũ ex tribus. De quibus vide August. li. IIII. ciuit. dei cap. XXVII. & lib. VI. cap. V.

In ea, quæ ad libros de diuinatione pertinent.



RAETERIA *similiter*] Libros de diuinatione duos habemus, sed primum in extremo imperfectum, vnde hoc esse fragmentũ existimo, desumptum ex Diomede lib. I. vbi ait de verbo Excello, quod etiam altero casu a quibusdam excelleo dicebatur. Esse autem conciliabulum, quo hic vtitur Cicero, ex Latinis vocabulis, demonstrat Festus lib. III. qui etiam illud interpretatur, pro loco, vbi in concilium conuenitur. Demonstrat & Isidorus lib. XV. etimol. Apud Liuium sæpe fora, & conciliabula distinguuntur. Apud Paull. lib. IIII. sent. tit. VI. conciliabulum a municipio, colonia oppido, præfectura, vico, castello, separatur. De quo etiam significat Frontinus in lib. de limit. agror.

In ea quæ ad libros de legibus.



EORVM *profecto vitam.*] Sic in meo Lactantio ante, DEORVM PROFECTO VITA.

Magnum audaxque] Assentior opinanti Sigonio, ex secundo de legibus hæc verba excidisse. Etenim cum aperte significet Lactantius huic isti sententię etiam verba illa adiecta fuisse, quę extant manifeste. II. de legibus. Virtutes oportere non vitia consecrari: profecto perspicuum est, quid de his quoque, quæ antegressa fuerunt, sit nobis iudicandum: tum vero præterea, concludens totum hunc locum Lactantius paullo post, ita scribit. itaque præclaram

claram illam tuam legem derideo, quam ponis his verbis. Ast illa, propter quæ datur homini ascensus in cœlum, mentem, virtutem, pietatem, fidem, earumque laudum delubra sunto. Est autem hæc lex lib. II. de legibus. Ex quibus omnibus, fit quoque & illud, vt si cui locum illum Ciceronis, in quo positam legem de Mentis, Pietatis, ceterorumq; similium deorum consecratione explicat, corrigere libeat, deformatum hoc tempore, & deprauatum, is hoc isto ex Lactantio prolato fragmento, non mediocriter possit adiuuari, præsertim cum significet, huic sententiæ adiunctum illud fuisse, quod diximus, de virtutibus potius quàm vitijs consecrandis, quod in libris excusis hodieq; extat, eodem in loco illo.

Quoniam mors aut meliorem, quam] Sic meus Lactantius. Et item, ANIMO VIGENTE: itemque SENSV CARENTE: non vt erat: QVONIAM AVT MORS LEVIOREM, ANIMA VIGENTE, SENSV CARENTI.

Octo pœnarum genera] Sumptum ex Augustino lib. XXI. ciuit. dei. cap. XI. de quo vide etiam Petr. Crinitum lib. XXV. cap. VIII. Et Isidorum lib. V. cap. XXVII. etymologiarum. Quanquam inde quidem vix satis certum esse potest, hęc ista ad libros de legibus pertinere. Equidem de his pœnis penè omnibus sic lib. I. de orat. Vitia, inquit, hominum atque fraudes, damnis ignominijs, vinculis, verberibus, exilijs, morte multantur. Omittitur enim tantum talio, & seruitus.

In ea quæ ad librum de Fato pertinet.



CIPENSER, *qui admodum raro capitur*] De hoc vide Plin. lib. IX. cap. XVII. Et ipse Cicero ita Atticum, vel potius Epicurum alloquitur lib. III. Tuscul. quæst. Si quem tuorum afflictum mœrore videris, huic acipenserem potius quàm aliquem Socraticum libellum dabis.

In ea quæ ad Timæum.



DEFENSTRIX] Ex Priſciano lib. I. partitionum verſuum principalium XII. Aeneid. Eadem autem forma dixit Afranius Adſeſtricem. Dimittit,inquit,adſeſtricem,me ad ſe vocat. Et Poſſeſtricem. Et Hiberus totus in ouilis poſſeſtricem. Vide Noniũ, qui & Plauſtricem, & Impulſtricem, eodem modo dixiſſe veteres tradit. Quanquã quidem in meo Nonio,pro Impulſtrix,eſt Impulſatrix,corrupte ſine dubio. Quod ſi ita eſt,næ ego non magnopere dubitarem, illud quoque Ciceronis in præfatione. v. Tuſculanæ ita legendum eſſe. O uitę philoſophia dux,o virtutum indagatrix, expulſtrixq; vitiorum, potius quàm, expultrix.

Finis adnot. Tomi III.

ANDR. PATRICII STRICECONIS SCHOLIA

In Tomum Quartum

FRAGMENTORVM M. TVLLII CICERONIS.





D eos libros M. Ciceronis, quos superioribus tomis comprehensos diuina nobis potissimum Caroli Sigonij opera atq; diligentia tanquàm ab inferis reuocauit, fragmentaque eorum, tanquàm ex naufragio tabulas, accurate recollegit, nos etiam ipsi cum nonnullos præterea collegissemus, eos in extremũ hunc tomum coniectos, fragmentisque connotatos publice proponendos existimauimus: vt si quam Sigonij illa industria vtilitatem attulerit hominibus studiosis, ea nostro quoque præsenti labore, post illum quidem, quem explendis quoq; & explicandis superiorum librorum fragmentis suscepimus, & absoluimus, plenior posit aliquantum & vberior apparere. Reseruauimus autem in hunc locum poemata potissimum: quorum tenuem quandam memoriam extare animaduertebamus inter cetera, quorum maiestati hæc ista concesserunt. Equidem poemata Ciceronis hæc fuisse reperio.

Pontius Glaucus.
Demetriaca.
Aratæa.
Alcyones.
Vxorius.
Nilus.
Limo.
Marius.
Prognostica.

De consulatu lib.III.
De suis temporibus lib.III.
Elegia Tamelastis.
Homeri conuersio.

De quibus quidem singulis tum loquemur, cum fragmenta exponemus. hic modo de illis quædam præfabimur, quorum fragmenta reperire nulla potuimus.

Scripserat igitur Pontium Glaucum, vel, vt alibi legitur, Pontium Glauciam: de quo poemate sic Plutarchus in eius vita. Adhuc puer cum esset, scripserat Pontium Glaucum, opus paruum, versu tetramento, quod etiamnum asseruatur. Sic Plutarchus. Sed scripserat & Demetriaca quædam, & Vxorium, & Nilum. id quod ita esse, ex Iulio Capitolino colligitur, qui in Gordiano sic scribit. adolescens cum esset Gordianus, poemata scripsit, quæ omnia extant, & cuncta illa, quæ Cicero ex Demetrio, & Arato, & Alcyones, & Vxorium, & Nilum: quæ quidem ad hoc scripsit, vt Ciceronis poemata nimis antiqua viderentur. Hæc de ijs, cetera locis suis.

Quantus autem Cicero extiterit poeta, ostendit facilitas illa primum in pangendis versibus, quòd sint auctores, qui eum, cum in vrbe esset, non pauciores quotidie quingentis versibus scribere solitum affirment: ostendit deinde emendatio Lucretii poetę ab ipso facta, de qua testatur Eusebius: ostendit denique Plutarchus, qui illum non solum oratorem, sed Rom. omnium poetam optimum scribit fuisse iudicatum. Etsi enim ipse palmam in hoc genere Q. ipsi fratri tribuat, ad eum ita scribens lib.II. in fine: Tibi versus, quos rogas, γλαῦκα εἰς ἀθήνας, mittam. & lib.III. De versibus, quos tibi à me scribi vis, deest mihi quidem opera, quæ non modo tempus, sed etiam animum vacuum ab omni cura desiderat: sed abest etiam ἐνθουσιασμός. non enim sumus omnino sine cura venientis anni: etsi sumus sine timore. simul & illud (sine vlla mehercule ironia loquor) tibi istius generis in scribendo priores partes tribuo, quàm mihi. Et epistola sequente. Quod me de faciendis versibus rogas, incredibile est, mi frater, quàm egeam tempore, nec sanè satis commoueor animo ad ea, quæ vis, canenda. ὑποθέσεις verò, & ea, quæ ipse ego ne cogitando quidem consequor, tu, qui omneis isto eloquendi, & exprimendi genere superasti, à me petis? Facerem tamen vt possem: sed (quod te minime

nime

nime fugit) opus est ad poema quadam animi alacritate, quam planè mihi tempora eripiunt. Hæc, inquam, etsi ita scribat, tamen facile, quid ex rei veritate, quid ex fraterni amoris abundantia quadam proficiscatur, internosci potest. Equidem si Q. in hoc genere tam præstitisset, quàm præstitisse eum videri vult M. ipse, non tam, vt opinor anxie, nec tam solicite a fratre ea scribi postularet, quæ sæpe postulat: vt ex libris epistolarum ad eum scriptarum potest intelligi. Omnino M. ipsius poema à Cęsare probari Q. ipse ad eum scripserat, vt est libro II. illarum epistolarum, epistola, Ad IIII. non. quanquàm magis ne id ob argumentum, an ob artem & compositionem, hoc tempore non disputo. laudes enim profectò Cæsaris fuisse tum videtur persecutus. sed non desunt tamen, qui poemata etiam ipsius rideant. de quo nos quoque alibi loquemur. Illud certe controuersiam nullam habet, oratorem eum quam poetam excellentiorem extitisse, atque adeò solum ferè inter Latinos oratorem.

In Phænomena ex Arato.



AGNA res est, & ad commouenda ad rectam imitationem adolescentium studia maxime necessaria, extare doctorum hominum præiudicia, de omnis ætatis, omniumq; gentium scriptoribus. Facilius enim iuuentus statuet, quos sibi potissimum deligat, quorum auctoritate tam ad linguam, quàm ad animum & vitam informandam potissimum nitatur, si testimonia de iis doctorum hominum in omnem partem proposita habuerit. Equidem de Arato poeta, ipsiusq; versibus, doctorum hominum iudicium quod fuerit, ita exponit Crassus libro de oratore primo, apud Ciceronem. Constat, inquit, inter doctos, hominem ignarum Astrologiæ, ornatissimis atque optimis versibus, Aratum de cœlo stellisq; dixisse. Etsi igitur de ipso illo, vti minime omnium Astrologo, fuerit ab antiquis existimatum, tamen quòd versus ipsius, quibus signa ac orbes astrorum fuit persecutus, optimi atque ornatissimi ab eruditis illius ętatis iudicarentur, fecit, hoc doctorum hominum iudicio commotus, M. ipse Cicero non innitus, vt in

prima quasi ętate sua, versus hos illius versibus suis Latinis exprimeret, ad suam suorumq; hominum & vtilitatē, & voluptatem. Quod totum penè sic Lucilius Balbus significat apud ipsum libro de natura deorum II. Vtar, inquit, carminibns Arati eis, quę a te admodum adolescentulo conuersa, ita me delectant, quia Latina sunt, vt multa ex iis memoria teneam. Et D. Hieronymus. Noster, inquit, Tullius Platonis libros ad verbum interpretatus est, & cum Aratum iam Romanum exametris versibus edidisset, in Xenophontis Oeconomico lusit. Et Iulius Firmicus in præfatione II. Astronomicorum. M. Tullius, inquit, princeps aç decus Romanæ eloquentiæ, ne quid intētatum relinqueret, quod non fuisset diuinum eius ingenium assecutum, versibus heroicis de institutione Matheseos pauca respondit. Post ceteros autem, de eodem Arati opere ita Quinctilianus quoq; iudicauit lib. x. cap. primo. Arati materia, inquit ille, motu caret, vt in qua nulla varietas, nullus affectus, nulla persona, nulla cuiusquàm sit oratio: sufficit tamen operi, cui se parem credidit. Sic Quinctilianus. Et sanè, mea quidem sententia, vt, vt reliqua se habeant, non vulgare esse quiddam in Arato oportet, cuius olim gustu adducti magni nominis homines elaborandum sibi in ipsius opere existimauerunt. Non iam enim Cicero ipse tantum, vti diximus, sed etiam Cæsar deinde Germanicus, opus hoc ipsius de reb. cœlestibus in Latinos numeros conuertit, nihil veritus, quod idem ante iam a M. Tullio interpretatum esset, vti adnotauit Hieronymus. Versus Germanici cum citentur sparsim a Prisciano in libris de arte Grammatica, & Lactantio in diuinis institutionibus, tum extant etiamnum ipsi, quod descriptionem signorum attinet, penè integri. Reliqua enim, quę erant de orbibus, & ortu signorum ac occasu, iniuria temporum interciderunt. Ea tamen, quæ extant, extāt etiamnum cōmentario docto ac perleganti illustrata: qui profectò commentarius etsi in Bassum auctorem a quibusdam referatur, tamen & Lactantius lib. I. de falsa religione cap. XI. Cæsarem ipsius auctorem agnoscit, & vir eruditus nostra ferè ætate Politianus idem cap. XXVIII. Miscell. existimat. Quanquàm hoc quidem, quod de Germanico, ex plurium sententia diximus, vnus penè Iulius Firmicus infirmare quibusdam videatur, sic scribens lib. II. Astronomicωn. Sed nec aliquis penè, inquit, Latinorum de hac arte institutionis libros scripsit,

nisi paucos versus Iulius Cæsar, & ipsos tamen de alieno opere mutuatus. Videtur enim quibusdam Firmicus sentire nō Germanicum, sed Iulium ipsum Cæsarem, Arati Phænomena de Græco in Latinum conuertisse: nisi forte, quod mihi quidem fit verisimile, Iulij nomine Germanicum ipsum designet. Planè enim inuocatio ipsa, qua initio vtitur, euincit Iulij Cæsaris non esse. Sed & post vtrosque istos, Ciceronem inquam & Germanicum, siue iam adeò Iulium Cæsarem, Festus quoque Auienus extitit, vt idem adnotauit Hieronymus, qui Aratum conuertit, versibus quidem qui hodieq; extant. Quid? quid aliud? Etiam. Virgilius quoque ipse, quem D. Augustinus optimum poetarum appellat, in ijs quidem, quæ sunt extremo libro 1. Georg. de ventis & imbribus, & reliquis eiusmodi, ad Arati sese imitationem manifestissime composuit, quemadmodum suo loco ostendemus. Adde, quòd ne Paullus quidem ille Tharsensis noster, maximus dei maximi, & filij eius Iesu Christi legatus, versibus ipsius vti erubuit Athenis, apud Areopagitas, vti scriptum extat apud Lucam, in libro Actorum Apostolicorum cap. XVII. cum ita diceret. Viri Athenienses, quem vos deum incognitum colitis, eum ego annuncio vobis. Per ipsum enim viuimus, & mouemur, & sumus. τοῦ γὰρ καὶ γένος ἐσμεν: sicut & quidam vestratium poetarum dixerunt, inquit. Quod cum ita sit, vt nemo eorum virorum, quos nominaui, sua se aut doctrina, aut dignitate abuti existimauerit, legendis, interpretandis, vertendisq; Græcis ipsis Arati versibus, profectò ne nobis quidem, post alios, qui ei quoque rei operam nauauerunt, turpe fuerit in ijs, aut emendandis, aut declarandis, studij interim nonnihil & operæ ponere, quę ex Græco illo in aliam linguam transfusa ab vno omnium Romanorum eloquentissimo profecta, iniuria autem temporum violata, & librariorum inscitia corrupta retinemus. Meo autem Io. Cochanouio gloriosum inprimis fuerit, quod tanto ingenio, tanta dignitate viri facile in rep. sua principes, in suam ipsi conuertere linguam non dubitarunt, id nostra quoque Polonica lingua expressum, ac legibus versuum nostrorum alligatum ad posteritatem transmittere. Vt sicut Latinis scribendis versibus omnes superiores suæ gentis homines, facile superauit, ita quoque Polonicis pangendis, exemplum hoc illustre statuat, ad quod se imitandum, & quoad eius fieri poterit effingendum, posteritas omnis nostra componat. Sed nos quidem

interim,

interim, quæ noſtri propoſiti ſunt, ea aggrediamur.

A *Ioue*] Ex Cicerone ij de legibus. Ordire igitur, inquit, nã hunc tibi totum dicamus diem. M. A Ioue muſarum primordia: ſicut in Arati carmine orſi ſumus. Eſt autem mendum in quibuſdam illis de legibus libris, in quibus ſic legitur. Nam hũc tibi totum dicamus diem maiore muſarum primordio. Errore nato ex eo, quòd littera M, quæ Marci perſonam denotat, cũ ſequente dictione, A, in vnam ſyllabam coaluerat, Ma: & huic ſyllabæ ſequens etiam dictio, Ioue, in vnam compacta dictionem adhæſerat: ſic, MAIoue: ex quo facilis deinde lapſus extitit in, Maiore. vnde etiã exiſtimaui Ciceronem non, Ab Ioue, vt poſtea Vergilium, ſed A Ioue, dixiſſe hoc loco, & ſcriptum reliquiſſe. Ad eumque modum non hic ſolùm reponendum, ſed etiam in ipſo ſecundo de legibus libro, poſt aliorum emendationem, corrigendum eſſe puto: vt videlicet tam hic legatur, quàm illic M. A Ioue Muſarũ primordia. Prorſus quemadmodum apud Ouid. lib. v. Faſt. A Ioue ſurgat opus. Exprimit aũt Græcũ illud.

Ἐκ Διὸς ἀρχώμεσθα τὸν οὐδέποτ' ἄνδρες ἐῶμεν
Ἄῤῥητον.

Ad quod alludens Virgilius. Ab Ioue principium muſæ, inquit. Deinde autem in Arato Græco ſequuntur Iouis quædam encomia. Tum inuocatio ad ipſum, & Muſas his verbis.

Χαῖρε πάτερ μέγα θαῦμα, μέγ' ἀνθρώποισιν ὄνειαρ,
Αὐτὸς καὶ προτέρη γενεή. χαίροιτε δὲ μοῦσαι,
Μειλίχιαι μάλα πᾶσαι. ἐμοίγε μὲν ἀστέρας εἰπεῖν
Εἰ θέμις εὐχομένῳ τεκμήρατε πᾶσαν ἀοιδὴν.

Tum ſtatim rem ipſam aggreditur: cuius ſanè fragmentũ etiam Latinum extat, quod iam interpretabimur.

Cetera labuntur] Hęc omnia ferè, ad illum vſque locũ. Equibus hinc ſubter, ſumpta ſunt ex ij. de natura deorum, recitantur autem à Lucilio, ad exprimenda nomina inerrantium ſtellarum: niſi quòd pauca quædam ex Lactantio, & Priſciano acceſſerunt, quę neceſſario intermiſcere, oportuit: quæ omnia etſi fruſtillatim proponantur, tamen, & ſuccum quidem ac ſanguinem totum ferè Aratæorum continent, & ſanè niſi ea extitiſſent, nos quidem præcipuam Ciceronis Arati partem fruſtra quęreremus. Reliqua aliunde, & quidẽ non tam ex abditis quaſi librorũ venis eruta ſunt, ſicut inferius oſtendemus. Quorum tamen omnium interpretatio & lõgior eſt, quam vt hinc adamuſſim debeat, & ea tamen conditione, vt aliunde facile peti poſſit.

ſit. præſertim cum, præter commentarium illum Germanici, quem diximus, vberem atque copioſum, extent etiam Theonis Græca commentaria, quibus ipſe fuſius ſibi eſſe hæc Aratæa explicanda exiſtimauit. Nos leuiora quædam attingemus: cetera ad Aſtronomos reiiciemus. Verſus hos duos quod attinet, præ manibus quos habemus, ij hunc habēt ſenſum. Cetera, inquit, omnia cœleſtia mouentur motu continuo & ſempiterno: axis vnus ex omnibus motu caret, reliqua autem circa ipſum voluuntur. Hoc Aratus Græce ſic extulit.

Οἱ μὲν ὁμῶς πολεές τε, καὶ ἄλλυδις ἄλλοι ἐόντες,
Οὐρανῷ ἕλκονται πάντ' ἤματα συνελὲς αἰεὶ.
Αὐτὰρ ὅγ' οὐδ' ὀλίγον μεταυίσσεται, ἀλλὰ μαλ' αὔτως
Ἄξων αἰὲν ἄρηρεν. ἔχει δ' ἀτάλαντον ἁπάντη
Μεσσηγὺς γαῖαν. περὶ δ' οὐρανὸς αὐτὸν ἀγινεῖ.

Extremusque adeò duplici] Senſus. Eius axis, quem ſupra à motu liberum eſſe diximus, extremitates duæ, poli dicuntur: quorum alter ab aſpectu prorſus noſtro remotus eſt, alter huic ex aduerſum ad Boream eſt nobis conſpicuus: quem iuxta, duæ ſunt *ἄρκτοι*, nunquàm, vt idem ait Cicero II. de natura deorum, occidentes. Quod totum Græce ſic Aratus.

Καί μιν πειραίνουσι δύω πόλοι ἀμφοτέρωθεν
Ἀλλ' ὁ μὲν οὐκ ἐπίοπτος. ὁ δ' ἀντίος ἐκ βορέαο,
Ὑψόθεν ὠκεανοῖο. δύω δέ μιν ἀμφὶς ἔχουσαι
Ἄρκτοι ἅμα τροχόωσι τὸ δὴ καλέονται ἅμαξαι
Αἱ δ' ἤτοι κεφαλὰς μὲν ἐπ' ἰξύας αἰὲν ἔχουσιν
Ἀλλήλων. αἰεὶ δὲ κατωμάδιαι φορέονται,
Ἔμπαλιν εἰς ὤμους τετραμμέναι.

Tum fabula de ipſis, qua ratione in cœlum peruenerint. Deinde ſequitur, id quod ſequitur in Latino ſic.

Ex his altera apud Graios Cynoſura vocatur,
Altera dicitur eſſe Helice.

in Græco ſic.

Οἳ τὴν μὲν κυνόσουραν ἐπίκλησιν καλέουσι,
Τὴν δ' ἑτέρην ἑλίκην.

Altera dicitur eſſe Helice] Hic verſus breuiter ſic expleri poſſet.

Altera dicitur eſſe Helice, notiſsima ſtellis
Quas noſtri &c.

Quanquàm ego quidem, cum verba Ciceronis lib. II. de natura deorū intueor, quę his verſibus interſerit, plura hoc loco deſiderari exiſtimo. Sic enim habet.

Altera dicitur eſſe Helice,

Cuius

Cuius quidem clarissimas stellas totis noctibus cernimus,

Quas nostri Septem soliti vocitare triones.

Aratum quod attinet, planè hęc eiusmodi ab eius libro absunt. Sic enim ille, cum vtranque Arctum sic nominibus descripsisset, vti superius vidimus, inquit.

Ἑλίκῃ γε μὲν ἄνδρες Ἀχαιοὶ
Εἰν ἁλὶ τεκμαίρονται ἵνα χρὴ νῆας ἀγινεῖν.

Nisi fortè quod de Septentrionibus loquitur Cicero, illud exprimere voluerit, quod superius Græce dixerat Aratus.

Ἄρκτοι ἅμα τροχόωσι, τὸ δὴ καλέονται ἅμαξαι.

Arcti, inquit voluuntur, eoque vocantur Plaustra Græcis à similitudine. Tũ addiderit. Latinis verò à iunctis bubus, Septẽtriones. Quem totum locum libet explicare Varronis verbis lib. VI. de lingua Latina ad Ciceronem, quomodo quidem ferè vulgo habentur. Is enim Casſij poetę verbis propositis his. Quid nox videtur in altisono cœli clypeo temo superat stellas, sublime cogens etiam atque etiam noctis iter: inquit, Temo, vnde, & cur dicatur, latet. Et mox addit. Arbitror, inquit, antiquos rusticos primum notasse quædam in cęlo signa, quę præter alia erant insignia, atque ad aliquem vsum culturæ tempus designandũ conuenire animaduertebantur, eius signa sunt, ꝙ has septem stellas Græci, vt Homerus, vocãt ἅμαξαν, & propinquum eis signum Booté, nostri eas septem stellas Boues, & Temones, & prope eas Axem. Triones enim boues appellantur a bubulcis etiam nunc, maxime cum arant terram, e quis dicti valentes Glebarij, qui facile proscindunt glebas, sic omnes qui terrã arabant a terra Terriones, vnde Triones, vt dicerentur, er detritum. Temo dictus a tenendo. Is enim cõtinet Iugum, & Plaustrum appellatum a parte totum, vt multa pñt. Triones dicti septem', quòd ita sitę stellæ, vt ternæ trigona faciant. Hæc Varro. Qua de re vide etiam Gellium lib. II. cap. XXI.

H*ac fidunt duce*] Hæc de Cynosura dicuntur, quam post Helicem videtur Cicero descripsisse, illo quidem fortaſsis sensu, quem ipse significat verbis alijs lib. II. de natura deorum, cum inquit. Paribus stellis similiter distinctis, eundem cœli verticem lustrat parua Cynosura.

Hac fidunt duce &c.

Quem versum sic refert Lucullus apud eundem lib. II. Academicorum.

Qua

Qua fidunt duce &c.

Sed nimirum illo quidem in loco filum orationis ſequitur. Sic enim integer locus habet. Ego verò ipſe,& magnus quidē ſum opinator: non enim ſum ſapiens,& meas cogitationes ſic dirigo, non ad illam paruulam Cynoſuram. Qua fidunt duce nocturna Phenices in alto, vt ait Aratus, eoque directius gubernant, quòd eam teneant,

Quæ curſu interiore breui conuertitur orbe.

Sed ad Helicen & clariſsimos Septemtriones, id eſt rationes has latiore ſpecie non ad tenue elimatas. Græcum Arati carmen, quod huic reſpondet, ſic habet.

Τῇ δ' ἄρα φοίνικες πίσυνοι, περόωσι θάλασσαν,

Sed prior illa] Helicen ſignificat. *Hæc verò parua eſt*] Cynoſuram intelligit. De vtraque, quod quidem Cicero expreſſerit, ſic Aratus Græce.

Ἀλλ' ἡ μὲν καθαρὴ καὶ ἐπιφράσσασθαι ἑτοίμη
Πολλὴ φαινομένη ἑλίκη, πρώτης ἀπὸ νυκτός.
Ἣ δ' ἑτέρη, ὀλίγη μὲν, ἀτὰρ ναύτῃσιν ἀρείων
Μειοτέρη γὰρ πᾶσα περιστρέφεται στροφάλιγγι.

Nam curſu interiore] Hunc verſum ſic refert lib. II. Acad. vt vidimus.

Quæ curſu interiore breui conuertitur orbe.

Sed ibi, vti curſus ipſius orationis expoſcebat, ſic verſus aptari, hic autem, vt verſus ipſe habuit, ſic res videtur recitari. Locum integrum ex II. Academicorum, paullo ante recitauimus.

Has inter] Hunc inter, & ſuperiorem verſum, deeſt, quod ita Aratus, verſu vno extulerat.

Τῇ καὶ σιδόνιοι ἰθύντατα ναυτίλλονται.

Tum ſequitnr quod reſpondet his Latinis.

Τὰς δὲ δι' ἀμφοτέρας οἵη ποταμοῖο ἀποῤῥὼξ,
Εἰλεῖται, μέγα θαῦμα, δράκων περί τ' ἀμφί τ' ἐαγὼς
Μυρίος. αἱ δ' ἄρα οἱ σπείρης ἑκάτερθε φύονθαι.

Toruu' Draco] Huius verſus meminit etiam Priſc. lib. XIIII in principio, & fine. Legit autem pro Supra, Supera: & Retorquens, pro, Reuoluens.

Huic non vna modo] Hæc de eodem quidem Dracone planè dicuntur, quanquàm in Latino pleraq; deſiderari videantur, quæ his verſibus Græcis expreſſa fuerunt

Αἱ δ' ἄρα οἱ σπείρης ἑκάτερθε φύονται
Ἄρκτοι, κυανέου πεφυλαγμέναι ὠκεανοῖο.
Αὐτὰρ ὅγ', ἄλλην μὲν νεάτῃ † ἀποτείνεται οὐρῇ. † al. ἀποτέμνεται.
Ἄλλην δὲ σπείρῃ περιτέμνεται. ἡ μὲν οἱ ἄκρη

Οὐρῇ παρὰ κεφαλὴν ἑλίκης ἀνατάνεται ἄρκτου.
Σπείρῃ δ' ἐν κυνόσουρα κάρη ἔχει. ἡ δέ κατ' αὐτὴν
Εἰλεῖται κεφαλὴν, καὶ οἱ ποδὸς ἔρχεται ἄχρις.
Ἐκ δ' αὐτῆς παλίνορσος ἀνατρέχει. οὐ μὲν ἐκείνῃ
Οἰόθεν.

Ceterum Græca, quæ his Latinis respondeant, sic habent.

Οὐδ' οἷος κεφαλῇ ἐπιλάμπεται ἀστὴρ,
Ἀλλὰ δύο κροτάφοις, δύο δ' ὄμμασιν, εἷς δ' ὑπένερθεν
Ἐσχατιὴν ἐπέχει γένυος δεινοῖο πελώρου.
Λοξὸν δ' ἐστὶ κάρη, νεύοντι δὲ πάμπαν ἔοικεν
Ἄκρην εἰς ἑλίκης οὐρήν.

Hoc caput] Hic etiam quiddam desideratur, quod Græce sic habet.

Μάλα δ' ἐστὶ κατ' ἰθὺ
Καὶ στόμα καὶ κροτάφοιο τὰ δεξιὰ νειάτῳ οὐρῇ

Deinde sequuntur duo versus, qui duobus item Latinis his e regione quasi respondent.

Κείνη που κεφαλὴ τῇ νίσσεται, ἧχί περ ἄκραι
Μίσγονται δύσιές τε καὶ ἀντολαὶ ἀλλήλῃσι.

Meminit autem horum duorum versuum Higinus in suo Astronomico, & quidem his penè verbis, quibus à nobis sunt recitati: nisi quod pro, Hoc caput, legit, Quod caput. Nam alij pro, Parte admiscentur in vna, legunt, Partem miscentur in vnam.

Id caput autem] Hoc videtur extremum esse exametri. quanquàm in libris de natura deorum ita quidam scripserint, vt non poetæ narrantis, sed Lucilij connectentis poetam, verba esse viderentur, sic enim est in vulgatis libris.

Id autem caput.

Attingens defessa, & quæ sequ.

Quidam, qui hæc cum Græcis conferre voluerunt, post versum precedentem.

Ortus vbi atque obitus &c.

statim subdiderunt,

Attingens &c.

sine vllo asterisco, aut alia defectus nota. Quæ res nec Græcis verbis, nec omnino sententiæ satisfacit. Quam enim quæso rem attingens vertitur hæc imago? Grecum sic habet.

Τῇ δ' αὐτοῦ μογέοντι κυλίνδεται ἀνδρὶ ἐοικὸς
Εἴδωλον

Non puto autem amplius dimidio exametro hoc loco desiderari. Omnia enim satis expressa sunt, quæ erant in Greco.

Engona-

Engonasim vocitant] De eadem illa imagine, quæ quidem quæ sit, a nemine posse adamussim explicari Aratus existimat, Engonasin tantum vocitari ait, sumpta appellatione a positione corporis ipsius. Versus, quibus hæc, quæ dico, complexus fuit Aratus, sic se habent.

Τὸ μὲν οὔτις ἐπίσαται ἀμφαδὸν εἰπεῖν,
Οὐδ᾽ ᾧ τιν κρέμαται κεῖνος πόνῳ ἀλλά μιν αὔτως
Ἐγγόνασι καλέουσι, τὸ δ᾽ αὖτ᾽ ἐγγούνασι κάμνον
Ὀκλάζοντι ἔοικεν

Reliqua in Græco, pertinent ad vberiorem descriptionem eius signi, tam humerorum ac manuum, quàm pedum ratione: quod totum in Latino desideratur.

Hic illa] Hic, ad Engonasim. Sed desiderantur in Latino, quæ illa Græca repræsentent, quibus quidem poetica continetur eius Coronæ descriptio. Totum ijs verbis extulit Aratus.

Αὐτοῦ κἀκεῖνος σέφανος, τὸν ἀγαυὸς ἔθηκε
Σῆμ᾽ ἔμεναι διόνυσσος ἀποιχομένοις ἀριάδνης,
Νώτῳ ὑποσρέφεται κεκμηκότος εἰδώλοιο
Νώτῳ μὲν σέφανος πελάει.

Quem claro perhibent] Hoc ipse Cicero cum superioribus, libro II. de natura deorum contexit ijs verbis, lege quidem carminis solutis, sed quę facile tamen vinciri posse videantur. Cum enim Coronam dixisset ad Engonasim sitam esse, versu superiore, subiungit. Atque hæc quidem a tergo propter caput autem Anguitenens. Hoc sensu. Corona quidem à tergo Nisi sita est, propter caput autem ipsius, situs est Anguitenens. Quem claro, & quæ sequuntur. Græcum si quis desiderat, hoc habeto

Νώτῳ μὲν σέφανος πελάει. κεφαλῇ γέ μεν ἄκρῃ
Σκέπτεο παρὰ κεφαλὴν ὀφιούχου.

Hic pressu duplici] De eodem Ophincho. Sed tamen antè desiderantur quædam, quæ quidem si quis requirat sic sunt in Græco.

Ἐκ δ᾽ ἄρ ἐκείνης
Αὐτὸν ἐπιφράσσαιο φαεινόμενον ὀφιοῦχον
Τοῖοί οἱ κεφαλῇ ὑποκείμενοι ἀγλαοὶ ὦμοι
Εἴδονται. κεῖνοί γε καὶ ἂν διχόμηνι σελήνῃ
Ἴσωποι τελέθοιεν. ἀτὰρ χέρες οὐ μάλα ἶσαι
Λεπτὴ γὰρ τῇ καὶ τῇ ἐξεπιδέδρομεν αἴγλη
Ἀλλ᾽ ἔμπης κἀκεῖναι ἐπόψιαι. οὐ γὰρ ἐλαφραί.

Deinde autem sequitur.

Ἀμφότεραι δ᾽ ὄφιος πεπονείαται, ὅς ῥά τε μέσσον
Δινεύει ὀφιοῦχον. ὁ δ᾽ ἐμμενὲς εὖ ἐπαρηρὼς
Ποσσὶν ἐπιθλίβει μέγα θηρίον, ἀμφοτέροισι

Σκορπίον ὀφθαλμοῖς τε καὶ ἐν θώρηκι βεβηκὸς
Ὀρθός.

quod totidem his Latinis versibus respondet qui sequuntur. Sequitur in Græco Serpentis situs descripto, & sub Serpente Chelarum: quod in Latino desideratur.

Eius & ipse manet] Sunt, qui codices sic scriptos vidisse se fateantur.

Atque eo ipso manet religatus corpore toto
Nanque virum medium serpens sub pectore cingit.

Atque oculos vrget] Citat hunc versum etiam Priscianus lib. VII. Nepam autem Scorpium interpretatur. Atque hactenus Cicero de Ophincho.

Arctophylax] Sententiam eius loci sic extulit Cicero lib. II. de natura deorum. Septentrionem autem, inquit, sequitur.

Arctophylax &c.

Græce sic Aratus

Ἐξόπιθεν δ' ἑλίκης φέρεται ἐλάοντι ἐοικὼς
Ἀρκτοφύλαξ, τὸν ῥ' ἄνδρες ἐπικλείουσι Βοώτην,
Οὕνεχ' ἁμαξαίης ἐπαφώμενος εἴδεται ἄρκτου.

Ex quibus versus primus deest in Latino.

Subter præcordia] Quiddam deest in Latino. Puto hoc

Καὶ μάλα πᾶς ἀρίδηλος

Quidam cum superioribus continuat sic

gelidam præ se quatit Arctum.
Huic autem subter præcordia fixa videtur &c.

Huic, autem cum dicunt, Bootem intelligunt. Ferrem, si modò asterisco designarent, id quod omissum est. Ad eum enim quoque modum Cicero ipse lib. II. de deorum natûra superioribus connectere videtur hæc quę nunc scribit de Arcturo. Huic enim Booti, inquit. Subter præcordia &c. Totum autem Græco illi respondet.

Ὑπὸ ζώνῃ δέ οἱ αὐτὸς
Ἐξ ἄλλων ἀρκτοῦρος ἑλίσσεται ἀμφαδὸν ἀστήρ.

Sub pedibus profert] Hoc ex Prisciani lib. VI. sumptum est. Putaui autem ad Virginem referri posse. de qua sequitur illud Ciceronis,

Spicum illustre tenens splendenti corpore Virgo.

& de qua sic Aratus

Ἀμφοτέροισι δὲ ποσσὶν ὑποσκέπτοιο Βοώτου
Παρθένον, ἥ ῥ' ἐν χειρὶ φέρει στάχυν αἰγλήεντα.

Vt sit sensus, Virgo finita, id autem est, clausa fortasis aut constituta

ſtituta,ſub pedibus Booti,pro, Bootis, vt notat Priſcianus,profert ſe, tenens Spicum illuſtre &c. Sic enim ſententiam eius loci extulit idem Cicero lib. II. de natura deorum. Cui (intelligit autem Bootem) ſubiecta fertur.

Spicum illuſtre &c.

Itaque prioris verſus extremum ex Priſciano ſumptum eſt: verſus poſterior ex ipſo Cicerone de natura deorum lib. II. Quem quidem etiam ſic citat Seruius in I. Georg. Cicero inquit, in Arato.

Spicum illuſtre gerens ſplendenti corpore Virgo

Quod autem hic dixit, ſub pedibus finita Booti, pro, poſita, aut conſtituta, aut clauſa, idē paullo infra eodem modo locutus eſt, de Piſtrice. Finita in partibus Auſtri. Spicum autem neutro genere etiam Varro dixit lege Menia. Neque in bona Segete, inquit, ullum eſt ſpicum nequam, neque in mala non aliquod bonum. vide Non. lib. de indiſcretis generibus. Notat Feſtus, & maſculino ab antiquis fuiſſe vſurpatum.

Malebant tenui] Ex Lactantio deſumptum, qui ſic ſcribit lib. v. cap. v. diuinarum inſtit. Saturno, inquit, regnante, nec diſſenſiones erant, nec inimicitiæ, neque bella: neque vlli omnino gladii, qui nudarentur, fuerunt. Quis enim præſente ac vigente iuſtitia, aut de tutela ſui, cum nemo inſidiaretur, aut de pernicie alterius cogitaret, cum nemo quidquam concupiſceret?

Malebant tenui contenti viuere cultu,

vt Cicero in ſuo ait Arato &c.

Priore editione, cum fragmenta hęc ſcholiis illuſtrarem, Græcum Aratum non habui, quòd tum videlicet, peſtem vrbis fugiens, & in Beſanouano cum humaniſsimo, atque eodem optimo patrono meo PETR. MISCOVIO nūc regni Poloniæ Procancellario, tempus traducens, adnotationes illas raptim conficerē. Ceterum, quod tunc coniectura ſola ductus exiſtimaui, id nunc planè ita eſſe confirmo, poetam hoc loco deſcribere primam illam hominum ætatem, rudem quidem ingeniis, ſed illuſtrem probitate & vita innocēter acta, qualem cum ceteri poetæ, tum ipſe quoque Aratus auream propterea appellat. Occaſio tantum eius digreſsionis alia fuit Arato, quàm olim credidi. Videlicet poeta cum ſidus Virginis deſcripſiſſet, vt vidimus, narrare poetico more incipit, quænam ſit hæc Virgo, &

quibus

quibus ex sedibus in illas cęli regiones peruenerit: atque ita dicit prolem fuisse Astræi, patris astrorum, nominatã a mortalibus Iustitiam, quæ rudes illos nec satis excultos, legibus, & recta ratione expoliret. Sed præstat ipsa Arati verba exaudire. Is ita scribit.

Εἴτ' οὖν ἀστραίου κείνη γένος, ὅν ῥά τε φασὶν
Ἄστρων ἀρχαῖον πατέρ' ἔμμεναι. εἴτε τευ ἄλλου,
Εὔκηλος φορέοιτο λόγος γε μὴν ἐντρέχει ἄλλος
Ἀνθρώποις, ὡς δῆθεν ἐπιχθονίη πάρος ἦεν,
Ἤρχετο δ' ἀνθρώπων κατεναντίη οὐδέ ποτ' ἀνδρῶν,
Οὐδέποτ' ἀρχαίων ἠνήνατο φῦλα γυναικῶν,
Ἀλλ' ἀναμὶξ ἐκάθητο, καὶ ἀθανάτη περ ἐοῦσα.
Καὶ ἑ δίκην καλέεσκον. ἀγειρομένη δὲ γέροντας,
Ἠέ που εἰν ἀγορῇ, ἢ εὐρυχόρῳ ἐν ἀγυιῇ
Δημοτέρας ἤειδεν ἐπισπέρχουσα θέμιστας.
Οὔπω λευγαλέου τότε νείκεος ἠπίσταντο,
Οὐδὲ διακρίσιος † περιμεμφέος οὐδὲ κυδοιμοῦ. † πολυμεμφέος]
Αὔτως δ' ἔζωον. χαλεπὴ δ' ἀπέκειτο θάλασσα,
Καὶ βίον οὔπω νῆες ἀπόπροθεν ἠγίνεσκον,
Ἀλλὰ βόες ἄροτρα. καὶ αὐτὴ πότνια λαῶν
Μυρία πάντα παρεῖχε δίκη δώτειρα δικαίων
Τόφρ' ἦν, ὄφρ' ἔτι γαῖα γένος χρύσειον ἔφερβεν.

Deinde in Græco sequitur de ætate argentea, quod fere XIIII versibus Aratus persequitur, vsque ad æneam, vel ferream ętatem, de qua infra. Quod hunc versum attinet, Malebant tenui contenti viuere cultu, hunc ego totum ex illo breui Græco expressum esse puto.

Αὔτως δ' ἔζωον.

Ferrea tum verò proles] Quidquid alij existiment, ego quidẽ non dubito ea ad hunc locum pertinere, cum Græca Arati legens recognosco, pertinent enim manifeste ad ætatum descriptionem, & Græcum Aratum prorsus ad viuum repræsentant. Quid autem? si ænea, aut ærea, pro, ferrea? sic enim habent Græca.

Χαλκείη γενεὴ προτέρων ὀλοώτεροι ἄνδρες
Οἳ πρῶτοι κακόεργον ἐχαλκεύσαντο μάχαιραν
Εἰνοδίην πρῶτοι δὲ βοῶν ἐπάσαντ' ἀροτήρων

Certe, & Germanicus, & Auienus vertit, ærea. Nisi forte ferrum pro ære dixerit, Cicero, aut vtrunque confuderit, aut sane hoc loco Hesiodum quàm Aratum imitari maluerit, qui in libro ἔργων καὶ ἡμέρων, quattuor ætates statuere videtur, auream, argenteam, æneam, ferream. Quem Ouidius quoque imitatus dixit.

Tertia

Tertia post illam successit ahenea proles.
Sęuior ingenijs,& ad horrida promptior arma,
Non scelerata tamen. De duro est vltima ferro.

Fragmentum desumptum est, vt olim etiam adnotaram, ex libro eodem secundo de natura deorum prope finem, vbi sic Balbus loquitur. Bubus, inquit, cum terræ subigerentur fissione glebarum ab illo aureo genere, vt poetæ loquuntur, vis nunquã vlla afferebatur.

Ferrea tum verò proles exorta repente est,
Ausaque funestum &c.

Et Iouis in regno] Hoc de Astręa dictum esse, satis idem iste Lactantius, qui fragmentum adducit, testatur. Postquàm Saturnus inquit, lib. v. cap. v. a filio pulsus, in Latiumque delatus est.

Deseruit propere terras iustissima virgo. Sed non vt ait Cicero.

Et Iouis in regno, cęlique in parte resedit,

Quomodo enim poterat in eius regno residere, aut commorari &c. Græcum, quod hoc versu Cicero expressit, illud est.

Ἔτταδ᾽ ὑπουρανίη. Ταύτην δ᾽ ἄρα νάσσατο χώρην.

Deest autem in Latino quiddam eiusmodi. Iustitia, inquit, genus hominum ferreum perosa profugit. Et Iouis in regno &c. Nam in Græco sic.

Καὶ τότε μισήσασα δίκη κείνων γένος ἀνδρῶν.

In Lactantij autem loco obseruandum, illud

Deseruit propere &c.

Non ex Ciceronis, sed ex Germanici Arato desumptum esse.

Huic supera] Hi duo uersus ex Prisciano lib. XIIII. in fine translati sunt. Factum autem fuit inopia Gręci libri, vt id fragmentum editione priore, cum, vnde excidisset, per me ipse non intelligerem, ad finem omnium collocarem: quod quidem huc manifesto pertinet. Cum enim virginem in cœlo resedisse dixisset Aratus, sic addit.

Τῆς ὑπὲρ ἀμφοτέρων ὤμων εἱλίσσεται ἀστὴρ,
Δεξιτερῇ πτέρυγι, προτρυγητὴρ δ᾽ αὖτε καλεῖται
Τόσσος μὲν μεγέθει, τοίῃ δ᾽ ἐγκείμενος αἴγλῃ
Οἷος καὶ μεγάλης οὐρὴν ὑποφαίνεται ἄρκτου.

Notãdum autem ex Græco, ad Præuindemiatorem versus Latinos pertinere, qui supra Virginis humeros situs est. Viderint igitur quid fecerint, qui eos multò ante reposuerint, Ophinchiq;

chiq; deſcriptioni ſtatim ſubiecerint. Notandum item, cum dicit Cicero, tali ſpecie, taliq; nitore, imperfectam eſſe orationem, addendum enim eſt. Qualis eſt, qui ſub cauda lucet Vrſæ.

Tertia ſub caudam] Et hoc ex eodem Priſciano lib. VI. ſub initium petitum eſt: vbi in u latina, neutra eſſe dicit: quæ tamen quoque, vt idem ſcribit, ſunt qui & in um proferant eodem genere: & in us genere maſculino. Cicero tamen, inquit, in us quoque genere neutro protulit in Arato. Tertia ſub caudam ad genus ipſum lumina pandit. Et in eodem. At propter læuum genus omni ex parte locatas Paruas Vergilias tenui cum luce videbis. Et in eodem. Hęc genus ad lęuum Niſi delapſa reſedit. Videlicet, ſi maſculino genere protuliſſet, lęuum genum dixiſſet. Hæc fere Priſcianus de genere. Nam caſus quidem, hic eſt accuſatiuus. Sicut infra ſæpe eodem & nominatiuo caſu. In genitiuo autem quoque vſurpaſſe in hoc poemate Ciceronem, adnotauit Seruius in tertium Aeneid. in illum verſum.

Forte fuit iuxta tumulus, quo cornea ſummo
Virgulta &c.

quem ego quidem locum in poemate ipſo non reperio. Hunc autem verſum quod attinet, ex Priſciano ſatis liquet ad Aratum pertinere. Quæ eius autem eſſet ſedes propria, quoniam ſunt qui quærere adhuc ſe profitentur, ego his quaſi veſtigiis deprehendi. Primum Priſcianum obſeruaui, qui cum tribus eodem in loco teſtimoniis ex hoc Ciceronis libro vteretur, ad demonſtrandam varietatem generis, vocabulorum in u deſinentium, hoc iſto teſtimonio ante omnia vtitur. Cum autem animaduerterem id teſtimonium, quo ſecundo loco vtitur, non ita multo poſt in ipſo Ciceronis Arato reperiri, hanc veluti coniecturam ſecutus, ante exiſtimaui hoc noſtrum quæri oportere. Quod dum facio, incido in locum, quem proximo ſuperiore ſcholio declaraui: vbi deſcripto ſidere Virginis Aratus incipit Præuindemiatorem, & ſtellas reliquas adiacentes deſcribere. Ac Præuindemiatoris quidem deſcriptionem ante recitauimus. Reliquas autem iis verbis deſcribit.

Δεινὴ γὰρ κείνη, δεινοὶ δὲ οἱ ἐγγύθεν εἰσὶν
Ἀςέρες οὐκ ἂν τούς γε ἰδὼν ἐπιτεκμήραιο,
Οἰός οἱ πρὸ ποδῶν φερέται καλός τε μέγας τε
Εἷς μὲν ὑπ' ὤμαιιν, εἷς δ' ἰξυόθεν κατιόντων,
Ἄλλος δ' οὐραίοις ὑπὸ γούνασιν. ἀλλ' ἄρα πάντες

Ἀπλεῖς

Ἀπλόοι, ἄλλοθεν ἄλλος ἀνωνυμίῃ φορέονται.

Quod igitur inquit, ἄλλος δ' οὐραίοις ὑπὸ γούνασιν, hoc a Cicerone ijs verbis expressum esse iudicaui.

Tertia sub caudam & genus ipsum lumina pandit.

Quod etiam vt asseuerantius affirmarem, fecit Festus Auienus, qui eundem Arati locum sic conuertit, descripto Præuindemiatore.

Nec contemplandi labor anxius, omnia primis
Obuia ceu vibrant obtutibus, vnus ob ora
Quæ sunt prima ferè vestigia, præminet ignis:
Altera quę pedibus regio est clunalibus, ardet
Stella itidem, genibusq; dehinc se tertia promit,
Aemula qua rutilæ flagrant confinia caudæ.

Et natos] Legerem, At natos. Gręcus enim sic

Κρατὶ δὲ οἱ Δίδυμοι, μέσση δ' ὑπὸ καρκίνος ἐστὶ
Ποσσὶ δ' ὑπ' ἀμφοτέροις. λέων ὑπὸ καλὰ φαείνει.

Hoc motu radiantis] Deest in Latino, quod Græcos hos versus repręsentet

Ἔνθα μὲν ἠελίοιο θερείταταί εἰσι κέλευθοι.
Αἱ δέ που ἀσταχύων κενεαὶ φαίνονται ἄρουραι
Ἠελίου τὰ πρῶτα συνερχομένοιο λέοντι.

Tum sequitur

Τῆμος καὶ κελάδοντες ἐτησίαι εὐρέϊ πόντῳ
Ἀθρόοι ἐμπίπτουσιν.

Cui Latinum nostrum respondet

Hoc motu radiantis Etesiæ in vada ponti.

De hoc sic Cicero ipse in Oratore ad Brutum. Nobis, ne si cupiamus quidem, distrahere voces conceditur. Indicant orationes illæ ipsæ horridulæ Catonis: indicant omnes poetæ, pręter eos, qui vt versum facerent, sæpe hiabant, vt Næuius.

Vos, qui accolitis Histrum fluuium, atque Algidam.

& ibidem

Quam nunquàm nobis Graij atque Barbari.

at Ennius sępe.

Scipio inuicte.

Et quidem nos.

Hoc motu radiantis Etesię in vada ponti.

Sic Cicero. Esse autem versum ex Arato, pręter coniecturam meam, quæ Græco planissime nititur, etiam affirmat P. Victorius in suis variis lectionibus lib. XII. cap. XVI. Sensus est. Hoc

motu ſolis, quem, vt vult Victorius, radiantem poetice hic appellat: ſi modo non eſt ſolis epitheton, ſoli additum, cuius fortaſsis mentionem priori verſu expreſſam fecerat. Hoc igitur motu, inquam, cum ſol primum ad Leonis ſidus accedit, Eteſiæ venti ruunt in vada ponti. Sic enim fortaſsis ſenſus fragmenti ſupplendus eſt.

Solis
Hoc motu radiantis, Eteſię in vada ponti
Cęca ruunt.

De Eteſiis Gellius lib. II. cap. XXII. De iiſdem autem Cicero ipſe ſic libro II. de nat. deor. Quam tempeſtiuos, inquit, dedit natura, & quam ſalutares non modo hominum, ſed etiam pecudum generi, ijs deuique omnibus, quę oriuntur e terra, ventos Eteſias? quorum flatu nimij temperantur calores, ab ijſdem etiam maritimi curſus, celeres, & certi diriguntur.

Nauibus aſſumptis] Aratus cum dixiſſet, vti ſuperiore ſcholio oſtendimus, Sole Leonem ingrediente Eteſias flare conſueuiſſe, addit tribus ferè verſibus, quàm periculoſi hi flatus nauigantibus exiſtant. Sic enim ait.

Ὁ δὲ πλόος οὐκ ἔτι κώπαις
Ὥριος· εὐρεῖαί μοι ἀρέσκοιεν τότε νῆες
Εἰς ἄνεμον δὲ τὰ πηδὰ κυβερνητῆρες ἔχοιεν.

Qua re quidem permotos nonnullos exiſtimo, vt verſum hunc, quem ex Cicetonis Arato Priſcianus profert lib. VII. in eũ potiſsimũ locum coniecerint. In quo vt eos quoque ipſe ſequerer, has ratione præcipue ſum adductus. Vidi verſum ipſum ad nauigationis deſcriptionem pertinere. Nauigationis autem deſcriptio quo loco in Græco Arato cõtinetur, eum locum in Latino Ciceronis integrum prorſus eſſe. Quibus autẽ locis Latina deſiderantur, ibi quidem nullam in Græco nauigationis deſcriptionem eſſe, hoc vno excepto loco, quem Græcum attuli: qui etſi verbis paucis nauigationis meminerit, tamen niſi hic quidem fragmẽtum Latinũ reponeretur, locum in toto opere vix habiturum videbatur. Itaque hic, poſt alios, repoſui. Vt ſit ſenſus. Oportet, inquit Aratus, rectores ipſos Eteſijs flantibus gubernacula prendere: ſi modo nolint Nauibus aſſumptis fluitantia quærere apluſtra. Quo quidem etiam admiſſo ſemel approbatoque ſenſu, libẽtius legerem, abſumptis, quàm aſſumptis, aut aſſumptus, vt legunt alij. Fragmentum, vt dixi, ex Priſciano ſumptum

ptum eſt. Apluſtra, inquit ille, & apluſtria antiqui protuliſſe inueniuntur. Cicero in Arato.

Nauibus aſſumptis fluitantia quærere apluſtra.

Cæſar in Arato.

Fulgent Argoæ ſtellis apluſtria puppis.

Qui quidem verſus Cæſaris (vt hoc etiam obiter admoneam) ex illis Fragmentis excidiſſe videtur, quæ magnam partem videntur interrupta. Equidem quid ſint apluſtra, ſic docet Feſtus. Apluſtra, inquit, nauium ſunt onamenta: quę quia erant amplius quàm eſſent neceſſaria vſui, etiam ampluſtra dicebantur. Memini autē & Lucretium, præter ceteros, apluſtrium ſic facere mentionem lib. IIII.

At maris ignaris in portu clauda videntur
Nauigia, apluſtris tractis obnitier vndis.

Et Iuuenalem Satyra x.

viċtæq; triremis
Apluſtre, & ſummo triſtis captiuus in arcu,
Humanis maiora bonis creduntur.

Sub læua] De Aurigæ ſidere ſermonem eſſe, & ipſe Cicero teſtatur lib. II. de natura deorum, vnde hęc deſumpta ſunt, & ex Græco ſatis conſtat. ſic enim habet.

Εἰ δέ τοι ἠνίοχόντε καὶ ἀςέρας ἠνιόχοιο
Σκέπτεσθαι δοκέοι. καί τοι φάτις ἤλυθεν αἰγὸς
Αὐτῆς, ἠδ᾽ ἐρίφων, οἵτ᾽ εἰν ἁλὶ πορφυρεούσῃ
Πολλάκις ἐσκέψαντο κεδαιομένους ἀνθρώπους
Αὐτὸν μὲν μιν ἅπαντα μέγαν διδύμων ἐπὶ λαιᾷ
Κεκλιμένον δήεις. ἑλίκης δὲ οἱ ἄκρα κάρηνα
Αντία δινεύει. σκαιῷ δ᾽ ἐπελήλαται ὤμῳ
Αἴξ ἱερή.

Vnde olim verbum, Auriga, quo vtitur Cicero ij de natura deorum in connectendis ijs verſibus ad ſuperiora, a principio verſus ſuperioris auulſum eſſe arbitrabar.

At Capra] Verſus imperfectus, ſed numero tantum nō etiam ſenſu. legendum enim. pro, Claro, Clara, & intelligendum, Capram intet ſidera læuum Aurigę humerū obtinere. Vt ex Græco conſtat, quod ſuperius recitauimus. Quæ deinceps deſiderantur in Latino, pertinent ad fabulam de capra Iouis altrice. quod ſic Aratus.

Αἴξ ἱερὴ, τὴν μέν τε λόγος διὶ μαζὸν ἐπισχεῖν.
Ὠλενίην δέ μιν αἶγα διὸς καλέουσ᾽ ὑποφῆται.

Verum hęc] De eadem Capra. Aratus mox poſt ſuperiora ita.

Ἀλλ' ἡ μὲν, πολλή τε καὶ ἀγλαή· οἱ δέ οἱ αὐτοῦ
Λεπτὰ φαείνονται ἔριφοι καρπὸν κατὰ χειρός.

Ex quo quidem liquet, Hœdos, quorum facit mentionem, in vola quasi manus Aurigæ constitutos, fingi a poetis Astronomis.

Cuius sub pedibus] Hoc principium uidetur exametri: sicut contra superius illud, Id caput autem, extremum exametri. Quanquàm vtrunq; aliter collocatur in excusis. Loquitur autem de pedibus Aurigæ, vt ex Græco manifeste constat.

Has Græci stellas Hyadas] Has, quæ sunt videlicet in capite Tauri. Quod quidem caput vsqueadeò, quod ait Cicero II. de natura deorum, stellis conspersum est frequentibus, vt illud legitimum esse & illustre Tauri ipsius indicium scribat Aratus his verbis: quibus quæ Latina respondebant, ea amisimus, extremum tantum retinemus.

Τὰ δὲ οἱ μάλ' ἐοικότα σήματα κεῖται.
Τοίη οἱ κεφαλὴ διακέκριται. οὐδέ τις ἄλλο
Σήματι τεκμήραιτο κάρη βοὸς. οἷά μιν αὐτοὶ
Ἀστέρες ἀμφοτέρωθεν ἑλισσόμενοι τυπόωσι.
Καὶ λίην κείνων ὄνομ' εἴρεται. οὐδέ τοι αὔτως
Νήκουστοι ὑάδες, ταὶ μέν ῥ' ἐπὶ παντὶ μετώπῳ
Ταύρου βεβλέαται.

Exinde sequuntur in Græco, quæ Aurigam & Taurum luculentius describunt, vsque ad Cepheum, de quo inferius Cicero. Interim obseruandum, Hyadum appellationem vnde deducat Cicero, quod quidem in eodem illo II. de deorum natura libro, ex quo carmina sumpta sunt, verbis solutis a carmine explicat. Quod vide etiam apud Gellium, lib. XIII. cap. IX.

Nanque ipsum ad tergum] De Cepheo, de quo sic Aratus.

Οὐδ' ἄρα κηφῆος μογερὸν γένος ἰασίδαο
Αὔτως ἄρρητον κατακείσεται. ἀλλ' ἄρα καὶ τῶν
Οὐρανὸν εἰς ὄνομ' ἦλθεν, ἐπεὶ Διὸς ἐγγύθεν ἦσαν,
Αὐτὸς μὲν κατόπισθεν ἐὼν κυνοσουρίδος ἄρκτου
Κηφεύς.

Obscura specie] Cicero sententiam loci, & ordinem eius sideris ad cetera, sic aperit lib. II. de natura deorum. Hunc, inquit, Cepheum antecedit.

obscura specie stellarum Cassiopea.

Aratus totum sic, vbi primum Cephei situm plenius descripsisset, maxime ratione caudæ Cynosuræ ac pedum ipsius, quę quidem stellæ trigonum constituunt: deinde etiam ratione Draconis, qui illi proxime latus dextrum adlabitur. Inquit

Τοῦ

Τοῦ δ' ἄρα δαιμονίη προκυλίνδεται οὐ μάλα πολλὴ
Νυκτὶ φαινομένη παμμείωιδι κασσιέπεια.
Οὐ γάρ μιν πολλοὶ καὶ ἐπημοιβοὶ γανόωσιν
Ἀστέρες· οἱ μιν πᾶσαν ἐπιῤῥήδην στιχόωσιν.

Hanc autem] Deſiderantur quædam in Latino de Caſsiopea. De Andromeda autem ſic Aratus.

Αὐτοῦ γὰρ κἀκεῖνο κυλίνδεται αἰνὸν ἄγαλμα
Ἀνδρομέδης ὑπὸ μητρὶ κεκασμένον.

Reliqua ex Andromedę deſcriptione, quę in Gręco quidem extant, in Latino deſiderantur.

Andromeda aufugiens] Alias, Andromede fugiens.

Huic Equus ille] Huic, Andromedę intelligo. Equidem Græcus ſic.

Ἀλλ' ἄρα οἱ κρατὶ πέλωρ ἐπελήλαται ἵππος
Γαστέρι νειαίρῃ. ξυνὸς δ' ἐπιλάμπεται ἀστὴρ
Τοῦ μὲν, ἐπ' ὀμφαλίῳ, τῆς δ' ἐσχατόωντι καρήνῳ.

Poſtea ſequitur Aſtrologica,& poetica Equi huius deſcriptio, ferè verſibus Gręcis ſeptem & decem comprehenſa.

Exin contortis] Hoc fortaſsis illi Gręco reſpondet.

Αὐτοῦ καὶ κριοῖο θοώτατα εἰσὶ κέλευθοι.

Nam quòd quidam tollunt hūc verſum prorſus ex Latinis,eius ego ſanè rei rationem non video.

E quibus hinc ſubter] Hæc vſq; ad illum locum. Et terris volucris: petita ſunt ex fragmentis, quæ nunc iam quidem vulgo ſolent ad omnes ferè libros apponi Ciceronis,cum primū fuiſſent in publicum propoſita ab Aldo illo Manutio,Paulli noſtri patre. Vt enim ceteri Venetorum filij ex patre, ſic hic pater ex filio meritò eſt nominandus. Ex ijs verſus quidam extant quoque in libro ſecundo de natura deorum,quos nos, ſi quid opus eſt,etiam videlicet adnotabimus. Gręcorum autem collationem deniceps omittemus, quòd ea nullo negotio abs quiuis fieri poſſe videatur. Totidem enim Gręcis, totidem penè Latina reſpondent. In eo tamen ſi quid erit quod admonitione indigeat, non temere prætermittam. Primi huius verſus initium cum paſsim legeretur ad eum modum, E quibus hinc ſubter: ita quidam auctoritate ſua immutarunt. Paullum hanc ſubter. Nimirum, quod vel ex Græco liquet,de Ariete loquitur poeta, qui etſi obſcurus ipſe ſit, tamen per Andromedes cingulum deprehendi poterit, ſub ipſam enim Andromeden ſitus eſt. Hæc ita quidem etſi ad Græcam ſententiam veriſsime dicuntur, tamen affirmare ſic a Cicerone ſcriptum fuiſſe,vti ipſi voluerunt, non

non nisi ij demum poterunt, qui præsidio librorum veterum confirmari poterunt. Non hercle magis quàm pro, Vt prius illæ Chelæ (quod sic statim sequitur,) Altæ Chelæ, legendum esse et reponendum affirmare: quemadmodum quidem ijsdem illis placere video. Etsi enim τῶν ἀκρῶν epithetum, quod pręter cetera, altum etiam significat, ad Chelas Aratus attribuerit, tamen cum τῶν ἀκρῶν appellatio, extremum etiam, non modò altum significet, & Chelæ, quæ in æquinoctiali circulo, qui spheram per medium diuidit, sitæ sunt, altæ dici non possint, profecto quidquid hominum quorundam arbitrio, contra veterum librorum fidem facile recipitur, facilius multo, hominum item aliorum arbitrio, ad veterum librorum fidem atq; constantiam reijcitur. Ceterum quòd ijdem statim, pro, Quum pectus, Tum pectus, legunt, etiam atq; etiam videndum esse puto, an illud, Tum, ex coniectura, vt videtur, ab ijs repositum, ferri possit, quod nec a veteri scriptura longissime recedit, & sententiam habet, tum rei ipsi satis congruentem, tum Græcis quoq; verbis inprimis consentaneam. Sic enim Græca habent.

ζώνῃ δ' ἂν ὅμως ἐπιτεκμήραιο
Ἀνδρομέδης. ὀλίγον γὰρ ὑπ' αὐτὴν ἐστήρικται.
Μεσσόθι δὲ τρίβει μέγαν οὐρανὸν ἧχί περ ἄκραι
Χηλαὶ, καὶ ζώνη περιτέλλεται ὠρίωνος.

Hæc de ijs. Reliqua autem quoque, quæ nemo attigit, videndum an menda prorsus vacent. Qnid est enim quæso, quod ita sequitur? Pectus quod cernitur Orionis? aut cui tandem Græco respondet? aut verè etiam, quam tandem veritatem habet? Itaq; ego quidem totum hunc locum ita legendum arbitrarer.

E quibus hunc subter possis cognoscere fultum.
Nam cœli mediam partem terit: vt prius illæ
Chelæ, tum Baltheus qui cernitur Orionis.

Hoc sensu. E quibus, intelligo vinculis vel cingulis Andromedæ, (de ijs enim proxime Aratus loquitur) possis cognoscere hunc, Arietem videlicet, de quo fuit fragmentum proximum, fultum subter, sub ipsis videlicet Andromedes cingulis. Situs est enim, inquit, Aries in media cœli parte, sicuti Libra ipsa, & sicut Baltheus Orionis. Mediam autem cœli partem intelligit eam, quæ a polis, qui extremas cœli partes obtinere dicuntur, vndique distat æqualiter. Quem quidem etiam ex eo Astrologi circulum Aequatorem nominarunt: quem ex signis Zodiaci

soli contingunt Aries & Libra: pro qua Aratus Scorpij Chelas ponit: quæ signa duo vbi sol motu suo progrediens attigit, æquinoctia in vniuerso terrarum orbi constituit. Ex ceteris aũt sideribus contingit hunc quoque, ζώνη, quod ait Aratus, & quod post eum Cicero, Baltheus Orionis: vt nos quidem legendum existimamus. Ex his autem quæ dicta sunt hactenus, satis constat, quod, etsi quilibet circulorum maiorum cœlum diuidat in duo ęqualia, tamẽ solus Aequator medium cœli verè atq; proprie obtinere dicitur, quòd is videlicet solus ex omnibus æqualiter distet partibus ab extremis: sitque habitantibus sub polis hominibus pro Horizonte, secante hemisphęrium superius ab inferiore. Sed ego explicationem Aratęorum, quam initio non proposueram, ingredior. Quæ tamen ideo vberius exposui, ꝙ videam hunc locum secus nonnihil a Germanico, & Auieno Arati interpretibus acceptum esse.

Et prope conspicies] Sic legunt emendatiora exemplaria. Olim legebatur, Conspiciens.

Andromedæ signum] Subdistinguendum Andromedæ. Neque enim signum Andromedæ conspicies, sed sub Andromedæ claro pectore, signum conspicies.

Pisces quorum alter] Hic versus cum sequenti etiam in II. de natura deorum reperitur, nullo discrimine, nisi quòd pro. Horrisonis, ibi legitur, Horriferis. Quod quoniam sępe euenit vt hæc Aratæa aliter hoc atque illo loco a Cicerone ipso recitentur, existimandum est (nisi sicubi filo ipsi orationis obsequitur) aut varietate lectionis proponenda luxuriare ipsum, aut verò, quod mihi quidem magis est verisimile, emẽdatiora a viro iam facta recitari, quæ olim minus exactè ab adolescentulo conuersa fuerunt. Verè enim dicitur, discipulum esse prioris posteriorem diem. Et sanè credibile est Aratæa hæc sæpius Ciceronem refinxisse. Vnde quoque factum, existimo, vt ab Higino, & Prisciano aliter quoque permulta recitentur, quàm hic leguntur. Hęc de ea varietate, quę videtur Ciceroni ipsi sępius ista cõmutanti adscribi posse. Quod hunc versum attinet, quem pręmanibus habemus, in eo quidam, pręter eam varietatem quam exposuimus, pro Pręlabitur, legunt etiam, Prolabitur. Qui mihi sanè primùm perissologia moueri videntur, quòd, cum dixerit Cicero, pręlabitur, superuacaneum fuerit addere, antè. Quid est enim pręlabi, nisi ante labi. Deinde moueri quoque illo mihi

hi

hi videntur, quòd infra in versu, At canis ad caudam: cum in fragmentis his Aratęis passim legatur, Pręlabitur, in libro tamē secundo de natura deorum legitur, Prolabitur: quasi quod olim non satis recte scripserat adolescétulus Cicero, idem vir factus correxerit. Sed de perissologia, minus est. Sic enim quoque paullo infra de Scorpione loquitur.

E quibus ingenti existit cum corpore prę se
Scorpios infestus, prętportans flebile acumen.

Hæc de eo versu. In priore autem quanquam posteriora Latina Arati exemplaria, Vehementius illi, legunt, libentius tamen retineo vererem lectionem, Vehementius illo. Vt sit sensus, Aries est inclinatior ad Austrum Deltoto, hoc autem etiam vehementius, Pisces ipsi. Græce.

Τῶν, ὀλίγον κριοῦ νοτιώτεροι ἀστέρες εἰσίν.
Οἱ δ᾽ ἄρ ἔτι προτέρω ἔτι δ᾽ ἐν προβολῇσι νότοιο
Ἰχθύες

Aldus legit, Vehementius ille,

At quæ horum ex caudis] Aldus legit sic.

Atque horum et caudis duplices esse catenæ
Dices aut diuersæ per lumina serpunt.

Male. alii igitur,

At quæ horum e caudis duplices velut esse catenę
Dicuntur, sua diuersæ per lumina serpunt.

Quorum nos lectionem hoc tempore reponendam esse existimauimus. Cum olim legeretur in nostro.

Atque horum ex caudis duplices velut esse catenę
Dicantur, sua diuersæ per lumina serpunt.

Sic infra quoque cum in Aldo legeretur.

Nanque sideribus claris &c. rectè legunt alij
Nam quæ sideribus claris.

Atque una tamen in stella] Tamen, habet Aldus. Posteriores legunt, tandem.

Quam ueteres soliti] Aliàs: Quem veteres. Ibi nimirum relatiuum, id quod præcessit respicit, hic, id quod sequitur. Videndum modò, an verbum, cœlestem, bene habeat. Græcum enim fortassis *ὑπουράνιον* exprimere debuit, quod tamen ipsum eodem planè modo ab Auieno quoque expressum esse video.

Andromedæ læuo ex humero, si quæsere perges] Sic legunt quidam. Nec male, mea quidem sententia, pro quærere. Olim, si

quà

qua exere perges, nulla plane sententia: atq; ideo fortaſsis ab alijs totum hoc, ſi qua exere perges, deraſum inde ac deterſum fuit. Atque ſanè haud ſcio, an hic ſit locus, cuius meminit Phocas vetutiſsimus Grammaticus, cum defectiua in modis numerare incipit. Quæſo, inquit, primam duntaxat perſonam habet indicatiui modi, licet quæſere lectum ſit apud Salluſtium & Tullium. Hęc Phocas. de verbo autem Quęſere, vide etiam Feſtum dict. Quæſo. In ſequenti autem quoque verſu, pro eo quod olim legebatur, At poſitum, legunt ijdem, Adpoſitum, Probo. Hidem autem quoque proximos duos ſic legunt.

E pedibus natum ſummo Ioue Perſea viſes.
Quos humeris retinet defixo corpore Perſeus.

Cum alij. Et pedibus vatum ſummo natum Ioue Perſeum. Aldus aũt. E pedibus vatum ſummo Ioue Perſeus eſt. Meum verò etiam exemplar olim,

E pedibus vatum ſummo natos Ioue Perſeus,
Quos humeros retinet defixo corpore Perſeus.

Quibus ego quidem in verſibus quid intelligam video, quid legam non video. Senſus eſt. E læuo humero Andromedæ piſcem poteris cognoſcere. Ibi enim ſitus eſt. Ex pedibus autem eiuſdem Andromedes, Perſea cognoſces. is enim pedes Andromede humeris retinet. vnde fortaſsis prior verſus ſic etiam non inepte legi poſſet, vt verbum, Pedibus, ſubiunctum comma habeat, quod verbũ deinde reliqua ad eum modum cõſequantur.

E pedibus, natum ſummo Ioue Perſea noſces.

Cui ſimile eſt infra.

E quibus annorum volutantia lumina noſces.

Et ſupra, illud quod dixit, Poteris cognoſcere piſcem. Sed ego tamen, intactum reliqui, ſententiam contentus indicaſſe: quam ex tanta varietate lectionis variè exprimi poſſe non dubito. Quanquam & Perſea viſes non repudio. Gręcus de Perſei natalibus nihil hoc loco meminit, illud ſolum habet.

Ανδρομέδης δέ τοι ὦμος ἀριστερὸς ἰχθύος ἔστω
Σῆμα βορειοτέρου. μάλα γάρ νύ οἱ ἐγγύθεν ἐστίν.
Αμφότεροι δὲ πόδες γαμβροῦ ἐπισημαίνοιεν
Περσέος, οἵ ῥά οἱ αἰὲν ἐπωμάδιοι φορέονται.

Quem ſumma] Hoc fragmentũ reperitur etiã in ſecundo libro de deorũ natura, & quidem ad eundem planè modum. Alij legũt. Qua ſumma. videlicet quòd corruptum eſſe putauerint ex eo, vbi Cicero, dũ fluxum orationis ſequitur, legit. Quem.

Pulueru lentus] In Græco est κεκονισμένοι. Cuius verbi interpretationem videtur in Cicerone, & alijs perstringere Higinus in Perseo, videturque decurrentem malle quàm puluerulentum intelligere. Vnde rectius fortasis, & ad Higini sententiam accomodatius, de eo Germanicus, inquiens,

Sublimis fulget pedibus: properare videtur,
Et velle aligeris purum æthera tangere palmis.

Sub culmina portat] Olim. sub culmine.

At propter læuum genus] Priscianus lib. VI. diximus superius.

Paruas Vergilias] Et hoc etiam in secundo de natura deorũ extat: sed sine, Paruas.

Sed frustra temere a vulgo] Rectius proculdubio, quàm olim, A vulgi. Quanquam hunc totum quidem versum non puto haberi posse inter eximios.

Quod ad ęstatis primordia clarent] Totum hunc versum Aldus legit sic,

Propterea quòd, & æstatis primordia clarent.

Legerem igitur,

Propterea quòd, & ęstatis primordia clarat.

Sequitur enim

Et post hyberni prępandens temporis ortus
Admonet, vt mandent, mortales semina terris.

Quod si cui minus placet, est in medio aliorum lectio, quam sequatur: eiusmodi. Quòd ad æstatis primordia claret. Equidem mea, vt arbitror, & sententiam cõcinniorem continet, & minus a veteri scriptura recedit, & antiquitatem magis redolet. Nam clarandi verbo etiam infra idem Cicero vtitur, loco item vt hic corrupto.

Non potuit nobis nota clarare figura.

Inde fides] Et hoc item in secundo de natura deorum, sed pro Contexa, est, Connexa.

Hæc genus ad læuum] Prisc. li. VI. Hoc genus. Alij legunt, Quę genus. Alij, Quod genus. Ego quod propius ad lectionem Prisciani, & sententiam, accedere videbatur, id reposui. Pro, Nisi, olim legebatur, Nixi. Appellat autem Cicero Nisum, vel Nixũ, imaginem illam carentem nomine, de qua sic superius dixerat. Engonasim vocitant, genibus quia nixa feratur.

Nanque est ales] Cicero II. de natura deorum. Inde est ales.

Hæc dextram Cephei] Hæc, ales intellige. Nã supra etiam femineo

mineo genere potulit. Quæ volat.

Geminis Equus ille tenetur Piſcibus] Olim.multis Equus. Gemi nis,autem,Binis've,legendum eſſe,etiam alij obſeruarunt. Nam Aratus, δύ' ἰχθύες.

Piſcibus: huic ceruix] Olim,Hinc ceruix. Sed alij quoque veram lectionem reſtituerunt.

Serius hæc obitus] Priſc. lib. VII. initio meminit. Sed hunc verſum quidam tollunt ex hoc loco,nec vſquam,vt videtur, reponunt, in verſuq; etiam ſequenti pro, Quam gelidum, legunt propterea,Tum gelidum. Quidam reponunt illi quidem,& relinquũt verſum hoc loco,ſed minime omniũ emaculatũ. Quem ego ne tollerem,fecit primum librorum penè omnium conſtãtia. deinde Græcus quoque ipſe Aratus,qui ſic habet.

πὰρ δ' ἄρα οἱ κεφαλῇ χεὶρ ὑδροχόοιο
Δεξιτερὴ τετάνυσθαι· ὁ δ' ὀπίσθερος αἰγοκερῆος
Τέλλεται.

quorum quidem verborum poſtrema,videntur mihi his Latinis expreſſa fuiſſe.Serius hæc obitus &c.Quod cũ ita mihi videretur,in ſpem etiã adductus ſum,vt, ſi nõ prorſus hũc verſum priſtinæ integritati reſtituere ipſe potero,at viam ſaltem ad reſtituendum cõmonſtrare me poſſe aliis confidam,qui me ingenio pariter atq; iudicio antecellunt.Eius aũt mihi rei ratio omnis, in vnius propemodum emendatione verbi,videtur eſſe cõſtituta. Si enim modò pro,Equinis, Equi vis, ut ego quidẽ ſuſpicor, legendum eſſe ſtatuamus,permagnus erit non modò ad intelligendum, ſed etiam ad reſtituendum totũ hunc verſum aditus patefactus. Animus enim nõ iam amplius quàm in vnius verbi, Iuſsit,ſalebris hærebit: ex quibus tamen facile ſe quoq; explicuerit,ſi pro verbo,Iuſsit,verbũ, Finit,quod perficere & abſoluere ſignificet,aut deniq; verbũ, Noſcit,repoſuerit. Aratus.n.ſic.

ὁ δ' ὀπίσθερος αἰγοκερῆος
Τέλλεται.

Noſter autem.Serius hæc obitus terrai finit,vel noſcit,Equi vis, Quàm gelidum frigus anhelans Capricornus. Hoc ſenſu. Hæc Equi vis, id autem eſt hic Equus,ſerius finit,hoc eſt perficit obitus terræ quàm Capricornus. Quid hoc apertius? Nam Terrai, quidem pro, Terræ antique poſitum eſſe, nec quiſquàm eſt qui neſciat, & Priſcianus ãdnotauit. Vis autem Equi, pro Equo ipſo hic dicitur: vt infra,vis Leonis,pro Leone ipſo,

Cedit vis torua Leonis.

Et item, Sed cum de terris vis est patefacta Leonis.

Et vis Nepai, pro ipso Scorpione,

Consequitur lucens vis magna Nepai.

Et item. Quam verò vis est vehemens exorta Nepai.

Et vis Aeti, pro Aquila,

Simul vis maior Aeti

Pellitur.

Sic Lucretius, ad cuius imitationem, & hoc, & pleraque alia, Cicero in hoc libro dixisse videtur, de Equo ipso loquens lib. III.

Quidnam tremulis facere artubus hœdi
Consimili in cursu possint, & fortis equi vis.

Et item. Nec tam doctus equæ pullus quàm fortis equi vis.

Itaque de eius verbi emendatione minus iam est, vt puto, dubitãdum. Illud maiorẽ dubitationem habere posse videtur, quòd pro, Iussit, Finit, vel, Noscit, reponendum esse existimo. Equidẽ finiendi verbo vsus est quoq; Cicero superius, tam de Virgine, quàm de Pistrice. Noscendi aũt verbum adhibuit cũ alibi, tum proxime de Pisce, quem ex læuo Andromedę humero cognosci posse dixit. Et infra, cũ ortus atq; obitus nosci posse ait. Cocha nouius meus, Visit, pro, Iussit, legendũ eẽ putat. Laudo, similẽ. n. illis locis videtur esse, quæ sæpe occurrũt in hoc poemate. Vt

Hæc tamen æterno inuisens loca curriculo nox.

Et item. Tot cœlum rursus fugientia signa reuisunt.

Et item. Et loca conuisit cauda tenus infera piscis,

Et item. Dum Nepa & Arcitenens inuisant lumina cœli.

Et postremo. Inde Sagittipotens superas cum visere luces,
Institit, emergit Nisi caput.

Illi autem Lucretiano prorsus simillimum, quod de sideribus vsurpat, inquiens

Quandoquidem longos obitus exorta reuisunt
Cum permensa suo cœlum sunt lumine claro.

Quàm gelidum valido.] Etiam hoc cum quattuor sequẽtibus in secundo de natura deorum legitur. Sed legitur, Tum gelidũ, in versu primo. Quæ res occasionem quibusdã præbuit, vt cum Cicero illic, filo orationis præsentis magis quàm conuersionis Arateę rationi inseruiens, Tum gelidum, dixerit, ipsi quoq; sibi, in ipsa Aratæorum integra editione, idem retinendũ existimauerint: præsertim, cum absq; versu superiore, quem ij, tanquàm

versum

versum nullius sentētiæ, e medio sustulerāt, nullus locus particulæ, Quàm, relictus esse videretur. Nos tamē, vt puto, nō inepte lectionem nostrum conformauimus. In versu quoq; quarto, pro Cursum, legitur, Currum, in secūdo de natura deorum. Et quidem, vt cetera paria esse concedā, hoc quidem magis poetice.

Corpore semifero.] Prisc. lib. vi. sic legit, vti reposuimus. Aldus. Corpore semifero nam Capricornus in orbe. Quam lectionem non ita propono quasi probem, sed vt admoneam quærendum esse, an etiam in Prisciano recte legatur, Magno.

Pulsabit viribus Auster.] Soleo, dum scripta veterum auctorum lego, si quem in locum difficiliorē incidi, attentius per me ipse considerare, primum, quid sibi illo in loco velit auctor. Id si assequor, gaudeo: & si quid ex tempore aut ad confirmandum, aut ad illustrandum eum locum afferre possum, appingo non solùm libenter, sed etiam diligenter. Sin minus assequor, etiam atque etiam per me ipse cōsidero, nunquid vitij in contextu insideat, & quemadmodum id e medio tolli posse videatur. Si quid firmi excogito, adnoto: sin imbecillius, adnoto hoc quoque quidem, sed confestim ad aliorum quoque libros recurro, qui se auctorum illorum interpretes profitentur. Itaque aut in mea coniectura confirmor, si qua ipsius in eorum libris vestigia deprehendo, aut meam cum illorum confero, si illorum a mea diuersam esse comperio. In summa, aliorum ferè commentarios, nisi re per me ipsum aut intellecta quoad licuerit, aut plane desperata, non inspicio. Alienæ enim manus leues illæ quidem, sed minime omnium fructuosæ, etiam nostro vulgari prouerbio habentur. Fitq; adeo sæpenumero, vt quemàdmodum rei suæ domesticæ negligētes patresfamilias, dum ex itinere in alieno potius mature pernoctare, quàm serius paullò domum suam peruenire, ac omnibus semel peregrinationis molestiis defungi malunt, neque pro dignitate plerunque excipiuntur, & pernoctant male: sic eorum ferè animus, qui de propriorum studiorum fructu parum soliciti, aliena sapientia sapere satis esse existimant, in eiusmodi plerunque sententias in studiis, ab aliis inducti, delabantur, ad easq; adhærescant, quibus nihil in omni bonarum artium genere fingi potest ineptius. Quod hoc etiam quàm illud habendum est miserius, quòd illi quidem, dum negligentiæ suæ pœnas pendunt, mentem tamen non amittunt, quin in malis se esse intelligant, hi vero cum in mediis reliquis

malis positi sint, tum mentis præcipue ipsius ac sensus prope communis iacturam tantam faciunt, vt ne, in quibus quidem, & quantis erroribus uersentur, possint suspicari. Hoc quidem loco, Pulsabit, pro, Pulsauit, legendum esse, cum aliquantum mecum consideraui, per me ipse conieci. Nam, & supra dixit, Labere, Voluetur, Ostendet, & infra, Quatietur. Ad illorũ autem libros recurrens, idem quoque deprehendi. Itaque ergo reposui. Errorem natum esse comperio ex ignoratione ueteris scripturæ, cuius multa sunt vestigia in Pand. Florent. & alibi: quẽadmodum alij quoque adnotatunt. Scribunt igitur, pulsaVit, legendum autem, pulsabit. & contrà, pulsaBit, legendum est, pulsauit. Sic cum infinita alia alibi, tum illud quoque, in quod, cum hæc scriberem, incidi, apud Catonem legendum, & accipiendum esse censeo. Propter tenuitatem, inquit Cato pro Veturio, & pleuitatem. Nimirum scribendum, pleVitatem, legendum autem plebitatem, id autem est, vt exponit Nonius ignobilitatem. Vide Nonium.

Sed tamen anni iam labuntur tempore toto] Vix puto locum recte habere. Est enim sensus. Quanquam hoc tẽpore nauigatio periculosissima sit, tamen iam vsus obtinuit, vt naues vel nautæ labantur, id autem est nauigent, toto anni tempore. At sic quidem, vt vulgo legitur, verbo personali, Labuntur, nullus additus est nominatiuus. Hæc ita hactenus scripseram, cum deinde Aldi librum accipio, in quo ita scriptum est:

Sed tamen iam anni labuntur tempore toto

Videndum igitur an legi possit. Sed nautæ iam anni. Vel, Sed naues iam anni &c.

Atque etiam supero naui pelagoque vacato Mense] Olim legebatur. Atq; etiam super hos naui pelagoq; vagato. Quod quidem dum emendassent quidam sic, Atq; etiam supero naui pelagoq; vagato: quod dederunt, accepi, reliquum conatus ipse sum de meo addere. Legi igitur & reposui, Naui pelagoq; vacato. Dixerat enim superius, cum de Capricorno loqueretur. Hoc caue te ponto studeas committere mense. Addit igitur. Atq; etiam supero, naui pelagoq; vacato, Mense. Hoc sensu. Non modò quo tempore sol est in Capricorno, fugiendum tibi mare est, sed etiam quo tẽpore est in Sagittario, a nauigatione abstinendum. Sic enim accipio, vacare uaui, & vacare pelago. Mirum autem est, quòd qui paulo post in, Misso reuocans, Vacans inuenerũt, ijdem

ijdem in verbo, Vagato, Vacato, inuenire non potuerint. quod tamen inferius quoque in eodem verbo non obſcure latuit. Nam pro, Vagans vulgato nomine Niſus, legendum proculdubio eſt, Vacans vulgato nomine Niſus, vt nos animaduertimus. Quod autem mox ijdem illi, pro, ſolis cum ſuſtinet orbem, emendant, Solis tum ſuſtinet orbem, parum moror, hoc an illo modo legatur. Mallem emendationem hanc in ſequentem verſum transferri, vt pro, Nã iam cum legatur, Nam iã tum. Quod tamen alij, commate tantum ad verbum, Cum, appoſito, emendare ſtuduerunt. Senſus autem loci eſt. Si menſe eo, quo ſol Capricornum perluſtrat, propter dierum breuitatem a nauigatione eſt abſtinendum, eadem quoque ratione, quo ſol eſt in Sagittario. Iam tum enim quoque dies ſunt breuiores. Tum incipit oſtendere indicia Sagittarij aduentatis, verſu quidem qui ſequitur. Hoc ſignum, &c. & deinceps alijs octo.

Nam prope præcipiti antè licebit viſere nocte] Sic repoſui, cum ante legeretur vbique. Iam prope præcipiti ante licebit viſere nocti. Aldus pro, Præcipiti ante, legit vno verbo, Pręcipitante.

Vt ſeſe oſtendens emergit] Etiam hoc cum ſequente, in libro ſecundo de natura deorum legitur. Sed ſic, Vt ſeſe emergens oſtendat: idq; multo rectiùs, mea quidẽ ſententia. Alij legunt, Oſtendens emergat. Ego tamen, in lectione, quæ eſt ſecundo de natura deorum, acquieſco.

Lumborum tenus a palma] Olim, A prima, nulla ſententia.

Hic miſſore vacans] Olim. Hic miſſo reuocans. Sed rectè eſt ab alijs emendatum. Sic enim Gręcè.

Αὐτὸς ἀνὴρ τόξου.

Redit autem ad deſcriptionem ſignorũ cœleſtium, quam iam inde poſt deſcriptionem Equi, intermiſiſſe videbatur.

Quam propter nitens] Et hoc legitur in ſecundo de natura deorum, ſed, Quem propter: videlicet, quod ibi refert ad Scorpium, hic ad Sagittam.

Et clinata] Sic legunt alij, & bene. Olim, cliuata.

At propter ſe] Et hoc in ſecundo de natura deorum nullo diſcrimine: ſicut & illud, quod verſu ab hinc ſextodecimo ſequitur. Exinde Orion.

Igniferum mulcens] Rectius quàm olim, Mulgens: quanquam hoc totum abſit a Græco. ſic infra quoque.

Aram, quam flatu permulcet ſpiritus Auſtri.

Non

Non nimis] Olim, Non minus. Græcus sanè Aratus.

Οὐ τόσσος μεγέθει.

Tum magni curuus] Priscianus lib. VI. & quidem bis, vtriusque versus meminit. Legunt autem alij, pro, Curuus Currēs. Ego, si cōiecturā sequi licet, putarem legendū, Curtus. Nam in Græco.

Δελφὶς δ' οὐ μάλα πολλὸς ἐπιτρέχει αἰγοκερῆι.

Et credibile est Ciceronem contrarijs ludentem cum Græco Arato contendere voluisse. Quid? quòd veteris quoque scripturę vestigia dum recognosco, in eadē plane confirmor sentētia. Sic. n. in antiquis Priscianis legitur. Tum magni currus &c. Vt sanè verisimile sit ex, Curtus, factū fuisse Currus, a librarijs.

Cetera pars late tenui] Alias, Læte tenui. Olim in meo, Læta tenui. Quæ singula mihi quidem quadrare partim sententiæ, partim numero nō videntur. Reposui tamen quod numero quadrare videbatur. Quid autem? si legatur sic.

Cetera pars latet, ac tenui cum lumine serpit.

Cuius mihi lectionis vestigium, voces, Læta tenui, quæ erant in libro meo, apertius quodammodo vestigium præ se ferre videbantur. Antea sane dixerat, eundem Delphinum, de quo hic loquitur, haud nimio lustratum esse nitore: vt conuenientissime hoc item loco latere illum dicere potuisse videatur.

Illę quæ fulgent] Qui dixit, Cuiusuis hominis esse errare, is mihi id quidem in seipso primum animaduertisse, tum deinde in ceteris quoque abunde videtur. Tantis est enim natura hæc nostra circumfusa erroribus, vt ne diuini quidem illi & sapientes viri, quorum mens a rebus mortalibus istis, & caducis videbatur segregata, ea contagione vacare viderentur. Plane vt quemadmodum vita hominum, perpetua vigilia esse nequit, sic studium eorum, perpetua veritas, & sapientia esse non possit, & vt non quandoque bonus dormitet Homerus. His sanè totis sex versibus hominem se ostendere, & quidem cum hæc scriberet, puerum tum adhuc fuisse, significare mihi videtur M. Tullius. Vt enim mittam cetera, quorsum est quæso illud?

At pars inferior Delphini fusca videtur,

si antea bis iam testatus est, Delphinum ipsum, præter quattuor stellas, non nimio esse lustratum nitore, sed tenui potius cum lumine serpere? vt verbis ipsius potissimum vtar. Itaque (quod sanè pace viri dixerim) non mihi prorsus Arati sensum hoc loco videtur fuisse puer Tullius consecutus: quo quidem in

loco Aratus transitione vtitur, descriptis sideribus Borealibus ad Australia signa describenda. Sic enim inquit Græce.

Καὶ τὰ μὲν οὖν βορέω καὶ ἀλήτιος ἠελίοιο
Μεσσηγὺς κέχυται. τὰ δὲ νειόθι τέλλεται ἄλλα
Πολλὰ μεταξὺ νότοιο καὶ ἠελίοιο κελεύθου.

Quem totum locum & Germanicus & Auienus melius, mea quidem sententia, acceperunt.

Quem qui suspiciet in cœlum] Hic versus cum proximo vitijs nō carent. Ac vnius quidem vitium, quod est in verbo, Suspiciet, monstrat lex ipsa carminis, quæ, cum extremam eius verbi syllabam extendere deberet, non potest, propter ipsius breuitatem. Alterius autem vitium ostendit varietas lectionis. Primam enim eius versus dictionem quidam legunt, Lęte: alij, Latè. Quibus duobus si versum tertium, qui quidem periodum perficit, addiderimus, nullam huic quidem loco magnopere conuenientem sententiam elicuerimus. Quamobrem ego quidem ita legendum esse existimarem.

Quem qui, suspiciens in cœlum nocte serena,
Altè dispersum non viderit, abdita non hic
Cetera se speret cognoscere signa potesse.

Ac primā quidem emendationem, quæ est in verbo, Suspiciens, ratio ipsa carminis vnicuique suggerit. Alteram, quę est in verbo, Altè, Græcus ipse Aratus, qui hunc Oriona ὑψοῦ πεπτηῶτα dicit. Tertiam emendationem, quę est in verbis, Non hic, ratio scribendi quorundam veterum librariorum demōstrat, qui particulas Verò, & Non, eadem propè compendiaria nota describebant: sic, Vō, vero: Nō, Non.

Feruidus ille Canis] Recitatur is quoque versus in secundo de natura deorum: sed, quod hic, Refulgens, ibi est, Refulget. Nimirum, quia ibi prior versus, qui sententiam continet, omissus fuit. In quo si quis est quem offendat, quòd Canis hic subter Orionis pedes situs esse dicatur, cum tamen infra, sub ipsius pedibus Lepus, non Canis, iacere dicatur, is mihi quidē hoc loco non ad Orionis positionem corporis, sed ad cœli ipsius faciem & aspectum mentem oculosq; cōuertat. Tum enim sanè Canem inferius Orionis pedibus deprehendet, Orionis præsertim ὑψοῦ πεπτηῶτος. Idq; sane eum malo facere, quàm eidem auctor esse, vt pro, Subter, Propter, legat, contra Græci Arati rationem, in quo manifeste legitur ὑπὸ ποσσί. quāquam id quoque Auie-

nus

nus interpres verterit, Ad vestigia insequitur.

Subter præcordia vesper] Quid? si Venter, pro Vesper. certe Græcus sic habet,

> Ἀλλ' οὐ πάντα πεφασμένος ἀλλὰ κατ' αὐτὴν
> Γαστέρα κυάνεος περιτέλλεται.

Nec toto spirans] Sic legit quidam, ex doctissimi, vt ait, viri admonitione: cum ante legeretur. Ver toto spirans. Quam nos quoque doctissimi viri admonitionem libenter secuti sumus.

Erumpit flatibus ignes] Actiue. Sic Terētius Eunucho. Iam'ne erumpere hoc mihi licet gaudium? Aliter paullo ante,

> Erumpit summi quà spiritus Austri.

Hic vbi se pariter cum sole in culmina cæli] Sic legunt, qui melius legunt. Olim, etiam in Aldino.

> Hic vbi se pariter quum solem lumina cœli.
> Extulit.

Quod autem mox sequitur

> Haud patitur foliorum tegmine frustra
> Suspensos animos arbusta ornata tenere:

Obscurius, propter duplices accusatiuos dictum, hāc habet sententiam. Non patitur, vt arbusta ornata foliorum tegmine, frustra teneant suspensos hominum animos, dubitantes, quæ illorum radices egerint, quæ non egerint. Apertius in Græco.

> Οὐκ ἔτι κεῖνον ἅμ' ἠελίῳ ἀνιόντα
> Φυταλιαὶ ψεύδονται, ἀναλδέα φυλλιόωσαι.

Anima vitali flamine mulcet] Rectius quàm olim in meo, Flamina mulcet.

Subterq; pedes, quos diximus antè] Quos diximus, versu ab hinc tredecimo. At quomodo hic Lepus subter pedes? Nimirum ratione ipsius Orionis. Ibi autem quomodo Canis subter pedes eiusdem? nimirum cœli ratione: sicut ibidem expositum a nobis est.

Oriens iam denique paullo] Pro, Paullo, legunt alij, Paullum. Sed ego sic, vt erat, relinquere malui. Non mihi enim solum in, Paullò, sed etiam in, Oriens iam, menda residere videtur. Mallem. Orientem denique, vt sit sensus. Canis sequitur Leporis vestigia, tam præcipitantem eum & occidentem agitans, quàm orientem. Pro, Paullo, autem quid sit legendum, nondum mecum constitui. nisi si cui forte, Pellens, legendum videatur: præsertim

præſertim ſi verſus inſequens de ſuo loco motus fuit, vt videbimus. Sententiam tamen, quam dixi, legitimam Arati eſſe, verba ipſa Græca declarant.

Καὶ οἱ ἐπαντέλλει, καί μιν κατιόντα διώκει.

Quanquam Cicero conuerſo ordine interpretatus ſit.

Curriculum nunquam] Et hoc cum ſequenre verſu, eſt in eodem illo ſecundo libro: ſed ibi in ſequenti verſu pro, Prælabitur, Prolabitur, ſcriptum eſt. Intelligo autem, Nnquam ſedans curriculum, id eſt, nunquam curſum inhibens, nunquam quieſcens. Id autem, vt quidem ex hoc loco manifeſte apparet, de Cane dicitur, vt ex ſecundo de deorum natura libro, de Lepore, Sic enim ibi. Poſt Lepus ſubſequitur.

Curriculum nunquam defeſſo corpore ſedans,,

Ex quo ſanè conijcio, aut ibi fortaſſis locum corruptum eſſe, aut hic, quod magis credo, verſum hunc luxatum, ad eum modum reſtituendum eſſe.

Hunc propter, ſubterque pedes, quos diximus ante,
Oriona, iacet leuipes Lepus: hic fugit, ictus
Horrificos metuens roſtri tremebundus acuti.
Curriculum vnquam defeſſo corpore ſedans.
Nam Canis infeſtò ſequitur veſtigia curſu,
Præcipitantem agitans, oriens iam denique paullo.
At canis ad caudam ſerpens prolabitur Argo,
Conuerſam. &c.

Serpens prolabitur Argo] Sic malo quàm, Prælabitur. Nam reuera Canis prælabitur, Argo inſequitur. Quanquam Higinus quoque ipſe fabula XIIII. etiam, Prælabitur, legere videatur, ſi non fallit exemplar. In quo quidem toti tredecim verſus ſic leguntur.

At canis ad caudam ſerpens prælabitur Argo,
Conuerſam præ ſe portans cum lumine puppim.
Non aliæ naues vt in alto ponere proras
Ante ſolent, roſtris Neptunia prata ſecantes,
Sicut cum cœptant tutos contingere portus
Obuertunt nauem magno cum pondere nautæ,
Aduerſamq; trahunt optata ad littora puppim,
Sic conuerſa vetus ſuper æthera labitur Argo.
Inde gubernaclum tendens a puppe volante
Clari poſteriora Canis veſtigia tangit.

Ponere proras] Sic malui cum quibusdam, cum Higino vero inprimis, legere, quàm vt olim in meo legebatur, Pondere proras, aut, vt nunc etiam in aliorum legitur, Pandere proras.

Sed conuersa retro cœli semper loca portat] Hic versus deest in Higino, nec, vt videtur, optime habet.

Vertitur Argo] Labitur Argo, Higinus: & planius, vt opinor.

Ad celsum sine lumine malum] Henr. Stephanus sic legendum putat cum alijs: cum ante, Cœlum, pro, Celsum, legeretur. Sic infra. Perfringet celsos defixo robore malos. In Higino hic versus cum proximo desunt.

Disperso lumine fulgens] Pro eo toto hemistichio Higinus habet, Tendens a puppe volante. Et mox pro, Vestigia condit, Vestigia tangit. Vtrunque magis probatur. Vt verisimile sit, quod supra quoque diximus, a Cicerone ipso totum opus non semel retextum fuisse.

Finita in partibus Austri] Sic alii, & recte. Græce enim

> Ἡ μὲν γὰρ θρῆνος ὑπὸ πνοιῇ Βορέαο
> Κεκλιμένη φέρεται. τὸ δέ οἱ νότος ἐχθρὸν ἀγινεῖ
> Κῆτος.

Olim erat, In partibus astra, perperam. Quid autem velit sibi, cum inquit, Finita, alibi exposuimus.

Hanc Aries] Item & hoc, cum versu insequente in libro II. de deorum natura recitatur, sed pro, Squamosi corpore, habet, Squamoso corpore. Hanc autem, Pistricem intelligo.

Fluminis illustris tangentem corpore ripas] Alij pro, Illustris, Illustri. videlicet ad verbum, Corpore, referẽtes, sed certe ad verbum, Fluminis, referri oportere, Græcus me docuit, qui ποταμὸν ἀστέριον appellat. Olim etiam pro, Corpore, Corpora, legebatur: sed male. quanquam suauius, vt opinor, & magis proprie ad cœli historiam legeretur, Pectore. Nam, Corpore, præcessit etiam in versu superiore: Corpore pisces, Corpore ripas. Et infra, vbi meus liber legit

> Orion claro contingens corpore fertur,

Legunt alij, Claro contingens pectore fertur.

Quem lachrymis] Hic & proximus versus absunt a Græco.

Serpentem poteris proceraq; vincla videbis Et hoc legitur in eodem illo libro de deorum natura secundo. Sed sic tantum.

> Aspicies proceraq; vincla videbis.

Nimi-

Nimirum Serpendi verbum, quod de labente in cœlo Eridano fluuio vſurpauerat, tollit a principio verſus, proq; eo, in ea connexione, quam oratione ſoluta ſolet illic verſibus ante ponere, Serpendi & Manandi vocabulis duobus vtitur: aut alterum altero explicans, aut altero alterum accommodatius exiſtimans. Deinde, quaſi ſenſus magis quàm verborum tenax, inquit, Aſpicies proceraq; &c. In ſequenti autem quoque verſu, pro Candarum parte. ibi, Caudarum a parte, legitur. Id quod ego mihi recipiendum eſſe in contextum exiſtimaui.

Hic vna ſtella nectuntur] Alij, vt Henr. Stephanus Hinc vna ſtella vertuntur. Olim erat. Hanc vna ſtella vertūtur. Et infra, pro, Piſtricis ſpina, quod olim legebatur, repoſui ſumptum ab alijs, Piſtrix è ſpina. Græce.

Ἑνὶ δ' ἀστέρι πειραίνονται
Κήτεος, ὃς κείνου πρώτῃ ἐπικείσεται ἀκάνθῃ

Quas contegit omneis] Aliàs, Quas contigit omneis. Olim. Quas contigit omnis: Laudo, Contegit omneis. Græce enim πιπτηῶτες vocantur. Sic infra, Caudam non contegit vmbra.

Paruo ſub culmine fuſæ] Culmine, dure poſitum exiſtimat Henr. Stephanus. Putat igitur legendum, Lumine. Me autem, quoniam quod apte poſitum eſt, id dure poſitum minus mouet, idcirco etiam atque etiam conſiderandum puto, quàm apte poſitum exiſtimemus, Paruo ſub culmine. Tantundem enim de veritate lectionis detraxerimus, quantum minus apte poſitum inuenerimus. Quid? ſi, Paruo cum lumine fuſæ: ſicut paullo infra, Paruo cum lumine claræ, & ſupra, Valida cum luce refulgēs. Et Item, Tenui cum lumine multæ Inter Piſtricem fuſæ.

His neque nomen] Hæc omnia ad verſum vſque, Exinde Auſtralem, decentiſsima breuitate a Cicerone ſunt perſtricta. Id ita eſſe, facile cognoſcet, qui hos octo inſequentes verſus cum Græcis totis ſexdecim contulerit.

Οὐ γάρ τοί γε τετυγμένου εἰδώλοιο
Βεβλέαται μελέεσσιν ἐοικότες, οἷά τε πολλὰ
Ἑξείης στιχόωντα παρέρχεται αὐτὰ κέλευθα
Ἀνυμένων ἐτέων. τὰ τις ἀνδρῶν οὐκέτ' ἐόντων
Ἐφράσατ' ἠδ' ἐνόησεν ἅπαντ' ὀνομαστὶ καλέσσαι,
Ἤλυθε μορφώσας. οὐ γάρ κε δύνησατο πάντων
Οἷά τε κεκριμένων ὄνομ' εἰπεῖν, οὐδὲ δαῆναι
Πολλοὶ γὰρ πάντῃ, πολέων δ' ἐπὶ ἶσα πέλονται
Μέτρα τε καὶ χροιή, πάντες γε μὲν ἀμφιέλικτοι.
Τῷ καὶ ὁμηγερέας γε ἐείσατο ποιήσασθαι

Aſt-

Ἀςέρας, ὄφρ' ἐπιτὰξ ἄλλῳ παρακείμενος ἄλλος
Εἴδεα σημαίνοιεν, ἄφαρ δ' ὀνομαςὰ γένοιντο
Ἄςρα, καὶ οὐκέτι νῦν ὑπὸ θαύματι τέλλεται ἀςήρ.
Ἀλλ' οἱ μὲν, καθαροῖς ἐναρηρότες εἰδώλοισι
Φαίνονται. τὰδ' ἔνερθε διωκομένοιο λαγωοῦ
Πάντα μάλ' ἠερόεντα, καὶ οὐκ ὀνομαςὰ φέρονται.

Clarare figura] Olim neutrum Clarere, pro quo Henr. Stephanus reponit actiuum Clarare. Quo verbo vſus eſt etiam Horatius in odis.

Illum non labor Iſthmius clarabit pugilem.

Et ipſe Cicero lib. II. de ſuo conſulatu,

Iupiter excelſa clarabat ſceptra columna.

Et ſupra, vt nos quidem legendum arbitramur.

Propterea, quod, & æſtatis primordia clarat.

Exinde Auſtralem ſoliti quem dicere Piſcem] Quidam tollunt prorſus hunc verſum. Alij retinēt, & legunt, vti dixi: cum olim, Soliti conuincere piſcem, legeretur. Quod retinent, & quod legunt, laudo. Nam Græce e t. νότιον δέ ἑ κικλήσκουσιν.

Stellas ſub pedibus ſtratas] Aliàs. Sub pedibus ſparſas. Magis videlicet ad Græcum. σποράδην ὑποκείμενοι.

E multis tamen ijs] Retineo Aldi lectionem. Olim in meo. Tamen is.

Gelido delapſum flumine fontis] Aliàs Lumine. Amplius pronuntio. Illud mallem, Gelidi, pro Gelido: hocque etiam magis, Lumine, pro, Flumine.

Aſt omnes ſtellæ] Sic Henr. Stephanus. Aliàs. Hæ tenues. Olim in meo. Et tenues. Probo, Aſt omnes: quod recepi. Quam autem conſilij factiq; mei rationem afferam? quam, niſi ex Græcis hauſtam fontibus? Ex quibus facile quoq; deprehendi, ad finem verſus pro, Aquari, quod olim legebatur, legendum etiam eſſe, vt nunc poſt alios repoſuimus, Aquai. Græce enim.

Τοὺς πάντας καλέουσιν ὕδωρ.

Sine nomine condunt] Cum illud conſidero, quod ſuperius dixerat.

Tum ſeſe Orion toto iam corpore condit

Extrema prope nocte, & Cepheus conditur antè.

Itē illud. Clari poſteriora Canis veſtigia condit.

aut pro, Condunt, legerem hoc loco Scandunt, vel quid ſimile, aut actiuum poſitum eſſe dicerem pro abſoluto, Condunt pro Conduntur, vel Condunt ſe, vt Vergilius. Accingunt omnes operi.

operi. Et Ingeminant Austri. Quod sanè etiam malo quàm le ctionem immutare. Video enim alibi quoq; ab eodem ad hunc istum prope modum positum esse inferius.

Hunc a clarisonis auris Aquilonis ad Austrum
Condens postremum tangit rota feruida Solis.

Hic autem omissa videtur Coronæ meridionalis descriptio. quam Aratus in Græco attigit sic,

Ὀλίγοι γέ μὲν ἄλλοι
Νειόθι τοξευτῆρος ὑπὸ προτέροισι πόδεσσι
Δινωτοὶ κύκλοι περιηγέες εἱλίσσονται,

& Germanicus sic,

Est, & sine honore Corona
Ante Sagittiferi multum pernicia crura.

Inde Nepa] Hic versus & sequens eodem modo refertur lib. II. de natura deorum, nihilo immutato.

Quæ lumina tempore tranat] Sic omnes, quos vidi. Mallem, Limina, tertia quàm quincta vocali.

Arcturo magnum spatium] Hunc & sequentem versum sic legunt & distinguunt omnes, vt legimus & distinximus nos quoque in contextu ipso. Quid autem, si legatur & distinguatur sic?

Arcturo magnum spatium supra dedit orbem
Iupiter, hanc paruam inferiore in parte locauit.

Hic tamen æterno] Sunt qui legunt, Hæc tamen.

Sin humeros] Sic lege, pro eo, quod olim erat. Si numeros. Nam in Greco est.

Εἰ δέ κεν ἑσπερίης μὲν ἁλὸς κενταύρου ἀπ' ὤμος.

Vis est metuenda Fauoni] Expendendus hic est locus. Nam & Grecus, & Latini Germanicus atque Auienus, Eurum non Fauonium, metuendum tunc esse dicunt.

Hac subter] Olim hic versus legebatur sic, cum sequente.

Hæc subter partem perportans ipse virilem
Cedit. Equi partis properat coniungere Chelis.

Sed in priore, probaui aliorum emendationem: & pro, Hæc subter, Hac subter, reposui, pro, Perportans, Præportans: magis proprie. Quo etiam verbo infra vtitur de Scorpione. Prçportans flebile acumen. In posteriore autem veterem retinui lectionem.

Equi parteis properat coniungere Chelis.

Et qui-

Et quidem, Properat, malui quàm, Properans. Etsi enim, Properans, in secundo de natura deorum extet, vbi hic quoq; versus recitatur, tamen facile intelligitur, hac quidem locutione fluxui orationis obsecundatum ibi esse. Sensus est. Centauri signum, anteriorem quidem sui virilem partem sub Scorpione defert, posteriorem verò equinam sub Chelis. Quod quidem totum Græcus ita aperte extulit, vt apertius vix queat.

Τοῦ γὰρ τοι, τὰ μὲν ἀνδρὶ ἐοικότα, νειόθι κεῖται
Σκορπίου ἱπποῦρεια δ' ὑπὸ σφίσι χηλαὶ ἔχουσιν.

Posteriorem versum ita legunt quidam

Cedit, equi & partes.

Quam quidem lectionem si recipimus, AT, magis proprie quàm ET, reponemus: siue Græcam quis veritatem sequatur, siue omnium linguarum dicendi rationem. In eodem hoc isto versu liber secundus de natura deorum legit pro, CONIVNGERE, aliàs SVBMERGERE, aliàs SVBIVNGERE. quod quidem posterius præ ceteris, quæ proposui, magis placeret. Nam quod quidam olim libri, CETIS. pro, CHELIS, legerent, id iampridem a P. Victorio, imo a libris correctioribus, & a ratione ipsa repudiatum est.

Illustrem truculentus cedit ad Aram] ILLVSTREM, ad Feram magis referre libet quàm ad Aram. Nam & superiùs, si modò nostra coniectura vera est, Aram paruam appellauit. & reuera Ara, quattuor tantum stellarum est: hæc autem Fera stellarum decem. Legitur autem & hic & superior versus lib. II. de natura deorum.

Hic sese infernis e partibus] Hic versus etiam cum superiore in eodem illo secundo libro legitur: ex quo sanè, INFERNI DE PARTIBVS, emendaui, vt legeretur, INFERNIS E PARTIBVS. Cuius etiam lectionis liber Aldinus vestigium continebat. INFERNI SE PARTIBVS. Alii legunt, INFERNIS DE PARTIBVS.

Hæc caput atque oculos torquens] Olim, TORQVERI. Sed quod ait, AD TERGA NEPAI, sunt qui inferant, aut Nepam, præter Scorpium, etiam Cancrum significare, aut verò Ciceronem lapsum esse, qui tergora Cancri, dicere debuerit, cum in Græco sit, *ὑπὸ μέσσον καρκίνον*. Ego verò neque id quod de Ciceronis lapsu inferunt, neque id quod emendant, recipio. Nec dicam, quod dici tamen cum aliqua ratione ad excusan-

cuſandum Ciceronem poſſet, ſi opus eſſet, Hydram ad Cãcrum & Leonem capite ſitam, oculos tamen & caput ipſum torquere, vt hic ait, ad terga reſpectãtem Scorpionis: ad eum prope modum, quo ſuperius de Dracone dixit,

Obtutum in cauda maioris figere dicas.

Cum tamen caput ipſum Draconis a cauda Helices eminus collocatum eſſe videatur: Non dicam hoc inquam. Illud dicam potius, quod ex Sex. Pompeio Feſto deſumptum recitat abbreuiator eius Paullus. Nepa, inquit, Afrorum lingua ſidus eſt, quod Cancer appellatur, vel, vt quidam volunt, Scorpios. Plautus in Caſina. Receſsim cedam ad parietem, imitabor Nepã. Atque hæc quidem de lapſu Ciceronis, qui & nullus eſt, et ſi eſſet, excuſari poſſet. Nam quod pro, TERGA, emendant, TERGORA, id ego quidẽ etiamſi lapſum eſſe & hallucinatum Ciceronem hoc loco concederem, non prius tamen reciperem, quàm quis oſtenderet non minus apud probatos auctores Tergus reperiri pro Tergo, quàm reperitur Tergum pro Tergore apud Vergilium in primo Aeneid.

Taurino quantum poſſent circundare tergo.

In medioq; ſinu] Quattuor verſus ſeſe conſequentes etiam reperiuntur in eodem illo ſecundo de natura deorum libro, nihilo immutato: niſi quod in proximo verſu, pro, Extrema, quod olim legebatur, Extremam, reperimus, repertumq; ita repoſuimus: vt ſit ſenſus, Extremam Hydram tundi Coruino roſtro. Sũt qui legi poſſe putent, Extremum: vt referatur ad ſinum Hydræ. Quę quidem lectio, etſi alio quoque ſenſu ferri poſsit, ſi, Extremum, ſubſtantiue poſitum dicas pro, extremam partem: tamen cum verbum, Extremam, optimum ſenſum habeat, & in libris quidem de deorum natura reperiatur, illud conſeruare maluimus. Extrema, quidem certe peſsime legebatur, ſiue ſenſum quis ſpectet, ſiue verſum. Ac poſt hos quidem quattuor verſus, plures deinceps ex Aratęis in illo ſecundo de deorum natura libro non reperiuntur. Quo quidem in loco non aliud propoſitum Balbus habuit, quàm nomina ſtellarum inerrantium carminibus Latinis Ciceronis recenſere. Cum autem Aratus, poſt Procyonem, nullum amplius ſidus, nullamq; ſtellam fixam ac inerrantem deſcribat, ſed ſe totum, obiter ad Planetarum, id autem eſt ſtellarum vagarum, fuſius autem ad circulorum primum, deinde ad ortuum occaſuumq; deſcriptionem, ad extre-

ζ mum

mum autem ad prognoſticorum ex his tractationem conferat, non neceſſe fuit vlterius Lucilio præter propoſitum egredi. Deeſt autem quoque ea pars tota in Arato Germanici, iam inde prorſus ab eo loco vſque ad extremum prognoſticorum. Sed nos tamen, qui Ciceronis Aratum explicare incepimus, cetera quoque perſequamur. Ac extremo ego quidem quattuor iſtorum verſuum, pro, Ante canem, legerem vno verbo, Antecanis: vt infra quoque alii pro, Ante pedum, legendum cenſent vno itē verbo, Antepedum. Et certe dum Antecanis, Latine dici ſciolo cuipiam non videretur, anſam præbuit, vt, ante Canem, ſcriberetur. Quidam pro, Antecanis, ſcribunt, Anticanis.

Aeternumq; volens. Hic verſus deeſt in reliquis exemplaribus. Ego primum, retinui, deinde verò etiam, vnde luxatus, mea quidem ſententia, exciderat, reſtitui. Lego igitur,

Hæc ſunt quæ viſens nocturno tempore ſigna,
Aeternumq; volens mundi pernoſcere motum,
Legitimo cernes cœlum luſtrantia curſu.

cum olim ex his tribus, qui medius nunc eſt, is fuerit poſtremus.

Per bis ſex ſignorum labier orbem] Orbem, pro Orbes repoſui. Neque enim quinque hæ ſtellæ per bis ſex orbes labuntur, ſed per vnum, bis ſex ſignorum orbem Zodiacum. Aldinus liber legit, Orbe, detrito videlicet, m, pro quo alius repoſuit. s.

Quinque ſolent ſtellæ] Saturnus, Iupiter, Mars, Mercurius, & Venus. Nam Solem & Lunam in his non numerat, ſic idem I. Tuſcul. Lv. Tum in eodem orbe, inquit, in XII. partes diſtributo, quinque ſtellas ferri, eoſdem curſus conſtantiſsime ſeruantes diſparibus inter ſe motibus. Cum videlicet antea iam Solem & Lunam nominaſſet.

Hæ faciunt] Hæ, malui, vt ad ſtellas referatur, quàm vt olim fuit, Hæc. Inferiusq; etiam. Quarum ego, potius quam, vt quidam, Quorum ego: multo autem quoque potius quàm. Quare ego: ſicut paſsim legitur. In quo tamen poſtremo veſtigium germanæ lectionis reſidebat. Nam cum eſſet librarius, qui compendio ſtudens, Quarum, ſcripſiſset, QVAR, extitit alius, qui id non, Quarum, ſed, Quare, legeret. Græcum ſic habet.

Μακροὶ δὲ σφέων εἰσὶν ἑλισσομένων ἐνιαυτοὶ

Et mox

Οὐ κέ τι θαρσαλέος κείνων ἐγώ. ἄρκιος εἴην
Ἀπλανέων, τά τε κύκλα τάτ' αἰθέρι σήματ' ἐνισπεῖν.

Verum

Verum hęc quæ semper &c.] Huius totius loci eorumque versuum tam incerta & inconstans est apud diuersos lectio, vt nescias quid sequare, & vbi omnes consulueris, incertiorem te esse multo quàm dudum fateare. Nos ex omnibus, quod optimū, nostro quidem iudicio, fuerit, decerpemus, quomodoq; locum totum non ineptissime legi posse arbitremur, ostendere conabimur. Sic igitur fortassis legendum est.

Verum hæc, quæ semper certo voluuntur in orbe
Fixa simul magnos edemus versibus orbes.
Quattuor æterno lustrantes lumine mundum,
Orbes stelligeri, portantes signa, feruntur,
Amplexi terram, cœli sub tegmine fulti.

In quorum quidem versuum priore parte, est altera propositionis pars. Cum enim versu superiore negasset se posse hoc tempore quinque vagarum stellarum cursus oratione persequi, proponit nunc de ijs velle loqui, quæ certo infixæ orbi voluuntur. Hoc primum: deinde autem de orbibus atque circulis maioribus se velle loqui profitetur. Quod tamen prępostero, vt videtur, ordine exequitur. Nam de orbibus quidem tertio statim hoc versu disserere incipit, eumque sermonem ad centum amplius versus extendit, deinde autem ad extremum vsque, fixarum stellarum ortus pariter & occasus describit. Age igitur, cum ea ad hunc modum exposuerimus, ostendamus quoq; in ijs quinque versibus discrimen nostræ lectionis a lectione aliorū, obiterq; nostra tum confirmemus, tum, quoad opus fuerit, declaremus. Ac primum quidem in primo versu assentimur eorum lectioni, qui pro EVOLVVNTVR, quod olim in meo legebatur, legunt, VOLVVNTVR. Nā, EVOLVVNTVR, videtur huc ex priore versu irrepsisse, vbi dixerat poeta, se totos errantium stellarum cursus euoluere non posse. In secundo autem versu, vt hoc melius tota discriminis ratio animaduerti possit, varietatem ipsam lectionum proponemus. Principio igitur hic versus in meo legebatur, prorsus ad Aldinum exemplar, sic.

Fixa simul magno sedem gentibus orbes.

In aliis autem nunc quoque sic.

Fixa, simul magnos edam ★ gentibus orbes

Denique in aliis sic.

Fixa, simul magnos similes vertentibus orbes.

Nos verò hoc tempore ſic.

Fixa, ſimul magnos edemus verſibus orbes.

Ac cetera quidem perquirere hoc tempore omittamus, ſunt enim perpuſilla, de tribus modo his vocibus cōſideremus, MAGNOS, EDEMVS, VERSIBVS: Quid eſt igitur, quòd, MAGNOS EDEMVS, reponi poſse arbitremur. Hoc quidem ſanè partim translatitium, partim ratione ſumma inueſtigatum eſt. Nam, MAGNOS, quidem retinent, vt videtur, cetera, præter meum, exemplaria, & veriſimile eſt in eo, quod olim corrupte, Magno ſedem, legebatur, extremam prioris dictionis litteram, primam ſequenti dictioni adhæſiſſe. Ex quo etiam procliue mihi fuit ſequentem dictionem, Edem, corrigere, eamque adiecta ad extremum ſyllaba, Vs, extendere: ac pro, Edem, Edemus, facere: quod ſenſus, quod carminis ratio non modo flagitare, ſed etiam ipſa planè præbere videbantur. Nam quòd, Verſibus, quidem, pro, Gentibus, ſcribendum exiſtimemus, etſi verbum, Gentibus, optima quaque ratione tolerari poſſe videatur, tamen quod verbo, Verſibus, luculentior mihi ſententia exprimi, eiusq; verbi veſtigia in voce Vertentibus, quæ erat in quibuſdam libris, contineri viderentur, ad eã rationem induci me ſum paſſus. Interim ſi quis, Gētibus, quàm, Verſibus, maluerit, cum hoc ego quidem magnopere non depugnabo. Nam vocem quoque, Vertentibus, non tam veſtigium alterius cuiuſcunque dictionis, quàm ipſam, illam de induſtria de Græco expreſſam eſſe video, quod Aratus ſic extulit, ἑλίγκια δινωτοῖσι. De eo igitur vt libuerit: cetera non puto eſſe prorſus contemnenda. Illud videndum eſſe puto, quánam ratione orbes Tropici Cancri & Capricorni, quos inferius deſcribit, orbes magni vocari poſsint, cum ſphęram non partiantur in duas ęquales portiones. Niſi fortè id nomen rarione eorum orbium, quos poli Zodiaci circum pólos mundi verſati deſcribere finguntur, ſortiti fuerint: ijs enim profectò ſolis illi ſunt maiores. Quod mihi Proclus quoque ipſe ſignificaſſe videtur, ijs verbis ſtatim ſub libri initium. Τῶν δὲ προειρημένων κύκλων, μέγιστος μὲν ἐστὶν ὁ ἰσημερινός. ἑξῆς δὲ οἱ τροπικοὶ ἐλάχιστοι δὲ οἱ ἀρκτικοί. Sicut ne orbium quidem ipſorum appellatio ceteris hoc loco deſcriptis, præter Zodiacum, & ſi ita vis Lacteum, verè competit. Vnus enim Zodiacus verè orbis eſt, CCCLX. gradus in longũ & XII. in latum continens. Lactei autem orbis veritas ſenſu ipſo deprehendi

prehendi poteſt. Reliqui a ſole figurari dicuntur,cũ is in principia ſignorum Arietis & Libræ,& item Cancri atque Capricorni ingreſſus, circum axem mundi, ab oriente in occidens & inde rurſus in oriẽtem motu externo rapitur: planè ad eum modum, quaſi quis carbonem incenſum,in gyrum citiſsime circumuoluat. Aut niſi etiam magni dicantur, propter eam nobilitatem,quòd intra eos dumtaxat, ſol curſum ſuum conficiat, nec vſquam prætere a euagetur. Quanquam in Græco quidem nullum hoc loco magnorum orbium veſtigium video. Itaque etiam de re tota amplius præterea deliberandum cenſeo. Hęc breuiter de verſibus duobus, quibus altera pars propoſitionis continetur. Sequitur orbium diſcriptio.

Quattuor æterno luſtrantes lumine mundum
Orbes ſtelligeri portantes ſigna feruntur.

Quibus quidem in verſibus, nihil eſt quod meum præcipue eſſe videatur. Nam Orbes, pro antiquo, Orbis, alij etiam ante me repoſuerunt. Quòd autem æterno eos lumine luſtrare mundum ait,ſignificat, ſolem perpetuò intra hos verſari, nec vnquã extra eorum metas egredi. Quòd autem ſtelligeros eos & portantes ſigna appellat, id quidem ex ijs, quæ paullo poſt ipſe dicturus eſt, facile explicari poteſt,cum luculenter deſcribet,quæ ſigna cœleſtia in his orbibus ex ordine ferantur. Interim vt cuiuſmodi ſint, vberius etiam exponat,addit inquiens.

Amplexi terram, cœli ſub tegmine fulti.

Qui quidem verſus cum ſuperiore, etſi à libro Henr. Stephani prorſus abſint, tamen mihi quidem vtrique retinendi videntur. Ad eundem enim mihi planè modũ infrà locutus eſſe idem videtur Cicero, cum inquit, de ijſdem orbibus.

Terram cingentes,ornantes lumine mundum,
Culmine tranſuerſo retinentes ſidera fulta.

Quibus ex verſibus agnoui quoq; hoc in loco,Terram,pro,Terra, legendum eſse. Sic enim olim vbique legebatur.

Amplexi terra, cœli ſub tegmine fulti.

Annorum uolitantia lumina noſces] Quid eſt volitantia lumina? Nunquid non ea ſe ſidera perſequuturum profeſſus eſt, quæ certo voluuntur in orbe fixa? vt quaſi ſui oblitus, ſtellas cadentes deſcribere incipiat? Et quid eſt, lumina annorum? Nũquid Annum ſidus eſſe aliquod imaginabimur,quod lumẽ qualecunque in hæc inferiora, cum volatu iaciat? Quid igitur? ſi legamus,

mus, limina. Vt quattuor anni partes, ver, æstatem, autumnum, hyemem, limina appellet, quæ videlicet sol efficiat, Aequinoctialis & Tropicorum limina ingrediens: quæ quidem limina sic dicuntur, quod in iis sol constitutus, aut regredi necesse habeat ad extremum perueniens, aut ita consistat, vt omnes cœli ac terrarum regiones æqualiter respiciat, medium obtinens. Aratus hæc in Græco μέτρα videtur appellasse. Possunt etiam limina dici, quasi fores & ostia incipientium annorum, quod alij ingressu solis in Arietem, alij in Cancrum, alij etiam in Capricornum definierunt. Ad quem modum illud etiam inferius dictum videtur.

Annua conficiens vertentia tempora cursus.

Ea igitur limina volitantia appellat, vel quòd simul cum cœlo circum axem mundi ferantur: vt volutantia quoque dici possint, vel quòd ex ijs sol per vices delabatur, vt dici posint variantia. Certe Ouidius etiam fores cœli dixit 1. Fastorum. Pręsidio foribus cœli: sed de hoc toto ceteri iudicent.

Tum magnos orbes] Aliàs. Multos orbes. Ego vtrum esset rectius nondum potui statuere.

Atque pari spatio] Legendum existimarem. Atque pares spatio.

Nam si nocturno] Olim. Nec sic nocturno.

Detersit sidera nubes] Olim, Detergit. infra autem quoque, Superaret, olim legebatur, pro Superauit.

Sed spatio multum superest praestare duobus] Aldus legit, Superes. Alibi post, Superest, notatur colon. Alibi pro, Superest, legitur, Superis. sic. Sed spatio multum superis præstare duobus Dicitur. Ego nec, Superest, valde accõmodatum esse puto: nec, Superis, quid sit, valde intelligo. Cur enim Tropicos ratione orbis Lactei, superos appellet, non video. quin & eum versum qui pręcesit, suspectum habeo, si cum Græco Arati ipsius & Latino Auieni confero. In Grçco sic est.

Τῷ δή τοι χροιὴν μὲν ἀλίγκιος οὐκέτι κύκλος
Δινεῖται. τὰ δὲ μέτρα τόσοι πισύρων περ ἐόντων
Οἱ δύο, τοὶ δὲ σφέων μέγ᾽ ἀμείνονες εἱλίσσονται.

Quod Auienus sic expresit.

Non isti forma similis, similis've colore
Circulus est alius: modus & mensura duobus
Est compar solis: alius duo partior artat

Linea

Linea, nec multa trahit istos ambitus æthra.
Aut igitur aliud præter Aratum loquitur, aut inter hunc & superiorem versum, deest aliquid: aut verò locus totus menda nō caret.

Quorum alter] Tropicus Cancri. & hic est primus ex quattuor propositis orbibus.

In sese retinens Aurigæ] Lego cum aliis, Aurigæ, & propter sensum & propter numerum: cum antea, Auriga, legeretur.

Hunc sura læua Perseus] Olim. Hunc supera. Henr. Stephanus legendum putat. Hinc sura læua, alij, Hunc sura, quos nos videlicet imitati sumus. In Græco est, λαιὴ κνήμη. Hunc autem intelligo, circulum Tropicum.

At vero] Versum hunc reiectum esse a quibusdam, notant quidam: sequentemq́; etiam ita ab ijsdem inchoari. Inde Leo. Ac ne ego quidem magnopere video, cur omitti non possit, cum nec in Græco sit quidquam eiusmodi, nec ipse sententiam magnopere aut necessariam, aut accommodatissime prolatam contineat.

Circo disiungitur ipso] Olim. Ipse. Hæc autem in Græco manifeste dicuntur de Leone, quem quidem Tropicus Cancri medium ita diuidit, vt per pectus & ventrem ipsius labatur. Hic de eodem Cancro dici videntur, de quo & illud superius, medio distinguens corpore cursus. Hoc quidem fortassis sensu. Cancer medio suo corpore solis cursus ita distinguit, vt inde deinceps ad Austrum reuertatur, ipse autem medius orbe ipso Tropico diuiditur. Quanquam ego quidem etiam hic de mēda magnopere vereor.

Possidet orbem] Hic in quodam exemplari notatur post hunc versum, asteriscus, defectionis nota. Si Græcum respicio, vix quidquam desidero.

Hunc octo in partes] Adnotat Ceporinus Aratum sphæram suam, sicut & Proclum, quincto climati accommodasse, in quo maximus dies xv. nox ix. horarum existat.

Quas vis inferna frequentet] Sic lego cum Aldo. non vt olim, Quasvis, eadem dictione.

Alter ab infernis Austri conuertitur auris] Alter. Tropicus Capricorni, & hic est orbis alter, propositorum quattuor orbium. Retineo autem veterem lectionem. Est enim qui sic legat. Alter ab infernis Cancro conuertitur Austris, nulla discrepante sen-

ſententia. Qui autem verſus olim hunc ſequebatur, Arcitenens humeris connititur, illa recedens, prorſus abolendus eſt. Eſt enim minime neceſſariò repetitus ex ſuperiore, Anguitenens humeris connititur illa recedens. Etſi autem verum ſit, Sagittarij humeros a Tropico Capricorni contingi, tamen hic quidem ea commemorari neceſſe non fuit, quæ ſtatim loco ſuo inferius ſanè deſcribuntur illo verſu.

Inde Sagittarij defixum poſsidet arcum.

Diſtribuens medium] Hunc verſum Henr. Stephanus legit ſic. Aſt alter medium. Quod ſanè non modò, quia a veteri ſcriptura diſcedit longiſsime, ſed etiam alia ex cauſa, non placet.

Crebro cum lumine nauem] Aldus, Crabro, legit.

Brumali tempore flexu] Sic omnes. Ego putarem, Flexa, pro, Flexu, reponendum: intelligendumq; de ſolis rota.

Huic orbi quinque tributa] Olim. Hinc orbi, ſed ego cum alijs, Huic orbi.

Hosce inter] Olim. Haſce inter. Sed & ſupra ſemper maſculino genere efferebatur. Alter tangit Aquilonis auras. Alter ab Auſtri auris vertitur. Et infra. Hoſce æquo ſpatio deuinctos ſuſtinet Axis. Deſcribit autem orbem tertium, quem Aſtronomi appellant Aequatorem.

Mediam partem retinere videtur tantus.] Omnes libri, & olim meus, Mediam in partem. Quod quid ſit, non intelligo. lego igitur, Mediam partem retinere videtur. Senſus. Inter duos Tropicos in medio eſt Aequator conſtitutus, orbis quidem tantus, quantus eſt, qui hunc ſecat per medium, orbis Lacteus.

Corpore fertur] Aliàs. Pectore fertur.

Quartus cum lumine circus] Hic eſt Zodiacus, vltimus ex propoſitis orbibus quattuor.

Vt nemo cui ſancta] Hic & ſequens verſus non videtur bene habere. In hoc, ſi legerem, Manu & doctiſsima, ſatisfacerem carminis legibus, ceteris rebus non opinor item, & tamē ſic quoq; eſſet, quod in proximo deſideraretur. Senſus planiſsimus eſt. Ita, inquit, ſumma cum arte orbes hi ſunt fabrefacti, vt nemo, quantumuis a Minerua eruditus, adamuſsim poſſe imitari videatur. Quo pertinet illud Verg. 11. Aeneid. Inſtar montis equum diuina Palladis arte Aedificant.

Contortos poſſidet orbes] Aldus. Contortus poſsidet orbis. Quod cum nulla ſententia legeretur, in libris quibuſdam deterſum

tersum fuit. Sed correxit Henr. Stephanus & alii. Contortos posſiet orbes. Quos nos ſumus libenter imitati.

Diuino lumine flexi] Sic vbique. Ego rectius putarem, Numine. Niſi ſi fortè doctis non probetur.

Quattuor hi motu] Olim. Quattuor in motus.

Inflexus tribus orbibus vnus] Tres extremæ dictiones deſunt apud Henr. Stephanum. Ego retinerem, ſed pro, Inflexus, legerem, Implexus.

Quanto eſt diuiſus &c.] Per ſpatium videlicet ſex ſignorum.

Quis lunæ conuexum cæli contingimus orbem] Abundans verſus. Proinde Henr. Stephanus legit. Queis Lunæ connexum * contingimus orbem. Alij. Queis Lunę conuexum cœli tangimus orbem. Quid? ſi, Queis hunc connexum cœli contingimus orbem.

Vertentia tempora curſus] Quid? ſi, Curſu, pro, Curſus, quanquam &, Curſus, legi poteſt.

Hic quantum terris conuexus] Sic poſteriora exemplaria. Olim in meo. Hic quantus terris confectus.

Mortalibus extat] Olim in meo, Edit, pro Extat. quemadmodum Aldus quoque habet: qui quidem totum hunc verſum, corrupte licet, legit ſic.

Tantundem patens ſupra mortalibus edit.

Sex omni] Olim. Sex omnes. Sex omni, viſum eſt ponere, ſequenti recentiores libros.

Tot cælum iuſsus] Henr. Stephanus nihil mutat, aliud exemplar legit, Iuſſu. Quid? ſi, Rurſus, pro, Iuſſus.

Hoc ſpatium tranans cæcis nox conficit vmbris] Olim. Huc ſpatium tranans, cœcis nos conficit vmbris.

Signifero ex orbis & ſignorum ordine fultum] Eſt exemplar quod legit.

Signifer ex orbi & ſignorum ordine fultum.

Ad quam quidem rationem ſi legimus, verſus claudicat. Ex quo fortaſsis factum eſt, vt alij verſum hunc totum prorſus deleuerint. Laudarem, Signifero ex orbi. Reliqua alii conſiderent.

Omnes cognoſcere poſsis] Legendum fortaſsis. Omnes quò noſcere poſsis.

Iam ſimul vt ſupero] Lego, Nam, pro, Iam, vt illud quoque ſuperius. Nam prope præcipitante licebit viſere nocte. Lego item Supera, pro, Supero, prima non quarta vocali: poſitum

pro,

pro, Supra, vt aliàs sæpe, atque haud scio an semper.

Tractus, sed supero] Olim. Tactus.

Cancrumque recondit] Sic legunt exemplaria emendatiora. olim meum, Clarumque recondit.

At parte ex alia] Ante hunc versum, delevi alium, qui abundare videbatur. Dimidiam retinet stellis distincta Corona. Extat enim paullò antè.

Vis maior Aeti] Sic legit quoddam exemplar. Meum olim. Vis maior Aquari. Henr. Stephanus, Vis maior * Probo Aeti. quod Aquilam significat: ex Græco. Καὶ ἀετὸς.

Confidens corpore Nisus] Probaui lectionem aliorum librorum. Nam in Græco.

Αὐτὰρ ὅγε γνὺξ

Ἥμενος.

olim autem in meo. Confidens corpore Nixus.

Candens illustria lumina Virgo] Quid? si, Candens illustri lumine. Sic supra de eadem Virgine. Splendenti corpore Virgo. Et item. Rutilo collucens corpore Virgo.

Hic Equus] Fortè. Hinc Equus.

Per cœli lumina Nauis] Alias, Numina.

Hæ medium &c. Et iam iam] Luxati prius erant hi versus, qui nunc tamen, ex aliorum editione & Græco Arato, suis vterque locis sunt restituti.

Cuius in aduersum est] Henr. Stephanus legit, Aduerso. Aliud exemplar, retinet lectionem, aduersum. Græce est βεβολημένος.

Iam dextrum genus & decoratam] Alias, Dextrum genu. Sed Genus, pro, Genu, versus ipsius ratio extorsit.

Vacans vulgato nomine.] Reposui pro Vagans. de qua emendatione dixi etiam superius. Nisum profectò appellat Cicero idolum illud, de quo dixerat superius Aratus.

εἴδωλον τὸ μὲν οὔτις ἐπίσταται ἀμφαδὸν εἰπεῖν.

Et de quo Cicero ipse. Engonasim vocitant, genibus quia nixa feratur.

Quod igitur nomen certum non habeat, dicit nunc, Vacans vulgato nomine: quod autem genibus nitatur, Nisum hic & vbique vocat.

Persæpe vt paruum] Ex Aldo. Olim, Persæpe in paruum.

Abdit in vmbras] Aldus. Abdet.

Latè fusa volat] Deesse arbitror, vt minimum, extremum huius

ius exametri, & principium alterius: quibus quidem sententia, quæ cœpta est, perficiatur in hunc modum. Oriente Scorpione, latè fusa volat vnda Eridani sub terram. Quin & hic ipse exoriens, ac terrorem Orioni incutiens, depellit eum in inferiora terræ. Tunc sequitur. Per terras fama vagatur. Quibus quidem & sequentibus verbis describit rationem fabulosam, cur Orion sibi a Scorpione tantopere metuat, vt eo oriente ille occidat. Eam fabulam varie Ouidius, Lucanus, Seruius, recitant.

Defixa in gurgite Echineis] Vltima vox deest in Henr. Stephano. alibi non deest. Alij etiam legunt Echinus. Esse autē Echinus videtur, ciuitatis nomen, vt plerique scribunt, qui quidem citant hoc loco Ciceronem.

Brachia quæ viridi conuestit tegmine vitis] Sic legit Henr. Stephanus. Alii, eadem prope sententia. Brachia cui viridi. Olim in meo.

Brachia quam viridi connestit tegmine vini.

Non bene, vt opinor. Nam nec certam vllam sententiam continet, & vocem, Vitis, quam habebat Aldi liber, in vocem Vini, peruertit. In Græco totum id abesse videtur. Auienus tamen videtur Ciceronem imitatus dixisse.

Cum sacrata Chij nemora, & frondentia latè
Brachia lucorum, cum siluæ colla comasque
Deuotæ tibimet manus impia demolita est.

Cœnare nitentis] Nitentis, accusatiuus. Nam vtrunque exemplar legit. Nitentes, quasi tu dicas, lautas.

Nā retinēt Arcti] Olim Arcto. Henr. Stephanus Arctoi. Est, aūt, Arcti nominatiuus multitudinis. Græce. Ἄρκτοι καλύουσι.

Terras, pòst humeros] Quid? si, Humeris, pro, Humeros: hoc sensu, contingens terras primùm vertice, post humeris.

Hanc illi] Olim, Hanc isti.

Ante pedum contecta] Deest in Henr. Stephano totus versus. Aliud exemplar versum habet, sed pro, Ante pedum, vno verbo legit, Antepedum, itemque pro, Lumine pandit, legit, Lumina. Appellat autē Antepedes, vno verbo audaciusculè, quos Aratus προτέρους πόδας dixit, Higinus etiam προπόδας appellat, cum inquit, infra sinistrum pedem Geminorum, vnam stellam esse, quæ πρόποδς appellatur. Cuius vocis meminit etiam Germanicus in commentario in Geminorum descriptione. Idem autem illud exemplar, quod versum retinet, sic eum distinguit,

vti diſtinximus nos hoc tempore. Nam olim ſic diſtinguebatu

Eripit, e tenebris linquens veſtigia parua
Antepedum conte&a, ſimul cum lumine pandit:
Ipſa feram dextra retinet, prolabitur inde.

Equidem ſententia eius loci ex Græco luculenter peti poteſt: quam etiam Auienus extulit ſic

Caput & turgentia membra
Centauro exuperant: manus effert dextera prędam
Siluarum. Nam prima feræ veſtigia mollis
Arcum ſera manent.

Haud autem magnopere dubitarem eadem hæc iſta eſſe veſtigia cum illis, de quibus ſuperius ſic cecinit.

Hic aliæ volitant paruo cum lumine claræ,
Atque priora pedum ſubeunt veſtigia magni
Arcitenentis, & obſcuræ ſine nomine condunt.

Hic ille exoritur] Hoc aliquanto poſt diſtat, in Henr. Stephani exemplari. Aliud exemplar legit, nullo interſtitio.

Inde Sagittipotens] Hunc verſum ſic legunt alii. Inde Sagittipotens ſuperas cum viſere luces Inſtitit, emergit Niſi caput.

Obit & Lepus abditus vmbra] Sequor aliorum le&ionem. Olim erat. Obijt ſimul abditus vmbra. Pro quo Hĕr. Stephanus, Obijt Lepus abditus vmbra.

Inferiora cadunt] Hos, qui ad finem o&o ſequuntur verſus, mire luxatos & conturbatos ſic, vt ſunt, reſtitui, ex aliorum emendatione. Olim enim, in Aldo quoque, erant ſic.

Inferiora cadunt Aurigæ lumina lapſu
Crus dextrumq; pedem linquens obit infera Perſeus
In loca, tunc cedens a puppi linquitur Argo.
Inde obiens Capricornus ab alto lumine pellit
Aurigam, inſtantemq; Capram, paruos ſimul Hœdos,
Et magnam antiquo depellit nomine Nauem:
Obruitur Procyon emergunt alite lapſum
Et volucris terris exiſtit clara Sagitta.

Inferiora cadunt Aurigæ] Aſſentior Henr. Stephano ſeiungendum hunc verſum eſſe a ſuperioribus. Exprimit enim illud Græcum

Τὰ δὲ νείατα πάντα
Αὐτῷ τοξευτῆρι κατέρχεται.

Deſunt autem illa ante

Αλλ'

Ἀλλ' οὐχ ἡνιόχῳ ἔμμοροι, οὐδ' ὠλενίη αἶξ
Εὐθὺς ἀπέρχονται. τὰ δέ οἱ μεγάλην ἀνὰ χεῖρα
Λάμπονται, καί οἱ μελέων διακέκριται ἄλλων
Κινῦνται χειμῶνας, ὅτ' ἠελίῳ συνίωσιν.
Ἀλλὰ τὰ μὲν, κεφαλήν τε, καὶ ἄλλην χεῖρα καὶ ἰξὺν
Αἰγόκερως ἀνιὼν κατάγει.

Quod autem versum Latinum duobus extremis verbis castrat Stephanus, ipse viderit.

Antiquo depellit nomine Nauem] Vix existimo locum esse integrum.

Emergunt alite lapsum] Hic quoque locus manifeste corruptus est. In Græco.

Ἥμισυ καὶ προκύων δύεται, τὰ δ' ἀνέρχεται ἄλλα
Ὄρνις, αἰητός τε, τά τε πτερόεντος ὀϊστοῦ
Τείρεα.

Pro quo quidam in Latino reponunt

Obruitur Procyon emergunt alites vna.

Bene quoad sensum, non item quoad carminis rationem. Aldus legit. Obruitur Procyon mergunt alite lapsum.

Et terris volucris] Aliàs. Et volucris terris. Sed ne sic quidē locus est prorsus emaculatus. Atque hactenus quidem de ortu sex signorum a Cancro ad Capricornum. Reliqua desunt, quæ aut profectò intelligi possunt ex oppositorum ratione, aut verò etiam ex Græco peti, quæ Aratus quadraginta ferè versibus persequitur, vsque ad initium Prognosticorum, de quibus nos alio loco agemus. Ita in his Ciceronis Arateis, quod quidem videtur, damni pauxillum est factum. Nam quod signorum descriptionem attinet, ea Australia quidem extant omnia integra, Borealia autem partim extant quoque ipsa integra, partim ex lib. de deorum natura secundo peti possunt: in quem locum, totum eius partis succum Cicero ipse contulit. Quod autem orbium descriptionem attinet, ea, nisi quòd ferè corrupta est, integra est. Ceterum quod restabat de ortu signorum & occasu, id quidem etiam integrum, quod quidem Zodiaci dimidium attinet, retinemus. reliqua, vt, dixi, supputatione ad rationem oppositorum instituta, deprehendi possunt.

Quem neque tempestas] Ex Prisc. lib. x. Videtur autem esse ex extremo Phænomenorum: vt sit sermo de libro ipso & opere, quem librum ita perpetuum ac ab omni tempestatis & vetustatis impressione liberum fore ait, sicut cœlum ipsum & stellæ,

de

de quibus tractat, perpetuę sunt, ac ab omni interitu exemptæ. Videri enim potest Cicero aliquid eiusmodi ad finem eius operis addidisse, quale est illud Ouidij:


Iamque opus exegi, quod nec Iouis ira, nec ignes,
Nec poterit ferrum, nec edax abolere vetustas.

Et quæ sequuntur. Qualeque item illud Horatij:

Exegi monumentum ære perennius,
Regalique situ pyramidum altius.
Quod non imber edax, non Aquilo impotens
Possit diruere, aut innumerabilis
Annorum series & fuga temporum.

Sunt qui ad initiũ hæc referre, & de Ioue intelligere videãtur. Quod nos in medio relinquamus. Neque enim vsquàm in Græco Arato quidquam deprehendimus, quod his Latinis respondeat, vt inde, quem in locũm ea conijci proprie oporteat, sciri intelligique posse arbitremur.

In Alcyones.



SCRIPSISSE Ciceronem poema hac inscriptione, testatur Iulius Capitolinus in Gordiano, cuius verba superius recitauimus. Cum enim vellet, inquit, Gordianus Imp. peruetera videri Ciceronis poemata, scripsit & ipse quoque ijsdem inscriptionibus aliquot, inter quæ Alcyones fuerunt.

Alcyon genuit] Desumptum ex Non. dict. Prę̃uius: incertum tamen ex quo poemate. ego hunc retuli, primo ipso nomine admonitus. Error enim commissus esse uidetur, quod cum ita scriptum esset: Cicero Alcyone. Alcyon genuit &c. erat, qui bis idem nomen per mendum esse crederet repetitum.

In Limonem.



VISSE vſitatam apud Græcos Limonis inſcriptionem in libris, teſtatur Plinius in præfatione ſuæ hiſtoriæ. plane, ſicut illas quoque, πανδέκται, ἐγχειρίδιον, πινακίδιον, διατριβαι, & quas ibidem Plinius, & Gell. lib. xx. cap. vltimo commemorat. Fuiſſe autem Ciceronis quoque Limonem, vel fragmentum ipſum indicio eſt, quod Donatus recitat in vita Terentij: cuius quidem fragmenti verbis laudatur Terentius poeta Comicus.

In Marium.



DE MARIO cum plena ſit omnis Rom. hiſtoria, tum Plutarchus etiam facere non dubitauit, quin ipſius vitam, inter ceteros, nominatim litteris commendaret. Ciceroque adeo ipſe, ne Arpinati ſuo ſuæ quoque vocis, ſuorumq; ſcriptorum deeſſet teſtimonium, ſcripſit verſibus hunc iſtum librum, quem Marium appellauit, quòd in eo municipis ſui Marij res geſtas fuerit perſecutus: vt hac ratione & viro quidem laudatiſsimo debitum ſuę virtutis redderet teſtimonium, & Arpinum quoque germanam ſuam patriam verſibus celebraret. De quo ſic ſcriptum extat lib. 1. de legibus. Lucus quidem ille, & hæc Arpinatium quercus agnoſcitur, ſæpe a me lectus in Mario. Et mox. Q. ſit ita ſane. veruntamen, dum Latinæ loquentur literæ, quercus huic loco non deerit, quæ Mariana dicatur, eaq;, vt ait Scæuola de fratris mei Mario.

Caneſcet ſęclis innumerabilibus.

Ex quo etiam apparet poema hoc in adoleſcentia etiam tum Ciceronem conſcripſiſſe, cum videlicet adhuc apud hunc Scæuolam iuri ciuili operam daret, vt in ſcholijs in libro de iure ciuili diximus, & copioſius in ipſa vita Ciceronis. Et item. A. Hoc iam non ex te Quincte quæro, ſed ex ipſo poeta, tui'ne verſus hanc quercum ſeuerint, an ita factum de Mario, vt ſcribis, acceperis. M. Reſpondebo tibi equidē, ſed non ante, quàm

tu ipse mihi responderis Attice, certo'ne (sic enim superius me dixi legere) non longe a tuis ędibus inambulans, post excessum suum Romulus Proculo Iulio dixerit, se deum esse &c. De hoc eodem opere sic lib. XII. epistolarum ad Atticum. Heri quidam vrbani, vt videbantur, ad me mandata & litteras attulerunt a C. Mario C. F. cum multis verbis agere mecum, per cognationem, quæ mihi secum esset, per eum Marium, quem scripsissem, per eloquentiam L. Crassi aui sui, vt se defenderem.

Nuntia fulua Iouis] Ex libro I. de legibus desumptum. Quare glandifera, inquit Quinctus, illa quercus, ex qua olim euolauit Nuntia fulua Iouis miranda visa figura, nunc sit hęc. sed cum eam tempestas vetustas've consumpserit, tum erit his in locis, quam Marianam quercum vocent. Etsi enim nec librum Quinctus, nec poetam illic nominet, de quo versum recitat, tamen, cum quercum Marianam nominet, satis, vt opinor, indicat, de Mario hæc sumpta esse.

Hic Iouis altisoni.] Hoc ex lib. I. de diuin. Quid illo, inquit Q. ad M. fratrem, auspicio diuinius, quod apud te in Mario est, vt vtar potissimum te auctore? Hic Iouis altisoni &c. Describit autem his versibus augurium, vel quod Mario, cum adolescens adhuc nidum aquilæ cum septem pullis reperisset, factũ est, vt tradit Plutarchus, vel potius, quod ipse deinde vrbe pulsus, in quercu fortasse notauerat. vnde quod hic generaliter, arboris in trunco ait, libro de legibus initio, quercui Marianę videtur tribuere.

Præpetibus pennis.] Festus, Gellius, Macrobius.

Sinistris.] In auspicijs sinistra dicuntur a sinendo. Festus, Plutarchus, ceteri. Cicero II. diuin. Haud ignoro, quæ bona sint, sinistra nos dicere, etiam si sint dextra.

In Prognostica.



PROGNOSTICA ex Arato, ex eodemq; etiam Phænomena, Ciceronem conuertisse in Latinum, fere constare video. Ac de Phænomenis quidem satis, vt opinor, superius est actum. De Prognosticis autem, qui vulgo in eam rem testes adducuntur, loci sunt in libris de diuinatione,

tione, quos locos in explicatione cuiusdam controuersiæ, quæ de ijs libris inter doctos esse videtur statim referemus. Etenim præter ea quæ ex Arato cõuersa esse diximus Prognostica, sunt qui existiment Ciceronem librum alium eadem inscriptione, argumento autem quoque & tractatione persimili, multo pòst confecisse, Afranio videlicet & Metello coss. tertio nimirum post suum consulatum anno. De quo quidem libro sic videtur Attico scribere lib. I I. epistolarũ, epistola I. Prognostica mea cum oratiunculis propediem expecta. Videlicet libellum fuisse putant quidam, qui Prognostica ipsius de repub. complecteretur. Quod quidem qui sic putant, viri sunt eruditissimi. Ecce autem his quoque rursum ex aduerso exorti sunt eruditissimi quoque & ipsi viri, qui totum hoc, quod de altero Prognosticorum genere ab alijs inuehitur, libertate quadam, communibus litteris & communi illorum amicitia dignissima, reprehendunt: seq; adeò tenere malle aiunt quod sciant de Prognosticis ex Arato conuersis, quàm putare quod nesciant, de altero vllo Prognosticorum genere: ita planè, vt locum quoque ex epistola ad Atticum, quem locum illi de conuersis ex Arato Prognosticis accipi posse non existimarunt, hi de ijsdem illis dictum accipiant. De qua re mihi quidem velim cum bona vtrorumq; venia liceat, sententiam quoque meam hoc loco, si modò me a communibus his litteris, & communi sua amicitia, non repellunt, libere exponere. Nam cum illi, qui aliud Prognosticorum genus in historiam Ciceronis inferendum sibi esse necessariò existimauerunt, illa, vt videtur, summa ratione niterentur, quòd cum ad Atticum, Afranio & Metello coss. Cicero scriberet, eumq; Prognostica sua propediem expectare iuberet, de alijs potius cœptis recens, necdum perfectis, quàm de illis iam pridem, se adhuc puero, absolutis loqui videretur, in eo potius mea quidem sententia reprehendendi fuerunt, quòd, qua ratione de iisdem illis locus posset intelligi non peruiderent, si non peruiderunt, quàm in eo, quòd a Cicerone Prognostica ex Arato conuersa esse aut pernegarent, quod non pernegarunt, aut vero etiam ipsi ignorarent, quod, cum in viris eruditissimis & a me, & ab ipsis illis habeantur, ignorare non potuerũt. Atque ita, non illud, quod ipsi non ignorabant, sed id solùm, quòd, vt videtur, non inueniebant, ab ijs ostendendum fuit, quemadmodum videlicet id, quòd multò antè perfectum iam

fuit, denuo Cicero, quasi imperfectum, iubeat Attico expectare. Donec id enim inexplicatum manet, sententia quidem illorum stat, qui locum illum de altero quopiam Prognosticorum genere intelligendum putauerunt. Neq; enim propterea quòd locus mihi de vulgatis prognosticis intelligendus proponitur, quærere illud e uestigio desistam, quomodo id, quod tanto ante perfectum est, Atticus nihilominus iubetur expectare. Quod quidem sanè vel alia certe quadam via atq; ratione ostendi potuit, vel illa profectò non nimis subtili, nec acuta, si diceretur, id Atticum iuberi expectare, quod à Cicerone quidem multo ante perfectum, sed vel a librario nondum descriptum, vel tabellario ad perferendum nondum esset traditum. De quo quidem viderint alij. Nos enim sanè etsi hæc ita, vt dictum est, commode componi posse existimemus, tamen de illis quoque ipsis ex Arato conuersis Prognosticis, quæstionem præterea non sine causa adferri posse arbitramur. Si enim alia Ciceronis Prognostica, præter ea quę ex Arato conuersa sunt, non sunt, quid est, quòd in his quidem fragmentis, quę libro de diuinatione primo ex Prognosticis Ciceronis recitantur, tum ordo ordini Prognosticorum Arato, vt videbimus, tum verba verbis non respondent? aut cur Priscianus, cum citat Ciceronis Phęnomena, citat Ciceronem in Arato, cum Prognostica eiusdem, non in Arato Ciceronem citat, sed Ciceronem in Prognosticis? si tam Phænomena quàm Prognostica Cicero conuertit ex Arato? Cur autem quoque versum de Acredula, qui vulgo sic habet,

Et matutinis Acredula vocibus instat,

Isidorus, vt videbimus, citat sic.

Et matutinos exercet Acredula cantus?

si omnium Prognosticorum Ciceronis vnum est & simplex, & illud quidem ex Arato conuersum genus? Rursus autem, si hæc quæ extant, ex Arato conuersa non sunt, cur ea ipse Cicero lib. de diuinat. II. appellat Aratæa? Nam cum libro priore Quinctus frater, versus ex Prognosticis ipsius aliquot desumptos recitaret, quibus ostenderet longinquitatem temporum, excipiente memoria prodendisque litterarum monumentis, quiduis efficere posse atque assequi: tum libro posteriore Marcus ipse ad ea respondens, ita inquit. Atqui ne illa quidem diuinantis esse dicebas, ventos aut imbres impendentes quibusdam præsentire signis: in quo nostra quædam Aratæa memoriter a te pronun-

ciata

ciata sunt. Ex quibus nos quidem ita propositis, scrupulum plane inesse existimamus his, quę vulgo de conuersis ex Arato Ciceronis Prognosticis circumferuntur. Ac qui hæc quidem ex Arato conuersa esse nolunt, respondent, Aratæa appellari propter similitudinem argumenti, non propter conuersionem. Quod nos quidem interea in medio relinquemus. Qui autem volunt esse ex Arato, ij verborum & ordinis curam leuiorem ob id duci existimant oportere, quòd a Cicerone hæc ista liberius, id autem est ipsius more, conuersa esse putant. Quod etsi non item in Phænomenis vniuersis, vt in his paucis atque exiguis Prognosticorum fragmentis, demonstrari possit, tamen interea diutius in his hęrere omitto. Nam & Latini Oeconomici ordinem non satis Græco Oeconomico video respōdere: idem autem, quid nobis ad Isidorum & Priscianum respondeant, expecto. Nam in Prisciano sanè non est, quòd ad illud confugiat, ipsas quoque Aratæi Græci libri partes variè a varijs inscriptas esse, prioremque partem a quibusdam φαινόμενα, posteriorem διοσημεῖα inscriptam esse. Neque enim sic Priscianus citat, Cicero in Phænomenis, &, Cicero in Prognosticis: sed, Cicero in Arato, Cicero in Prognosticis: cuius rei insigne exemplum est apud ipsum lib. x. in verbo Extinguo. Cicero tamen, inquit, in Arato, stinguens participio vsus est, quod a verbo stinguo nascitur. Quem neque tempestas &c. Idem passiuum eius verbi in Prognosticis protulit. Vt cum Luna means &c. quasi videlicet innueret, Prognostica Ciceronis, non esse ex Arato. In Isidoro autem quoque frustra nobis pro Prognosticis, illam a sciolis excogitatam Ciceronis Prognen obijciunt, quæ cum nusquàm, quod sciam, extiterit, tum ex pręciso Prognosticorum vocabulo manifeste nata est, vt cum olim scriptum esset, Cicero in Progn. id autem est Cicero in Prognosticis, ineptus quispiam Ciceronem in Progne legerit, inque alios libros temere transtulerit. Itaque ego St. Porembium amicissimum meum suspicari memini (quid enim aliud præter suspicionem in tantis antiquitatis inuolucris habere possumus?) Ciceronem ex Arato, Phænomena tantum, idque cum puer adhuc esset, conuertisse: cumque reliquam deinde partem, quæ est de signis & præsensionibus, forte à suis hominibus desiderari animaduerteret, ad eam quoque litteris tradendam, se post suum, sic enim Attico significare videtur, consulatum contulisse. In quo quidem stu-

dio cum Aratus, auctor iam ipsi notissimus, multo antè præcur risset, etiamsi noster liberrime, ac nullum veluti aspectans ducem, iter illud ingrederetur, vestigia tamen Arati, qui prçierat, non interdum premere non potuit: plane quemadmodum Vergilius ipse quoque, cum eadem in Georgicis persequeretur, Aratum quoque non repræsentare non potuit, sicut inferius videbimus. Qua ex re effecit sanè Cicero, vt sua illa Prognostica, nec ipsius Arati, si quis verba modò ordinemque spectet, nec etiam non Arati, si quis rem ipsam consideret, prorsus esse viderentur. Hocque ita Porembio significare ipse videtur, cum in persona primum. Q. fratris libro de diuinatione primo loquitur. Istis, inquit Quinctus, rerum præsensionibus Prognostica tua referta sunt. Hoc, cum ipse eadem deinceps libro de diuinatione altero, non iam sua, sed Aratæa appellat. Hoc, cum ad Atticum, Afranio & Metello Coss. scribit in hunc modum. Prognostica mea cum oratiunculis propediem expecta. Et sanè, si vera est coniectura nostra, quam extremo Phçnomenorum fragmento explicando proposuimus, nimirum intelligi potest, Ciceronem, Phænomena tantum ipsa, sine Prognosticis, initio ex Arato conuertisse, ijsque ita conuersis ad extremum illud addidisse, quod nos ibi quoque ad extremum reposuimus, non minus librum ipsum de cœlo ac stellis diuturnum fore, quàm cœlum ipsum cum stellis & sideribus, quæ libro continentur, diuturnum & est, & habetur. Pertinuisse autem hanc sententiam ad Phænomena tantum non ad Prognostica, cum res ipsa satis loquitur, tum Priscianus etiam persuadet, qui locum citat ex Ciceronis Arato: quo nomine ab ipso Phænomena tantum significari, non Prognostica, superius diximus. Hanc igitur coniecturam si sequamur, Porembium adiuuerimus. Vt interim omittam illam quoque alteram, quòd quo loco quidem, descripto situ & positione stellarum fixarum, Aratus proponit deinceps, quoniam de stellis errantibus dicere non posit, de fixarum orbibus & conuersione primum, tum autem quoque de signis, id verò est, vt ego illo loco interpretor, de Prognosticis & præsensionibus, se esse dicturum: ibi noster Cicero, nullorum signorum aut Prognosticorum meminit, sed tantum proponit se de inerrantium stellarum orbibus solùm & conuersionibus tractaturum, signa nulla aut Prognostica persecuturum. Proponit autem hçc versis quidem corruptis, sed ita fortasis restituendis.

Quarum ego nunc nequeo totos euoluere curſus.
Stellas errantes intelligit, de quibus tunc loquebatur.

Verum hęc, quæ ſemper certo voluuntur in orbe
Fixa, ſimul magnos edemus verſibus orbes.

Cum Græcus Aratus ſic,

Οὐκέ τι θαρσαλέος. κείνων ἐγώ. ἄρκιος εἴω
Απλανέων, τά τε κύκλα τάτ' αἰθέρι σήματ' ἐνισπεῖν.

Veri igitur ſimile eſt eum de Prognoſticis, de quibus non propoſuerit, illo loco non egiſſe: quod quidem Porembius, vt diximus, ſuſpicatur. Qui cum ſuſpicionem hãc ſuam, reliquorum omnium ſecuram, Iſidoro etiamnum & Acredula premi intelligeret, dicebat item fieri potuiſſe, vt Cicero ineunte adoleſcentia vtrunque ex Arato conuerterit, tam de Phænomenis quod ſcribit, quàm quod de Prognoſticis, idem tamen poſtea & Phænomena multis in locis, vt oſtendimus, leuiter emendauerit, & Prognoſtica denuo luculentius recognouerit: eaque propterea non magis iam Aratæa quàm ſua nominauerit. Quarũ duarum opinionum quiſquis alterutram recipit, is nos ſanè, ſicut olim, ita nunc quoque, fragmenta ex Prognoſticis, hoc ſeparato loco reponere, quàm cum Phęnomenis coniungere maluiſſe, minime mirabitur. Sin autem eſt, cui hæc, quacunque ex cauſa, infirmiora videantur, is per nos quidem ſuum iudicium ſequatur licet. Nos ne ipſi quidem in his amiciſsimi noſtri coniecturis, magnopere conquieſcimus. Nam varietas hæc quidem lectionis, quæ tantopere ex Iſidoro vrgebatur, non videtur reuera tantum momentum poſſe adferre ad id quod agitur, quantum metuitur. Nam & alias quoque non raro in his fragmentis & in Phęnomenis ſæpiſsime varietatem hanc obſeruauimus, ſine vllo tantarum rerum motu & conuulſione; & locus eſt quoque, quem infra adnotabimus ex libris de conſulatu, vbi, cum vulgata exemplaria legunt, Ipſe ſuos quondam tumulos ac templa petiuit, Lactantius lib. III. cap. XVII. legit, Ipſe ſuas arces atque inclyta templa petiuit. Et alter item locus in libro de ſuis temporibus: vbi, cum vulgo legitur, Concedat laurea linguæ, ex oratione in Piſonem legitur, Concedat laurea laudi. Nec tamen de illorum quoque librorũ certitudine quidquam hac iſta varietate detrahi poteſt. Præterea autem videri quoq; hæc iſta poſſunt tum ſua, tum Aratæa, ex eo appellata, quòd cum partem ex Arato cepiſſet, partem autem ſuam, ex ſua & aliorum obſer-

obſeruatione collectam, adieciſſet, vtranque appellationem liber ſuſtinere meritò potuit: ſi ſæpenumero id quod totum eſt, appellationem a parte tributam poteſt ſuſtinere. Equidem Ciceronem de ſuo quoque aliquid ad hæc Prognoſtica attuliſſe, cum Germanici quoque Prognoſticorum partem, quæ reliqua facta eſt, intueor, coniecturam quodammodo capio. Illa enim nec veſtigium vllum Arati continent, & illud de ſe in commentario teſtimonium habere videntur, de ijs ſe dixiſſe, quę ante ſe a nullo eſſent prodita. Non igitur plane in his coniecturis adquieſcimus. Sed quoniam in Prognoſticis tamen verſaremur, quæ a diuinatione non omnino ſunt aliena, aliquid etiam diuinationis admiſcendum fuit, vt de ijs amplius inquirendi vbertior occaſio eruditioribus præberetur.

Vt cum Luna means] Ex Priſciano lib. x. qui hunc locum ad demonſtrandum paſsiuum verbi, Stinguo, recitat. Niſi quòd alicubi pro, Officit orbi, legitur, Effugit orbem, perperam, vt videtur. Sed mirum eſt quoſdam extitiſſe, qui, Vt cum, finem fecerint vnius exametri: Luna means, principium alterius: legibus exametri prorſus reclamantibus. Exprimitur autem his Græcum illud.

Οἷον ἀμαλδύνονται, ὅτε σκιάῃσι κατ' ἰθὺ,
Ισαμένη γαίης τε καὶ ἠελίοιο σελήνη.

Eos autem & ſuperiores duos verſus Auienus conuertit ſic.

Sed cum radijs marcentibus ardor.
Languet, & in tenui tenduntur acumine fruſtra
Phœbei crines, nimbos aget atra procella.
Talis & obducti cernetur forma diei,
Qualem fraternos ſubtexens Luna iugales
Lucem hebetat, ſubit hæc ſuperi ſacra lumina ſolis
Inferior, mediæq; inter ſtans lampadis orbe
Arcet flamigeræ radium facis.

Aſt autem tenui] Et hoc ex Priſciano lib. xvi. in fine, & lib. xiix. Cum olim autem legeretur, Quæ candent lumine Phatnæ, lego, Quæ candet lumine Phatne. Phatne enim præſepe Latinis ſignificat. De quo, quod quidem hunc locum attinet, Aratus ita.

Σκέπτεο καὶ φάτνην, ἡ μέν τ' ὀλίγῃ ἐοικυῖα
Ἀχλύϊ, βοῤῥαίῃ ὑπὸ καρκίνῳ ἡγηλάζει.

Rem ipſam quod attinet. Plinius lib. xviii. cap. vltimo ſic habet.

bet. ſunt in ſigno Cancri duæ ſtellæ paruæ, Aſelli appellatæ, exiguum inter illas obtinente nubecula, quam Præſepia appellant. Hæc cum cœlo ſereno apparere deſierit, atrox hyems ſequitur &c.

Atque etiam ventos] Ex lib. 1. de diuinatione. Quo quidem in loco Q. frater, cum genera diuinandi, in illud quod artis, & in id quod naturæ eſt, diuiſiſſet, eorumque omnium euenta magis quàm cauſas quæri oportere dixiſſet, medicorumque obſeruationes ad id comprobandum attuliſſet. Age ea, inquit, quę quanquam ex alio genere ſunt, tamen diuinationi ſunt ſimiliora, videamus.

Atque etiam ventos & q. s.

& addit. Atque his, inquit, rerum pręſenſionibus Prognoſtica tua referta ſunt. Hæc ibi. Aratus in Græco ſic.

Σῆμα δὲ τοὶ ἀνέμοιο καὶ οἰδαίνουσα θάλασσα
Γιγνέσθω, καὶ μακρὸν ἐπ' αἰγιαλοὶ βοόωντες
Ακταί τ' εἰνάλιοι ὁπότ' εὔδιοι ἠχήεσσαι
Γίγνονται, κορυφαί τε βοώμεναι οὔρεος ἄκραι,

Quam ſententiam etiam Verg. 1. Georg. ita eſt æmulatus.

Continuo ventis ſurgentibus, aut freta ponti
Incipiunt agitata tumeſcere, & aridus altis
Montibus audiri fragor, aut reſonantia longe
Littora miſceri, & nemorum increbeſcere murmur.

Et Plinius lib. illo XVIII. cap. vltimo. Mare ſi in tranquillo portu a curſu ſtabit, & murmurauerit intra ſe, ventum prędicit. Si identidem, & hyemem & imbrem. Littoris ripęque ſi reſonabunt tranquilla, aſperam tempeſtatem. Item maris ipſius, tranquillus ſonitus ſpumæ've diſperſæ, aut aquę bullantes. Pulmones marini in pelago, plurium dierum hyemem portēdunt. Sæpe & ſilentio intumeſcit, flatuque altius ſolito iam intra ſe eſſe ventos fatetur. Equidem & montium ſonitus, nemorumque mugitus prædicunt.

Cana fulix] Ex eodem libro de diuinatione. Videtur autem illud Arati repræſentare.

Καὶ δ' ἂν ἐπὶ ξηρὴν ὅτ' ἐρωδιὸς οὐ κατὰ κόσμον
Ἐξ ἁλὸς ἔρχηται, φωνῇ περὶ πολλὰ λεληκὼς
Κινυμένου κε θάλασσαν ὕπερ φορέοιτ' ἀνέμοιο.
Καί ποτε καὶ κέπφοι, ὁπότ' εὔδιοι ποτέωνται
Ἀντία μελλόντων ἀνέμων εἰληδὰ φέρονται.

Quod ipſum ita etiam exprimere Vergilius videtur.

Iam

Iam ſibi tum curuis male temperat vnda carinis,
Quum medio celeres reuolant ex æquore mergi:
Clamoremque ferunt ad littora, quumque marinæ
In ſicco ludunt fulicæ, notaſque paludes
Deſerit, atque altam ſupra volat, ardea, nubem.

Videtur autem, inquam, & Cicero & Vergilius: quòd in harum auium nominibus magnam perturbationem eſſe perſpicio. Cicero tamen & Auguſtinus noſter, & Auienus ἐρωδιὸν fulicem vocant. De fulica eſt etiam apud Furium poetam veterem.

Sicut fulica lenis volitat ſuper æquora claſsis,
Spiritus Eurorum virides cum purpurat vndas.

Vide Gellium cap. XI. lib. XVIII.

Et matutinis] Etſi ex omnibus ſuperioribus fragmentis videri potuit verba Ciceronis verbis Arati non modò non prorſus e regione reſpondere, ſed etiam longe ab ijs diſsita remotaque eſſe, tamen ex hoc vno lucidiſsime non ſolùm de verbis, ſed etiam de ordine quod diximus, conſtare poteſt, Aratus enim hunc ordinem ſequitur.

Η μᾶλλον δειλαὶ γενεαὶ, ὕδροισιν ὄνειαρ,
Αὐτόθεν ἐξ ὕδατος πατέρες βοόωσι γυρίνων.
Η τρύζει ὀρθρινὸν ἐρημαίη ὀλολυγών.
Ηπου καὶ λακέρυζα παρ᾽ ἠιόνι προυχούσῃ
Χείματος ἀρχομένου χέρσῳ ὑπέκυψε κορώνη.
Ηπου καὶ ποταμοῖο ἐβάψατο μέχρι παρ᾽ ἄκρους
Ωμους ἐκ κεφαλῆς, ἢ καὶ μάλα πᾶσα κολυμβᾷ,
Η πολλὴ στρέφεται παρ᾽ ὕδωρ παχέα κρώζουσα.

Primum videlicet de ranis, de acredula, mox de cornice, extremo de bobus. Noſter autem vt videtur in libro de diuinatione primo, ex quo hæc omnia ſumpta ſunt, primum de acredula, tum de cornice, mox de ranis. Quanquam eſſe ſanè video, qui hęc ad rationem Græci Arati in Latino commutarint. Quod non placet. Cur enim aliud de Prognoſticis, ex libro de diuinatione primo deſumptis, quàm de Phęnomenis, ex lib. II. de deorum natura prolatis, ſuſpicari libet? aut cur, cum Phęnomenorum, in libris de deorum natura, nullus ſit ordo conturbatus, ordo Prognoſticorum, in libris de diuinatione, conturbatus videatur? Hæc de ordine. Verba autem quod attinet: pro duobus verſibus Arati de ranis, tres videas Ciceronis: pro vno Arati de acredula (ſic enim iam ὀλολυγόνα appellare libet) quattuor Ciceronis pro quinque Arati de cornice, duos de eadem

Ciceronis. sed de versuum numero leuius est. Verba, inquam, Græca ipsa cum Latinis, si contuleris, per te ipse ita esse quod dico cognosces. Aratus de acredula, vt dixi, sic.

Η τρύζει ὀρθρινὸν ερημαίη ὀλολυγών.

Noster autem non conuertere, sed luxuriari, & quidem, vt lenissime dicam, nimis delicate, videtur: cum inquit. Canit de pectore carmen: Et. Matutinis vocibus instat. Et. Vocibus instat & assiduas iacit ore querelas: ac quasi adhuc parum dixisset, matutinis vocibus, addit, cum primum, Inquiens, gelidos rores aurora remittit. Itaque, cum hæc illi fortè ipsi non satisfacerent, aliter hæc & reliqua deinde, conuertit. Est enim sanè, quod hunc locum attinet, in manibus ex Isidoro versiculus, qui Græcum melius referat. Eum sic habet Isidorus.

Et matutinos exercet acredula cantus.

Vt planè si pro, Et, legeretur, Aut, totum penè Græcum exhaustum esse videatur. Quanquam sunt, qui Isidori hunc versiculum non ex Prognosticis, sed ex Progne Ciceronis nescio qua desumtum esse putant, vt supra quoque diximus. Plinius libro & capite vti superius adnotauimus, Fulicas ὑπὲρ τοῦ ὀλολυγόνος scribere videtur. Fulicæ, inquiens, matutino clangore tempestatis prænunciæ sunt. Qui Aratum ad verbum interpretatus est, vocat bubonem. Auienus vertit vlulam.

Vocibus instat] Hunc versum Henr. Stephanus legit sic.

Instat & assiduas vocum iacit ore querelas.

Fuscaque] Idem ille, cuius superius quoq; meminimus, Vergilius eam Arati sententiam sic extulit.

Tum cornix plena pluuiam vocat improba voce,
Et sola in sicca secum spaciatur harena.

Plinius verò lib. XVIII. cap. vltimo sic. Cum terrestres, inquit, volucres contra aquam clangores dabunt perfundẽtes sese, sed maxime cornix, hyemem notat. Græcum Arati superius recitauimus. Est autem hoc quoque fragmentum ex lib. de diuinatione.

Vos quoque signa] Plinius loco illo eodem. Ranæ quoque vltra solitum vocales tempestatis, ait, signa sunt. Vergilius.

Et veterem in limo ranæ cecinere querelam.

Ad hunc autem locum respexit proculdubio ipse Cicero cum ita scribit Attico lib. xv. epistolarum. Equidem etiam pluuias metuo, si Prognostica nostra vera sunt. ranæ enim ῥητορεύουσιν.

Arati Gręcos verſus iam habuimus, Latinos Ciceronis recitat Q. Frater. lib. vt diximus, primo de diuinatione. Verſibus autem ipſis recitatis ita addit. Quis eſt, inquit, qui ranunculos hoc videre ſuſpicari poſsit? Sed ineſt nimirum & ranunculis quædam natura ſignificans aliquid &c. Sic nos enim legendum eſſe exiſtimamus pręter & vulgarium, & veterum librorum lectionem, & Victorij hominis eruditi caſtigationem.

Mollipedesque boues] Aratus.

Καὶ βόες ἤδη τοι πάρος ὕδατος ἐνδίοιο,
Οὐρανὸν εἰσανιδόντες, ἀπ' αἰθέρος ὀσφρήσαντο.

Vergilius

Aut illum ſurgentem vallibus imis
Aeriæ fugere grues, aut bucula cœlum
Suſpiciens patulis captauit naribus auras.

Boues, inquit etiam Plinius loco citato, cœlum olfactantes, ſeq; lambentes contra pilum, eandem ſignificationem habent.

Iam verò ſemper viridis] De hoc loco, quem ex libro de diuinatione priore, quemadmodum & proximum ſuperiorem, & reliquos, protulimus, ita Plinius lib. XVIII. cap. XXV. Eſt & alia, inquit, manifeſtior ratio mirabiliore naturæ prouidentia, in qua Ciceronis ſententiam ipſius verbis ſignificabimus.

Iam verò ſemper. & q. ſ.

Ex libro autem Plinij correxi in Cicerone id, quod ratio etiam ipſa pedum, & numerorum requirere videbatur. Nam cum in Cicerone legeretur, Lentiſcus triplici ſolita grandeſcere fœtu, repoſui ex Plinio, ſolita eſt. Græcus Aratus de Lentiſco ſic habet.

Τριπλόα δὲ σχῖνος κυέει. τρισσαὶ δέ γε αὖξαι
Γίνονται καρποῖο. φέρει δέ τε σήμαθ' ἑκάστη
Ἑξείης ἀρότῳ καὶ γὰρ τ' ἀροτήσιον ὥρην
Τριπλόα μείρονται μέσσην, καὶ ἐπ' ἀμφότερ' ἄκρα,
Πρῶτος μὲν πρώτην ἄροσιν, μέσσος δέ τε μέσσην
Καρπὸς ἀπαγγέλλει, πυμάτην γέ μεν ἔσχατος ἄλλων
Οὔ τινα γὰρ κάλλιστα λοχαίη σχῖνος ἄρηται,
Κείνῳ γ' ἐξ ἄλλων ἄροσις πολυλήϊος εἴη.
Τῷ δὲ γ' ἀφαυροτάτῳ ὀλίγη, μέσσῳ δέ τε μέσση.

Caprigeni pecoris cuſtos] Ex Priſciano lib. VI. ſub ipſum initium. Exprimit autem illud Arati.

Χαίρει δέ που αἰπόλος ἀνὴρ
Αὐταῖς ὀρνίθεσσιν ἐπὴν κατὰ μέτρον ἴωσιν.

Aut, quod item mox ibi ſequitur.

Ἀρχα-

Ἄρνασι μὲν χειμῶνας ἐτεκμήραντο νομῆες,
Ἐς νομὸν ὁππότε μᾶλλον ἐπειγόμενοι τροχόωσιν.

Sed prius potius. Id enim planè Caprarij meminit, quem hic Cicero Periphrasticῶς custodem pecoris caprigeni vocat. Præterea autem quod dicit, De gurgite vasto, hoc, post Ciceronem quidem, ita extulit Auienus Festus.

Contemplator item, si longe plurima ponto
Agmina festinant volucrum, solidamque frequentes
Succedunt terram, sterilis desæuiet æstus
Ac sitient agri.

Et deinde

Sed si tum modicę producunt agmina ab vndis,
Nec trepido passim versant conuexa volatu,
Lætitia est duris pastoribus, affore parcos
Præsumunt imbres.

In libros de Consulatu.



LIBRORVM de consulatu inuenio tria genera Ciceronem confecisse. Primo orationem, de qua iam dixi, cum orationes explicarem, in illa quidem oratione, quę contra concionem Q. Metelli inscripta fuit: & si quid est, quod dicendum adhuc sit, inferius dicetur. Secundum genus librorum de consulatu, fuit Græcus commentarius, de quo lib. I. ad Att. Commentarium consulatus mei Græce compositum misi ad te. Et epistola item sequente. De meis scriptis misi ad te Græce perfectum consulatum meum. cum librum L. Cossinio dedi. puto te Latinis meis delectari, huic autem Græco Græcum inuidere. alij si scripserint, mittemus ad te, sed mihi crede, simulatque hoc nostrum legerunt, nescio quo pacto retardantur. Et epistola prima lib. II. ad eundem Att. Kal. Iun. eunti mihi Antium, & gladiatores M. Metelli cupide relinquenti, venit obuiam tuus puer. is mihi litteras abs te, & commentarium consulatus mei Græce scriptum reddidit. in quo lætatus sum, me aliquanto antè de ijsdem rebus Græce item scriptum librum L. Cossino ad te perferendum dedisse. nam si ego tuum antè legissem, furatum me abs te diceres. quanquam illa tua

(legi enim libenter) horridula mihi atque incompta visa sunt. sed tamen erant ornata hoc ipso, quòd ornamenta neglexerāt: &, vt mulieres, ideo bene olere, quia nihil olebant, videbātur. meus autem liber totum Isocratis μυροθήκιον, atque omnis eius discipulorum arculas, & non nihil etiam Aristotelica pigmenta consumpsit: quem tu Corcyræ, vt mihi aliis litteris significas, strictim attigisti, post autem, vt arbitror, a Cossinio accepisti. quem tibi ego non essem ausus mittere, nisi eum lente ac fastidiose probauissem. quanquam ad me scrpsit iam Rhodo Posidonius, se, nostrum illud ὑπόμνημα cum legeret, quod ego ad eum, vt ornatius de ijsdem rebus scriberet, miseram, non modo non excitatum esse ad scribendum, sed etiam planè perterritum. Quid quęris? conturbaui Gręcam nationem. ita vulgò, qui instabant, vt darem sibi quod ornarent, iam exhibere mihi molestiam destiterunt. tu, si tibi placuerit liber, curabis vt & Athenis sit, & in ceteris oppidis Græciæ. videtur enim posse aliquid nostris rebus lucis afferre. Tertium genus fuerunt libri tres versibus conscripti Latinis, in quorum altero Vrania loquebatur, in tertio Calliope: nam de primo nihil constat. de his libris sic idem ipse Cicero eodem illo, ex lib. I. epist. ad Atticū, loco adnotato. Latinum si perfecero, ad te mittam. Tertium poema expectato, ne quod genus a me ipso laudis meę prætermittatur. Quem locum ego quidem, contra aliorū opinionem, sic intelligo. Misi ad te Gręcum, mittam & Latinum, si perfecero. statim autem significat, quid ad perfectionem desideretur. Tertium videlicet poema expectato. id autem est, vt ego intelligo, tertium librum versibus conscriptū, qui solus ad Latinum perficiendum desideratur, cum duos iam confectos habeam. Quod autem mox inquit, Ne quod genus laudis &c. sic simpliciter accipio, quòd cum duobus iam superioribus libris, quos se confectos habere innuit, multa laudum suarum genera fuerit versibus persecutus, nunc, ne quid sit, quod in hoc genere prætermisisse videatur, tertium se additurum librum pollicetur. Tertium igitur genus librorum de consulatu fuit hoc istud poema, quod prę manibus est, tribus libris, vt dixi, constans. Quartum genus, si cui addendum videbitur, illud fortè addendum esse videri poterit, de quo sic ad Luceium ipse Cicero lib. v. fam. Cum enim satis illum adhortatus fuisset ad consulatum suum scriptis illustrandum, subiungit. Si suscipis causam, inquit,

consi-

conficiam commentarios rerum omnium. Quos sanè illū etiam confecisse, indicio potest esse locus quidam ex libro. IIII. ad Attic. vbi Cicero sic scribit. Tu Luceio, inquit, nostro librum dabis. valde enim procliue est de illis commentarijs intelligere, quos se Luceio confecturum pollicebatur per epistolam: præsertim cum eius etiam epistolæ paullo ante, scribens ad eundem Atticum, meminerit. Epistolam, inquit, Luceio quam misi, qua, res meas vt scribat, rogo, fac vt ab eo sumas, valde bella est, eúq; vt approperet adhorteris, & quod mihi ita se facturum rescripsit, agas gratias. Equidem poëmati de consulatu, Afranio & Metello coss. suprema videtur manus fuisse imposita. nam in ea epistola, quæ est tertia, lib. II. ad Att. perscripta illis coss. versus iam tum ex libro III. eius poematis ita recitantur, ac si nō modo iam perfecti, sed etiam Attico essent notissimi. Hunc autem istum commentarium, quem in quarto genere librorum de consulatu cōstituo, Marcellino & Philippo demum coss. scribere est aggressus: sicut non difficulter posset demonstrari, si quis modo tempus datę illius ad Luceium epistolæ considerauerit. Omnino in hunc istum commentarium ea videntur fuisse coniecta, quæ Lucceius ipse deinde in historia exprimere & imitari debuerat. Cōsulatum enim Ciceronis a multis fuisse celebratum magnopere constat, sicut de Attico, ex epistola I. lib. II. epistolarum ad ipsum, & ex Cornelio Nepote in ipsius vita: de Archia, ex oratione pro ipso: de Sallustio, ex ipsius historia: de plerisque etiam alijs, aliunde. Nec mirum id sane videri debet. Erat enim consulatus Ciceronis vere, vt Curio dicere erat solitus, ἀποθέωσις quædam: cuius rebus gestis Cicero memoriam sui nominis ad immortalitatis & sanctitatis opinionem consecrarat, vt mirum videri non debeat, si Plinius in laudes Ciceronis erupturus, e tota vita eius, consulatus tantum opera selegerit, de quo loco Plinij diximus in scholijs in orationem pro Roscio Othone. Eum consulatum Terentię vxori diuinis etiam prodigijs præmonstratum fuisse, constat ex Seruio, qui, dum illud Virg. eglog. VIII. interpretatur,

Aspice corripuit tremulis altaria flammis
Sponte sua, dum ferre moror, cinis ipse,

Ait poëtam ad illud respexisse, quod de se ipso in poemate Cicero testatus fuerat, Terentiæ, dum post peractum sacrificium libare vellet, visam flammam in cinere, quæ res maritum ipsius

eo anno futurum consulem designabat. Quod eò etiam admonui libentius, vt primi etiam libri fragmentum aliquod, vel certe fragmenti loco aliquid habere posſimus. nam ego id ſanè, quod narrat Seruius, ad primum librum exiſtimo pertinere: quanquam Plutarchus de hoc iſto aliter diſſerat. Prætermiſſum autem fuiſſe in ijs libris, quemadmodum Cæſar, obiectu togę Curionis, ſeruatus eſſet ab impresſione eorum, qui Ciceronem domum e ſenatu, poſt latam ſententiam in coniuratos, deducebant, oſtendit Plut. in vita Cæſaris.

Principio æthério] Deſumptum ex lib. I. de diuin. vbi ſic Q. fr. Quid de fulgurum vi, inquit, dubitare num poſſumus? non'ne cum multa alia mirabilia, tunc illud in primis? cum Summanus in faſtigio Iouis opt. maximi, qui tū erat fictilis, cœlo ictus eſſet, nec vſquam eius ſimulachri caput inueniretur, haruſpices in Tiberim id depulſum eſſe dixerunt, idque inuentum eſt eo loco, qui eſt ab haruſpicibus demonſtratus. Sed quo potius vtar aut auctore, aut teſte, quàm te? cuius edidici etiam verſus, & libenter quidem, quos in ſecundo conſulatu Vrania muſa pronunciat:

Principio æthério &c.

Sunt autem verſus, in quibus Cicero, vel potius Vrania Ciceróni, ea prodigia enumerare videtur, quę, Catilina petēte conſulatum, ipſo coss. Cicerone, dij immittere videbantur, de quibus Plut. in vita Cic. & ipſe Cicero or. III. Catil. Nam vt illa omittam, inquit, viſas nocturno tempore ab occidente faces, ardoremque cœli, vt fulminum iactus, vt terrę motus, ceteraq́; quæ tam multa nobis coss. facta ſunt, vt hęc, quę nunc fiunt, canere dij immortales viderentur. & quæ ſeq.

Tu quoque cum tumulos Albano in monte.] Albanorum tumulorum meminit etiam in ea, quę eſt pro Milone prope finem.

Mactaſti lacte Latinas.] Solebant enim populi, qui Latinas ferias erant celebraturi, lac, & alia ſecum in Albanum montem adferre, inde autem carnes petere: vt nos alio quodam loco oſtendimus copioſe.

Nam pater altitonans.] Hos verſus tres ſequētes repetit etiam Lactantius lib. III. cap. XVII. ſed medio nonnihil cōmutato. ſic enim habet. Ipſe ſuas arces atque inclyta templa petiuit. putat autem ijs verſibus Ciceronē alludere ad illud Lucretii, cum dicit de Deo.

Tum fulmina mittat, & ædes.
Ipse suas disturbet.

Loquuntur enim versus Ciceronis de icto fulmine Capitolio, qua de re tota, præter Dionem lib. XXXVII. & reliquos historicos, est etiam illud in eadem illa oratione III. in Catil. Memoria, inquit, tenetis, Cotta & Torquato coss. complures in Capitolio turres de cœlo esse percussas, cum & simulachra deorum immortalium depulsa sunt, & statuæ veterum hominum deiectę, & legum æra liquefacta. Tactus est etiam ille, qui hanc vrbem condidit, Romulus, quem inauratum in Capitolio paruum, atque lactentem vberibus Lupinis inhiantem fuisse meministis. quo quidem tempore, cum haruspices ex tota Etruria conuenissent, cædes atque incendia, & legum interitum, & bellum ciuile ac domesticum, & totius vrbis ac imperij occasum appropinquare dixerunt, nisi dij immortales, omni ratione placati, suo numine prope fata ipsa flexissent. Itaque illorum responsis tunc & ludi decem per dies facti sunt, neque res vlla, quæ ad placandum deos pertineret, prætermissa est, ijdemque iusserunt simulachrum Iouis facere maius & in excelso collocare, & contrà atque antè fuerat, ad orientem conuertere, ac se sperare dixerunt, si illud signum, quod videtis, solis ortum, & forum, curiamque conspiceret, fore, vt ea consilia, quę clam essent inita contra salutem vrbis atque imperii, illustrarentur, vt a senatu populoque R. perspici possent. atque illud ita collocandum consules illi statuerunt, sed tanta fuit operis tarditas, vt neque a superioribus consulibus, neque a nobis ante hodiernum diem collocaretur. Hæc Cicero. Vigebat autem tum quoque ijs coss. coniuratio, in qua Catilina quoque fuit, vt scribit Sallustius in Catil. Conflagrationis istius Capitolii meminit præterea Cicero VI. Verr. Diuinitus, inquit, extitit illa flamma, non quæ deleret Iouis opt. max. templum, sed quæ præclarius magnificentiusque deposceret.

Omnes ciuili generosam.] Lego Generosa, quanquam præterea de mendo videndum.

Ac clades patriæ.] De detecta coniuratione loquitur, quę historia est notissima.

Atque animo pendens.] Nonius Marcellus, verbi, euentus, diuersa genera declarans, hunc etiam versum adfert, ex secundo, vt ipse citat, libro consulatus. Pertinere videtur, aut ad illam

solici-

ſolicitudinem, cum vereretur Cicero, ne a C. Cornelio & Cethego occideretur domi, ſimulantibus ſalutationem: aut cum detecta iam per Allobroges coniuratione, & cõiuratis pleriſq; comprehenſis, ſecum agitaret, quid iis facturus eſſet.

Interea curſus.] Ex Cicerone lib. ad Att. II. deſumptum. Sic ſcribit Cicero. Hic ſunt hæc: coniunctio mihi ſumma cum Pompeio, ſi placet, etiam cum Cæſare, reditus in gratiam cum inimicis, pax cum multitudine, ſenectutis otium. ſed me κατάκρισις mea illa cõmouet, quę eſt in libro III.

Interea curſus &c.

Et mox, Hæc mihi cum in eo libro, in quo multa ſunt ſcripta, Calliope ipſa præſcripſerit, non opinor eſſe dubitandum, quin ſemper nobis videatur.

Εἷς οἰωνὸς ἄριστος ἀμύνεσθαι περὶ πάτρης.

Hęc de ijs verſibus. Si quis eſt autem, qui ad eos quoque de conſulatu libros, fragmentum, quod ſuperius in or. de ſuo conſulatu retulimus, exiſtiment pertinere, cum hoc non vehementer pugnabimus, illud vnum admonebimus, quòd ne ipſum quidem valde neceſſe eſt, vitiata eſſe fragmenti verba, cum ſic, vt ſunt, ſub leges exametri cadere non poſſint. Quanquam etiam, ſi ad orationem referas, vix integrum locum eſſe, & a labe immunem, poſſes obtinere. ſic enim habet,

Quorum luxuries fortunata cenſa peperit.

In librum de ſuis temporibus.



DE HOC libro ſic ſcribit ipſe ad P. Lentulum Ciliciæ proconſulem. Scripſi etiam verſibus tres libros de temporibus meis: quos iampridem ad te miſiſſem, ſi eſſe edendos putaſſem. ſunt enim teſtes, & erunt ſempiterni meritorum tuorum erga me, meæque in te pietatis. Quid autem complexus eo fuerit, inſcriptio ipſa indicat, vt in re nota diſertum velle videri minime neceſſe ſit. Sed quemadmodũ quidem in libro de conſiliis ſuis fecimus, vt hunc iſtum de ſuis temporibus librum, ab illo differre oſtenderemus, apertis ipſis ſignis atque indiciis, ita hic quoque diſcrimen aliquod demonſtremus, inter hoc iſtud & illud de ſuo conſulatu, quod proxime præceſ-

præcessit, opus, quod saltè huic & genere scribendi, & materia, & librorum numero, & plerisq; aliis rebus persimile videri potest. Sit igitur positum, quod confirmatum iam fuit, libros de consulatu Afranio & Metello coss. perfectos fuisse. Inde enim constabit planissime, libros de suis temporibus diuersos ab illis extitisse. Sic enim scribit de ijs Cicero ad Lentulum. Quod rogas vt mea tibi scripta mittam, quæ post discessum tuũ (discessum autem in prouinciam significat) scripserim, sunt orationes quędam, quas Menocrito dabo, &c. Scripsi etiam Aristotelico more tres libros in disputatione ac dialogo de oratore &c. Scripsi etiam versibus tres libros de temporibus meis, & q. s. atqui Lentulus, ad quem epistola illa scribitur, post Afranij & Metelli consulatum anno demum quarto in Ciliciam procos. profectus fuit. Constat igitur, quod volumus, libros de consulatu, cũ multo ante perfecti fuerint, quam libri de temporibus inchoati, manifestissime ab ijs diuersos esse atque differentes. Illud magis est obseruatione dignum, quod etsi, Vallam secuti, fragmenta quędam in hunc librum contulerimus, tamen fit nescio quo modo, vt dubitare videamur ad hunc'ne librum reuera pertineant. Cum enim alterius eius fragmenti in oratione in Pisonem fiat mentio, quam esse Cn. Pompeio Magno II. M. Crasso II. coss. habitam vult Pędianus, hos autem libros Cicero in epistola ad Lentulum, quæ sequenti anno, etiam sub extremum L. Domitij & Appij Claudij consulatus, scripta fuit, editos nondũ fuisse testatur, fit, vt alterũ horum necessario suspicer, aut Asconium in tempore orationi Pisonianæ designando aberrasse, Fenestellamq; potius audiẽdum esse, qui eam anno posteriori vltimam habitam esse scribit: aut verò Vallam ipsum falsum esse, qui hæc ista fragmenta, de quibus loquimur, ex ijs libris desumpta fuisse profitetur. De quo alias cõsiderabimus. In ijs iisdem profectò libris extitisse scribit idem Valla, illud, quod sine libri nomine Ciceroni tribuit Quinctilianus lib. XI. cap. I. & quod reprehensum fuisse & derisum scribit a nonnullis, a Ioue se in concilium deorum aduocatũ, a Mineruа omnes artes edoctum fuisse, quæ sibi, vt inquit idem Quinctilianus, Cicero, secutus quędam Græcorum exempla, permiserat. De qua re etiã video fieri mẽtionem in ea, quę Sallustio in Ciceronem tribuitur oratio. Hocq; est illud adeò quod lib. II. ad Q. fratrem scribit ad hunc modum. Placiturum tibi esse librum in eum suspicabar

tam valde placuisse quàm scribis, valde gaudeo. Quod me admones de non curantia, suadesque vt meminerim Iouis orationem, quæ est in extremo illo libro: Ego verò memini, & illa omnia mihi magis scripsi quàm ceteris. Quibus quidem ex verbis illud etiam intelligitur hos libros antè ad Q. fratrem missos quàm editos in vulgus fuisse. Est enim hæc epistola Pompeio scripta & Crasso II. coss. ipse autem ad Lentulum anno pòst scribens dicit libros hos editos non esse.

Cedant arma togæ.] Eius versus mentio est, vt iam dixi, in ea in Pisonem. vbi multis verbis respondet ad eius versus inuidiã. habet autem ibi pro Linguæ, Laudi. Cõcedat laurea laudi. Respondet item pro eodem versu in II. Philipp. sed eius initium tantum recitat. Libro certe primo de officiis ita scribit ad filium. Illud autem optimum est, in quo me inuadi solere ab inuidis & improbis audio. Cedant arma togæ, concedat laurea linguæ. vt enim alios omittam, nobis rempub. gubernantibus non'ne togæ arma cessere? Sallustius, si modo est Sallustius, in Ciceronem sic. Etiam'ne aures nostras onerabis tuo odio? etiam'ne molestissimis verbis insectabere? cedant arma togæ, concedat laurea linguæ. Quasi verò togatus, & nõ armatus ea quæ gloriaris confeceris. Cui Tullius ipse, si modo etiã est Tullius. An ego tunc falso scripsi, Cedãt arma togæ, qui togatus armatos, & pace bellum oppressi? Vide etiã Quinct. lib. XI. cap. I. & Seruium in I. Aen. Eodem autem respexisse etiam videtur Plin. lib. VII. cap. XXX. dum ita affatur Ciceronem. Salue primus omnium parens patriæ appellate, primus in toga triumphum, linguæq; lauream merite, & facũdiæ Latiarumq; litterarum parens &c. & Cassius ad ipsum Cicer. XII. fam. Est enim tua toga omnium armis felicior. Hæc de sententia versus. cetera rum vnde ipse desumptus sit, tantum habeo dicere, quę de Valla superius adnotaui.

O *fortunatam.*] Citat hunc versum Diomedes lib. II. sed suppresso Ciceronis nomine. Meminit & idem ille, quisquis tamen est, qui se Sallustium profitetur, in ea in Ciceronem. Atque is, inquit, cum eiusmodi sit, tamen audet dicere. O fortunatam natam me cos. Romam. Te cos. fortunatam Cicero, immo vero infelicem & miseram, quæ crudelissimam &c. Meminit & Quinctilianus lib. eodem XI. cap. I. & supra lib. IX. cap. IIII. De hoc Iuuenalis ad hunc modum Saty. X.

Ingenio

Ingenio manus eſt & ceruix cæſa, nec vnquam
Sanguine cauſidici maduerunt roſtra puſilli.
O fortunatam natam me conſule Romam,
Antoni gladios potuit contemnere, ſi ſic
Omnia dixiſſet. Ridenda poemata malo
Quàm te conſpicuæ diuina Philippica famæ,
Volueris a prima quæ proxima, &c.


Ergo Ciceronis eſſe verſum dubitari non poteſt. quo autem ex libro ita in ora hominum venerit, quidquid habuimus, quod dici poſsit, expoſuimus. Quod autem hunc verſum Iuuen. inter ridicula poemata commemorat, arbittor ad eundem Senecam quoq; reſpexiſſe, qui lib. III. de ira ſic ſcribit. Non æquis quendam oculis vidiſti, quia de ingenio tuo male locutus eſt. Recipis hanc legem? Ergo te Ennius, quo non delectaris, odiſſet, & Hortenſius ſimultates tibi indiceret, & Cicero, ſi derideres carmina eius, inimicus eſſet. Omnino enim idem ſcribit lib. III. Declam. Ciceronem, inquit, eloquentia ſua in carminibus deſtituit. Ex quo etiam illud Taciti in dialogo de oratoribus, emanaſſe exiſtimo. Fecerunt, inquit, Brutus & Cæſar carmina, non melius quàm Cicero, ſed felicius: quia illos feciſſe pauciores ſciunt.

In elegiam Tamelaſtin.



T titulus & fragmentum huius Elegiæ ex Seruio deſumptum eſt, qui ſcribens in illud Vergilij Egloga I. Raucę tua cura palumbes, citat manifeſte Ciceronem, in hac elegia: verbaque adfert: quę nos inter fragmenta repoſuimus. Notandum tamen varie Elegiæ nomen ſcribi a deſcriptoribus Seruij. Quidam enim Tamelaſtin ſcribunt, vti a nobis quidē deſcripta eſt. Quidam Thamelaſtin, quidam etiam Telemaſtin, nonnulli verò denique Talemgain.

In Homeri conuersionem.



VIDETVR Cicero Homerum in Latinum, versibus conuertisse. Meminit eius rei, præter ceteros etiam Fr. Petrarcha lib. III. inuectiuarum contra medicum. Ex quo etiam est illud lib. v. finium. quem locum totum penè describam. Quid verò, inquit, qui ingenuis studiis atque artibus delectantur, nonne videmus eos, nec valetudinis nec rei familiaris habere rationem, omniaque perpeti ipsa cognitione & scientia captos? & cum maximis curis & laboribus compensare eam, quam ex discendo capiant, voluptatem? Mihi quidem Homerus huiusmodi quiddam vidisse videtur, in iis, quæ de Sirenum cantibus finxerit. Ita enim eæ inuitant Vlyssem (nam verti, inquit, vt quędam Homeri, sic istum ipsum locum.)

O decus Argolicum, quin puppim flectis Vlyxes,
Auribus vt nostros possis agnoscere cantus?
Nam nemo hæc vnquam est transuectus cærula cursu,
Quin prius astiterit vocum dulcedine captus,
Post variis auido satiatus pectore musis
Doctior ad patrias lapsus peruenerit oras.
Nos graue certamen belli, cladem que tenemus.
Græcia quam Troię diuino numine vexit,
Omniaque e latis rerum vestigia terris.

Et illud lib. II. de diuinatione, vbi Calchantis coniecturam exponens de passerum numero, iis verbis vtitur. De coniectura, inquit, Calchantis sic apud Homerum, vt nos ociosi conuertimus, loquitur Agamemnon.

Ferte viri & duros animos tolerate labores,
Auguris vt nostri Calchantis fata queamus
Scire, ratos'ne habeant, an vanos pectoris orsus:
Nanq; omnes memori portentum mente retentant,
Qui non funestis liquerunt lumina fatis.
Argolicis primùm vt vestita est classibus Aulis,

Quę

Quæ Priamo cladem & Troiæ,pestemq; ferebant:
Nos circum latices gelidos fumantibus aris,
Aurigeris diuum placantes numina tauris,
Sub platano vmbrifera, fons vnde emanat aquai,
Vidimus immani specie,tortuq; draconem
Terribilem,Iouis vt pulsu penetrabat ab ara:
Qui platani in ramo foliorum tegmine septos
Corripuit pullos: quos cùm consumeret octo,
Nona super tremulo genitrix clangore volabat:
Cui ferus immani laniauit viscera morsu.
Hunc,vbi tam teneros volucres,matremq; peremit:
Qui luci ediderat,genitor Saturnius idem
Abdidit,& duro firmauit tegmine saxi.
Nos autem timidi stantes mirabile monstrum
Vidimus in mediis diuum versarier aris.
Tum Calchas hæc est fidenti voce locutus,
Quidnam torpentes subitò obstupuistis Achiui?
Nobis hæc portenta deum dedit ipse creator,
Tarda & sera nimis,sed fama ac laude perenni.
Nam quot aues tetro mactatas dente videris,
Tot nos ad Troiam belli exanclabimus annos:
Quæ decimo cadet,& pœna satiabit Achiuos.
Edidit hæc Calchas,quæ iam matura videtis.

Tales sunt hominum.] Hæc Ciceronem ex Homero conuertisse, palàm testatur Augustinus in libris de ciuitate Dei lib. v. cap. VIII. Sunt autem Homeri versus in Odyssea.

Τοῖος γὰρ νόος ἐστὶν ἐπιχθονίων ἀνθρώπων
Οἷον ἐπ' ἦμαρ ἄγησι πατὴρ ἀνδρῶν τε θεῶν τε.

In Latino, pro qualis pater, legendum suspicor, quali pater, vt referatur ad, lumine.

In

In libellum iocularem.



RAETER eos libros, quos superius poeticos Ciceronis nominauimus, videtur etiam scripsisse libellum nescio quem iocularem, de quo tantum habeo dicere, quantum infra in ipsius fragmenti patebit explicatione. Certe huc Lactantium allusisse arbitror, cum lib. III. cap. XIIII. sic scribit ad Ciceronem sermone conuerso. Idem, inquit, in consolatione, id est in opere non ioculari, hanc de philosophia sententiam tulisti &c. Equidem, versibus'ne hic liber conscriptus totus fuerit, vix habeo vt affirmem.

Fundum Varro.] De hoc sic Quinctilianus lib. VIII. cap. vltimo. cum hyperboles eam partem, quæ ad augendam orationem pertinet, exposuisset. Nec pauciora sunt, inquit, genera minuendi.

vix ossibus hærent.

Et quod Cicero in quodam ioculari libello.

Fundum Varro vocat, quem possim mittere funda:
Ni tamen exciderit, qua caua funda patet.

Sensus est. quanquam modicus etiam locus fundus dici potest, cum fundum non magnitudo ipsa faciat, sed domini affectio, & designatio, tamen Varronis cuiusdam designatio ridicula potest videri, qui tam exiguis finibus fundum definiuit ac designauit, vt totus quãtus est, funda mitti possit, immo vt propter paruitatem vix in cauitate fundæ hærere possit. Quod dixi de fundorum designatione, repetitum est ex Vlpiano l. locus, ff. verborum significationibus. alibi tamen legitur, Quo possim mittere funda: & item, Ni lapis exciderit. Hæc de libello ioculari. videtur etiam scripsisse epigrammata quædam. certe Plin. epistolarum lib. VII. meminit epigrammatis cuiusdam in Tironẽ, cuius sententiam quoque ibidem versibus suis recitat eiusmodi, de Cicerone loquens.

Nam queritur, quod fraude mala frustratus amantem.
Paucula cœnato sibi debita suauia Tyro
Tempore nocturno subtraxerit.

In ea

In ea,quæ ſunt librorum incertorum.



SSE hæc quidem Ciceronis, tam certum eſt quàm quod maxime.Ceterum quò pertineant, & ad quem Ciceronis librum referantur, cum diuinare nec valde prõptum, nec nimis etiam tutum eſſet,omnia ſub inſcriptione eorum,quę ad libros incertos pertineant,comprehendere libuit. itaque nullum etiam in ijs certum ordinem tenere potuimus: illum duntaxat ſecuti ſumus,qui eſt ex eorum auctorũ nominibus, eorumque libris, qui hæc ad noſtram vſque ætatem,in tantis imperiorum mutationibus, conſeruarunt.

Nullum vnquam verbum.] Hoc fragmẽtum auctius refertur ab alijs. Nos tamen pleraq; non tam Ciceronis quàm Auguſtini ad Ciceronem alludentis eſſe iudicantes,quòd Auguſtini eſſe credidimus,induximus, quod Ciceronis repoſuimus. Recte autem feciſſe nos,is profecto iudicabit,qui epiſtolam ipſam Auguſtini legerit, ex qua hæc ſunt ſumpta. Mirum autem ni hæc dicantur de Catone,& ad librum de lande M. Catonis pertineant: ſicuti etiam in eo exponendo libro admonuimus.

De plebeia fece ſellvlariorum.] Ex Auguſtino contra Iulianum Pelagianum lib. II. ſub finem. Nunquid, inquit, Irenæus, Cyprianus,Retitius,Olympius,Hilarius, Gregorius, Baſilius, Ambroſius, & Ioannes de plebeia fece ſellulariorum, ſicut Tulliane iocaris, in noſtram inuidiam concitati ſunt. Puto autem ſellularios opifices eſſe a ſella dictos, in qua ſedentes quotidianum quæſtum exercerent. Cicero oratione IIII.in Catil: Nulli ſunt, inquit,inuenti,tam aut fortuna miſeri, aut volũtate perditi,qui non ipſum illum ſellę atque operis,& quęſtus quotidiani,locum, qui non cubile &c. ſaluum eſſe velint. Sellulariorũ nomine vſus eſt etiam Liuius lib. III. Opificum quoq; vulgus,inquit,& ſellularij,minime militiæ idoneum genus,exciti dicuntur. Fecẽ igitur appellat, quòd opifices omnes in ſordida arte verſentur, ſicut ſcribit ipſe ad filium lib. de off. I.

Eorum quippe opinioni] Hoc fragmentum neque ſic conformari,neq; librum Auguſtini de vita beata præferre debuit. Ego enim planè illud in lib. IIII. eodem illo contra Iulianum Pelagianum reperio. ſenſus fragmenti,vt puto,eſt Hominis fortis,& ſapiẽtis,vel certe iam hominis ſummum bonum,differre manifeſte ab

&c ab ijs bonis, quæ non hominū sunt, sed brutorum animātium propria, quæ videlicet vniuersā perfusione illa dulci, &, quod vno verbo dicimus voluptate sensū sunt prorsus cōstituta. quod totum contra Epicureorum opinionem dicitur; qui, vt scribit Cicero lib. I. Acad. ad Varronem, simpliciter pecudis, & homi nis bonum, idem esse censent. quorum tamen bonorū, quod sit & quantum discrimen præter Ciceronem, qui lib. II. de finibus sub finē, summum pecudum bonū, & hominis nullo modo idem videri posse ait, etiam Aristot. lib. I. Ethicorum cap. IX. commemorat. vnde illa quoque apud Ciceronem Sardanapali reprehensio libro .V. Tuscul. qui in busto ita incidi iusserat.

Hæc habeo quæ edi quæque exaturata libido
Hausit: at illa iacent multa & præclara relicta.

Quid aliud, inquit Aristoteles, in bouis, nō in regis sepulchro inscriberes? Et illa Milonis Crotoniatæ in lib. de senectute, qui cū iam senex esset, athletasq; curriculo exercētes rideret, aspexisse lacertos suos dicitur, illachrymansq; dixisse At hi quidē iā mortui sunt. nō vero tā isti lacerti, inquit, Cato, quā tu ipse mortuus es nugator. Neq; enim vnquā ex te nobilitatus es, sed ex lateribus, & lacertis tuis. Omnino, nisi admodū fallor, fragmentū hoc extare ad verbū, apud Ciceronē ipsum existimo, ijs quidē in libris qui hodieq; extant: sed locus non succurrit. similē tantum huic adferre possum, hoc tēpore, illū qui est. V. Tuscul. sub finē. Polyphemū Homerus, inquit Cicero, cū immanem ferumq; finxisset, cū ariete etiā colloquentē facit, eiusq; laudantē fortunas, quòd quā vellet ingredi posset, & quæ vellet attingeret. Recte hic quidē, inquit Cicero, nihilò enim erat ipse Cyclops quā aries ille prudentior. Hæc ibi Cicero, sed mea quidē sententia est alius, vt dixi, locus proprius de ipso Africani bono: quē quidem dū inuestigo fragmentū loco moueri nō cēseo. Alioqui vidēdū an hoc istud fragmētū ex primo aut tertio de finibus exciderit.

Hipocrates nobilissimus] Hoc Ciceronem retulisse auctor est Augustinus lib. de ciuit. dei V. cap. II. homines pereruditi ad librum de fato pertinere existimant.

O miserum] Augustinus lib. V. ciuit. cap. XXVII. hæc Ciceroni tribuit. idē & Fortunatianus lib. III. Rhetoric. vbi agit de vitādis in soluta oratione versibus. qui in Augustinū scripserunt, de Cinna hac accipere videntur, locumq; ex lib. V. Tuscul. adducunt, huic persimilem, vbi Cinnæ peccare licuisse scribit.

Philo-

Philosophiam dij] Ex Augustino eodem lib. xxii. ciuit. cap. xxii. quæ vnde ad uerbum sumpta sint, nescire se fateatur homines etiam in Cicerone, vt videtur, minime omnium peregrini. similem autem sententiam extare dicunt lib. v. finium vbi Cicero ex Platone dicit, Beatum illum esse, cui vel in senectute contigerit, vt sapientiam verasque opiniones assequi possit. Ego, si similitudinem argumenti pro argumento sumi fas est, ex Hortensio hæc desumpta esse existimarem.

Seps] De hoc ita Ausonius, sub finem operis de monosyllabis, Bucolico sepes dixit Maro, cur Cicero seps?

Plure uenit] Carisius lib. i. instit. Grammatic. plure, inquit, & omixtum antiqui dicebant Cicero plure uenit.

Romanum fuisse ciuem] Ex Columela lib. iii. cap. viii. Vide etiam de eo Plinium lib. vii. cap. xvi.

Qui fuit locus.] Ex Diomede lib. ii. vbi de Paronomasia.

Ructaretur.] Ex Festo, & Paullo lib. xvi. Ructare, inquit Paullus, non ructari dicendum est. Flaccus. Videtis alios ructare, & respuere pulcherrima superbia. Cicero tamen, inquit, ructaretur dixit. Festi liber hoc loco, vt & plerisque aliis, ambustus est. Eadem tamen passiua terminatione, Varro hoc verbo vsus est lib. iii. de re rustica cap. ii. Cuius aues hospitales etiamnum ructor, quas &c. At idem contra cap. xiv. eructent aquam, dixit. Caper etiam grammaticus uetus, sic scribit in libro de orthographia, & Latinitate verborum. Ructo, inquit, & nauseo dicendum: quamuis quidam veteres dixerunt ructor, & nauseor.

Tesqua.] Tesqua, inquit Festus, loca augurio designata. Cicero aspera ait esse & difficilia. vide etiam de hoc verbo Varronem lib. vi. de ling. Latina. sub initium. Videri autem potest id verbum ad lib. de auguriis pertinere, propter similitudinem argumenti, quo illa etiam pertinent, Aui incerta, & item Oscinis.

Ferem.] Ex Fortunatiani Rhetorica. vulgaria, inquit ille, verba, quibus vtitur vulgus, vt M. Tullius, & feracum, & ferem dicere non dubitauit. in meo Fortunatiano pro ferem, est fiecem. Itaque legendum fortassis, fecem. quo verbo cum in ea pro Flacco vtitur, tum alibi, atque adeò quoque in fragmento paullo superiori.

Mausolus] Ex Gellio lib. x. cap. xviii.

Tunc se fluctigero] De hoc Isidorus sic lib. xix. capit. i. Paro nauigium pyratarum aptum,& ex his ita uocatum. Cicero tunc se fluctigero, &c. & alibi, Parunculis ad littus ludit celeribus ego hæc siue ad Marium,siue ad libros de suis temporibus, uel de suo consulatu pertinere existimarim.

Atque adeo in plerisque.] Ex Lactantio lib.i.cap.v. Hoc Cicero,inquit,de natura deorum docet, dicens: Suscepit autem vita hominum consuetudoque communis, vt beneficijs eccellentes viros in cœlum fama ac uoluntate tolleret. hinc Hercules, hinc Castor,hinc Pollux,hinc Aesculapius, hinc Liber. Et alio loco.Atque alio in plerisque ciuitatibus &c. lego autem pro Atque alio, Atque adeo. Locus haud scio an ad lib. iii. de repub. pertineat,vbi sermo est de Romuli, & aliorum consecratione. Nisi forte ad librum de consolatione pertineat,quem etiam Lactantius alibi citans,ait, Alio loco.

Recteque Tullius.] Reliqui vt erat ab aliis repositum: quanquam sic quidem manifeste est Lactantij. Illa verò, QVI REMPVB. GVBERNENT, & quæ sequuntur haud facile negauerim esse Ciceronis: quanquam si rem ipsam attendas,dici sane potest omnia Lactantij esse. Tullium autem auctorem quod citat,id ex libro de officiis primo peti possé, vbi expositis duobus quasi vitæ generibus,philosophico, & ciuili,Neutrorum,inquit,omnino contemnenda est sententia, sed & facilior,& tutior,& minus alijs grauis aut molesta est vita otiosorũ. fructuosior autem hominum generi, & ad claritatem amplitudinemque aptior eorum,qui se ad rempub.& ad magnas res gerendas accommodauerunt.

Et enim si nemo.] Ni ita aperte Lactantius fateretur verba esse Ciceronis,existimarem ipsius esse Lactantij, cum allusione quadam ad id, quod est lib. iii. officiorum. Quid interest, inquit ibi Cicero,vtrum ex homine se conuertat quis in belluam an in hominis figura immanitatem gerat belluę?Illud enim alienius est quodam modo, quod eodem illo libro, paullò aut scribitur,Vt membra,inquit,quædam amputantur, si & ipsa sanguine,& tanquam spiritu carere cœperunt, & nocent reliquis partibus corporis, sic ista in figura hominis feritas, & immanitas belluæ a communi tanquam humanitate corporis segreganda est. Ceterum Lactantius meus hoc loco,pro,Qui non mori,legit,Quin emori.

Lex Dei.] Ex Lactantio lib. vi. cap. xxiii. in fine.

Doctissimos habuit auctores, nec quid certi sit.] Olim legebatur, DOCTISSIMOS HABVIT AMATORES, NE QVID CERTI SIT. Ego facile etiam sine libro, sic vt reposui, legendum esse statuebam. in qua mea coniectura, magis etiam ex libro meo Lactantij confirmor. is ita habet. Tullius, inquit, expositis horum omnium de immortalitate ac morte sententiis, nescire se, quid sit verum pronunciauit. harum, inquit, sententiarum, quæ vera sit deus aliquis uiderit. Et rursus alibi. Quoniam utraque, inquit, earum sententiarum doctissimos habuit auctores, nec quid certi sit diuinari potest. In quo prius testimonium ex Cicerone quod adfert, est in lib. I. Tusculan. quæst. Posterius alibi est, ut scribit Lactantius. Me si quæris? ego vbi aut sit, aut fuerit, nescio, Nam diuinare quidem haud libet. Ad consolationis autem librum putare pertinere, diuinare est.

Nihil est, quod si manibus.] Non deleo. neque enim audeo sed certe cum hæc scribit Lactantius ad illud quasi respicere videtur, quod est in ea pro Marcello ad hunc modum. nihil est opere, aut manu factum, quod aliquando non conficiat, & consumat vetustas. quod etiam totidem verbis recenset, idem iste Lactantius, ex quo hoc quoque sumptum est, lib. vi. cap. xi.

Et quanquam optatissimum.] Ex Ammiano Marcellino. lib. xv.

Illa tamen æqualitas.] Id est perpetuus nec interruptus eiusdē felicitatis tenor. Ita correxi, cum tamen passim antea QVALITAS, pro AEQVALITAS legeretur. Vidi enim profecto respicere debere sententiam ad particulam PERPETIM, vel vt in meo est exemplari, PERPETVO, quæ particula ibi, paullò ante fuit ingressa. hanc autem meam emēdationem cum misissem olim ad Sigonium, rescripsit uir ingenuus se approbare, & quoniam inter reliquas meas emendationes, hanc illam reponendi locus tum non esset, inter erratorum typographicorum emendationem collocauit. quod autem eius fragmenti sententiam attinet, videtur eadem relata esse in ipso orationis post reditum ad Quirites exordio, his uerbis. Etsi homini nihil est magis optandum quam prospera, æquabilis, perpetuaque fortuna, secundo uitæ, sine ulla offensione, cursu, tamen si mihi tranquilla omnia, & placata fuissent, incredibili quadam, & penè diuina lætitiæ voluptate caruissem. Et item in ea pro domo, Etsi optabilius est, inquit, cursum vitæ conficere sine dolore, &

sine iniuria,tamen ad immortalitatem gloriæ plus adfert,desideratum esse a suis ciuibus,quàm omnino nunquam violatum Qui mihi sane duo loci ita ad amussim exprimere uidentur, eius fragmenti sententiam,vt magnopere dubitem, an non eorum alter is sit propriè,ad quem Marcellinus ipse alludere uoluerit.Mirum est enim quam tota eius fragmenti dictio, & compositio a consuetudine mihi Ciceronis abhorrere videatur. Quanquam in ipso quoque Marcellino pro AEQVALITAS, legerem adhunc AEQVABILITAS, sicut in ea post reditum ad Quirites.

Cum parcere uel lædere.] Ex eodem Marcellino lib.xix.in fine. Imitandus sit Tullius,inquit,cnm parcere, vel lædere potuisset, vt ipse affirmat, ignoscendi quærens causas &c. hanc eandem sententiam ita extulit idem iste Tullius in ea pro Quinctio. Iegulare,inquit,ciuem ne iure quidem quisquam bonus vult. Mauult enim commemorare, se, cum posset perdere, pepercisse, quàm,cum parcere potuerit,perdidisse.

Infelices esse.] Ex eodem hoc isto Marcellino lia.xxvi.prope finem.Imperator enim,inquit, promptior ad nocendum criminantibus patens, & funereas delationes adsciscens, per suppliciorum diuersitates effrenatius exultauit,sententiæ illius Tullianæ ignarus,docentis,infelices esse eos, qui omnia sibi licere existimarunt.Pertinet autem fragmentum eodem propè,quo illud superius ex Augustino.Omiserum, inquit, cui peccare licebat.

Erythræo oppido.] Etiam ex Marcellino libro xxxi. Asiæ nomen,inquit,horrebat.vbi Erythræo oppido superpositum montem Mimanta,& Homerum scripsisse,& Tullium,doctis referentibus audiebat. De monte Mimante lege etiam Plinium lib. v. cap.xxix. & Strabonem lib.xiv.

Arcera.]De hoc fragmento sic Nonius.Arcera plaustrum est rusticum,tectum vndiq; quasi arca.hoc uocabulum,inquit,ibidẽ,& apud Varronem, & apud M. Tullium inuenitur. De Tulliano igitur lib.cum dubitarem,inter ea reposui,quæ sunt librorum incertorum.Nam de Varrone illud scio in lib. ipsius de lingua Lat. quarto inueniri.Vide de hoc ipso fragmento Gellium lib.xx.cap.I.

In libris de repub.] Ex Plinio in præfatione. Est benignum,vt arbitror,& plenum ingenui pudoris fateri per quos profeceris. non vt pleriq; ex iis,quos attigi, fecerunt.Scito enim conferentem

tem me auctores, deprehendisse a iuratissimis & proximis veteres transcriptos ad uerbum, neque nominatos: non illa Vergiliana virtute, vt certarent, non Ciceroniana simplicitate, qui in libris de repub. Platonis se comitem profitetur; in consolatione filiæ, Crantorem, inquit, sequor, item Panætium de officiis. Quę volumina eius ediscenda, non modo in manibus habenda quotidie, nosti. & quæ sequuntur. Etsi autem in libro de consolatione, ostenderimus hoc istud fragmentum triplici membro consistens, singillatim posse distribui: sic, vt una pars ad librum de repub. altera ad consolationem, tertia ad officia pertineat, tamen ut omnibus satisfieret, hic etiam integrum referre uoluimus.

Feminas omnes.] Eius sententię Ciceronem auctorem esse scribit Plinius lib. VII. cap. II. Eam autem sententiam ita refert Gellius lib. IX. capite IIII. Oculis quoque, inquit, exitialem fascinationem fieri, in eiusdem libris scriptum est, traditurq; esse homines in Illyriis, qui interimant uidēdo, quos diutius irati viderint: eosq; ipsos mares feminasq;, qui visu tam nocenti sunt, pupillas in singulis oculis binas habere.

In nuce] Et hoc esse Ciceronis, testatur Plinius idem, libro eodem VII. & XXI.

Fuisse qui peruideret] Etiam ex eodem Plinio libro & capite eodem VII. & XXI.

P. Ventidium Mulionem.] Hoc quoque auctori Ciceroni tribuit idem Plin. lib. VII. cap. XLIII. De hoc Ventidio est illud Planci in epistolis ad familiares Ciceronis lib. X. Sic illas, inquit, perculsas copias, & Ventidij Mulionis castra despicio.

Mustella catulos] Plinius lib. XXIX. ca. IIII. Mustellarum, inquit, duo genera, alterum siluestre &c. Hæc autem quæ in domibus oberrat, & catulos suos, vt auctor est Cicero, quotidie transfert mutatque sedem serpentes persequitur.

Formicas solipugas.] Plinius lib. eodem XXIX. cap. IIII. paullo inferius. Est & formicarum genus, inquit, venenatum non ferè in Italia Solipugas Cicero appellat. Vide quæ scribit Ant. Augustinus in Festum, dictione Solipunga. Alij legunt in Plinio soliuagas: quæ uox reperitur etiam apud Ciceronem lib. V. Tusc.

Animalia byturos.] Hoc Ciceronem tradere, scribit Plinius lib. XXX. cap. XV. in fine.

Cicero in admirandis.] Hęc esse Ciceronis testatur idem iste Plinius

nius lib. xxxi. cap. 12. Verbis autem illis Plinius, cum dicit, In admirandis posuit, aut illud significat, quod aliter dici posset, inter miracula reputauit: aut Paradoxa, vt quidam putat designat, in quibus tamen nullum eius fragmenti vestigium reperitur: aut librum alium denotat peculiarem, quem Admirandorum nomine inscripserit: quã opinionem illa etiam locutio proximi fragmenti confirmare quodammodo videtur, cum inquit Plinius, inseruisse Ciceronem Admirandis suis, de Narniensi agro imbribus sicciore. Aut vero denique, id quod ego magnopere uerẽdum esse puto, Plinij liber vtroque in loco corruptus est, qui pro Varrone Ciceronem legit. Varronis enim profecto librum de admirandis inscriptum fuisse, ex Nonio, & Carisio lib. 1. & aliis colligitur. quod etiam Hadrianus Iunius adnotauit lib. vi. cap. ix. Animaduersorum. In Noniis corruptis hic liber Nopran dis inscribitur.

Hoc miror enim quęrorq́; hominem ita.] Meus Quinctilianus. Quærorq́;, quenquam hominem ita.

Gladiatores.] Sic idem Cicero extrema pene Philippica iii. Quod si iam, inquit, fatum extremũ (quod dij omen auertant) reip. venit, quod gladiatores nobiles faciunt, vt honeste decumbant, faciamus nos principes orbis terrarum gentiumq́; omniũ vt cum dignitate potius cadamus quam cum ignominia seruiamus. Atque etiam reperio eandem sententiam, iisdem prope verbis, quibus a nobis ex Seneca proposita est, in Miloniana expressam esse a Cicerone, ut non ad alium quàm ad eum illius orationis locum respexisse Seneca videri posit. Etenim si in gladiatoriis pugnis, inquit, & infimi generis hominum conditione, atque fortuna, timidos, & supplices, &, vt uiuere liceat obsecrantes, etiã odisse solemus, fortes, & animosos, & se acriter ipsi morti offerentes seruare cupimus, &c. quanto magis hoc in fortissimis ciuibus facere debemus?

Non se id egiße.] Hoc fragmentum duobus quasi fragmentis constabat olim: quorum nos alterum erasimus. sensum enim magis quam verba Ciceronis referebat. de quo vide orationem Ciceronis. Alterum retinuimus.

Si mihi uitæ spatium.] Seneca in epistolis hæc auctori Ciceroni tribuit.

De accusatore lege quincta dicta] Dicta, exponit designata, idem iste Seruius, ex quo fragmentum sumptum est, in lib. iii. Georg.

illud.

illud.Et pecori dixere maritū.Nisi quòd pro eo, quod est apud Seruium,Cicero de repub. Sic de accusatore,lego.Cicero de re pub.sic.De accusatore &c.

Ad militiam] Ex eodem Seruio in illud.v. Aeneid. Custodem ad se comitemque impubis Iuli.Si modo hoc non est illud,quod ita scribit Cicero.v. Verrina id quod tametsi, inquit, difficile est, tamen haud scio an fieri possit,præsertim si,vt nunc fit custodes eum amicorum sectabuntur, quoniam pater tam negligens ac dissolutus est. De huiusmodi etiam custodibus esse illud quoque videtur Terent. Phorm. act. I. sc. II. Abeuntes hinc tum se uos me filiis relinquunt quasi magistrum.Et act.II.sc. I. O Geta monitor.Et ibidem.Oh bonæ custos salue, columen vero familiæ.cui commendaui filium hinc abiens meum.

Est autem causa difficilis.] Ex Seruio in illud,VII. Aeneid.In tantum spe tollet auos.Puto autem esse ex libris de repub. Nam Seruius ex dialogo hæc Ciceronis deprompta esse ait. Dialogorum autem nomine libros potissimum ipsius de repub. scriptores intelligunt,vt iam diximus.Quanquam vereor etiam ne tale quidpiam alicubi in libris,qui extant,Ciceronis, de adolescēte Octauiano scriptum reperiatur. Nam illud quidem quod in oratore eiusdem legitur,non mihi plane citari a Seruio illo loco videtur.Sunt,inquit, omnia sicut adolescentis non tam re & maturitate,quàm spe & expectatione laudati.

Romam conditam.] Ex Solino cap. II.Cincio,ait,Romam duodecima olympiade placet conditam, Pictori Octaua, Nepote, & Lutatio opiniones Eratosthenis, & Apollodori comprobantibus,olympiadis septimæ anno secundo.Pomponio Attico, & M.Tullio,olympiadis sextæ anno tertio.

FINIS.

INDEX AVCTORVM, QVORVM LIB. IN HIS ADNOTATIONIBVS, AVT EMENDANTVR aliquibus in locis, aut explicantur, aut alio modo citantur.

Prior numerus Tomum, posterior, cum litteris a b paginam, eiusque hanc, uel illam faciem, ★ nota locum illum insignem esse significat. Ceterum in paginis quibusdam semel indicatis, plures eiusdem scriptoris loci reperiri possunt.



B

C

μ

De

RERVM, ET VERBORVM IN ADNOTATIONIBVS, MEMORABILIVM

Index.

Ani-

B

Bootis

Cic.

r 2 Gloria

Lucretius

Ne

Pseudomenes.

T

V

Va-

FINIS.

ERRATA SI ITA CORREXERIS.

In epiſtola dedicatoria.

✱ 2.b uerſu 1. nũquam ita conformari homines, ✱ ✱ .1.b. uerſu ultimo differre ulterius ✱. ✱ 2. a. uerſu 16. propoſitum ✱ ✱. 3.a. uerſu antepenultimo, minus poſſe uideris quam debere.

In tomo I. fragm.

Fol. 2.b. uerſu 14. & Cnæum fol. 6. a uerſu 17. præfige pro, Aſcon. ASCON *fol. 9.b. uerſu 15. damnari. fol. 11.b. uerſu 7. ex uino fol. 12. a. uerſu. 1. præfige in margine.* QVINCT. *fol. 13.b. 22. meque inſpectante.*

In tomo II. fragm.

Fol. 10.b. uerſu 18. in margine Quinct. ibidem. uerſu 22. in margine QVINCT. *fol. 12.a. uerſu 1. in margine. Inter plus.*

In tomo III. fragm.

Fol. 3.a. uerſu 6. atque continuis. fol. 3.b. uerſu 5. hac promo. uerſu 14. in margine. COLVM. *lib. 11. ca. 1. uerſu 16. in margine Columella. fol. 4 a. uerſu 18. atque deſcripta. fol. 7.a. uerſu 2. in margine* NONIVS. *fol. 7.b. uerſu 6. reſpondeatis fol. 8. a. uerſu 24. pro aurichalco. fol. 11.a. uerſu 10. quod de iuſtitiæ. fol. 12. a. uerſu 2. a. fiſtula. fol. 13. b. uerſu 9. eundem. fol. 14.b. uerſu 10. reis capitis. uerſu 14. ſecundus. fol. 15 b. uerſu penultimo. Ferunt hæc. fol. 18. a. uerſu. 9. connexa. fol. 18. b. uerſu 15. modorum, ſeptem. fol. 22 a. uerſu ultimo, quod ſit poſt XII. fol. 22. b. uerſu 7. in margine Auguſtinus. uerſu 9. in margine* AVGVST. *uerſu 20 nec dubito, quin fol. 23. a. uerſu 16. in margine Aug. l. 4. Trinit. fol. 24. a. uerſu 1. aut eius pa ter quaſi membra. fol. 25. a. uerſu ultimo, ita moueri. fol. 29. a. uerſu penultimo. quid Antipater. fol. 30. b. uerſu 10. in margine. Auguſt. fol 32. a. urſu 14. in illis alnorum.*

In tomo IIII. fragm.

Fol. 3. b. uerſu 22. uelut eſſe catena fol. 4.b. uerſu 1. & 2. ſummo natus Ioue Perſeus. Quos humeris retinet defixo corpore Perſeus. Quem ſumma. fol. 5. a. uerſu 28. corpore flammam. fol. 6. a. uerſu antepen. rigas. fol. 15. a. inter uerſum 12. & uerſum 13. Ex Cariſio, plure uenit.

In præfatione adnotationum.

Fol. 2. a. uerſu penultimo, fragilem in primis. fol. 3.b. uerſu 19. mixtim propoſuimus. fol. 5 a. uerſu 2. fortunas a cenſa. fol. 7. a. uerſu 9. laborioſior. uerſu 18. continuis. fol. 7.b. uerſu 7. conſi. tendum. fol. 8.b. uerſu 7. uocatus eſt, quod uerſu 13. in margine NONIVS *Modicum. fol. 11.b. uerſu 15. uulgo diſputanda.*

In adnotationibus in tomum I.

Fol. 1.b. uerſu 6. illa quoque. uerſu 26. Quo. uerſu 33. Atticum, ubi. uerſu 36. Galliam pactus. fol. 2.a. uerſu 19. imponere debuit. De quo etiam uerſu 36. qui in nonnullis. fol. 3.b. uerſu 32. petentem quis occiderit, non uidebitur iniuria occidiſſe. & ſi metu mortis furem quis occiderit, non dubitatur fol. 4. a. uerſu 3. id ad me. fol. 4. b. uerſu 22. uel ius conſtitutum eſſe. fol. 5. a. uerſu 18. Priſc. lib. III. *uerſu 19. fragmenti. uerſu 34. ſæpe. fol. 8. uerſu 32. Cominiiſque Cornelij accuſatoribus. fol. 9. a. inter uerſum 20. & 21. Hoc ego non ſulum.*] Nonius dict. *Confiteri et profiteri. fol. 9.b. uerſu 17. fruſtra. fol. 10.a. uerſu 8. ſit uериſimile uerſu 2. uerbum,* ITERVM. *fol. 11. a. uerſu 1.* TVLISSE. *uerſu 28. Petiuit. fol. 11.b. uerſu 8. in uerbo,* PERNICIO. *uerſu 24. legum. uerſu 35. nec, ſicut. fol. 13. b. uerſu 11. quam hic. uerſu 26. repleatur ſic.* RES *uerſu. 30. ſuperius dixerit. uerſu 35. ipſa autem. fol. 14 a. uerſu 7. ſolum. fol. 14. b. uerſu 1. iudicarent. uerſu 2. Cum primum, autem. uerſu 20. et 21. diriperetur, et corpus unco traheretur. Plutarchus. fol. 15. a. uerſu 10. cum* Cornelius. *uerſu 12. Sed ſi familiariter.*

uersu 14. insideat; uersu 18. expeditius. fol.15 b. uersu 20. et leg. XXXVIII. uersu 31. intercesserat. uersu 35. nitis optimatibus: fol. 16. a. uersu 12. F os. Q. uersu 34 Ego istum. fol. 17.a. uersu 33. orationem pro Scauro. In huius. fol.20.a. uersu 1. ipsum uersu 31. De oratione uero ipsa. fol.20.b. uersu 30. otiosius. fol.22.b. uersu 32. dissimulandum. fol.23.b. uersu post 6. inserendum scholium. Qui leuare etc. quod uide fol. 26.b. post uersum 6. fol.25.a. uersu 37. probrorum plenissima epistola. fol.25.b. uersu 1. simulare. uersu 2. amicior. fol.26.b. uersu 7.8.9.10.11. 12. tollendum hinc et transferendum supra in folij 23.b. inter uersum 6. et 7. fol.27.a uersu 7. euanuisset. Seruilius. uersu 25. erant. Caepionis. uersu 32. ad ipsam usque. fol.27. uersu 7. Vellcius: qui recte. fol.28.a. uersu 2. questus. uersu 5. significat, a priuatorum. uersu 18. interea. fol. 29. a. uersu 6.7. 8. 9. non dissimulauit in Satyra. Qui se Eunuchum ipse facit, cupiens euadere damno Testiculi. fol.30.b. uersu 5. quam nunc adilitatem.

In adnotationibus in tomum II.

Fol.2.b. uersu. 16. in quadam ad Nepotem. fol. 3.a. uersu 2. miserior. uersu 15. citatur. fol.5. a. uersu 4. INTERERAT. uersu 12. respiciens, tum. uersu penultimo. epistolam ad Hirtium. fol.6.b. uersu 18. ita scribit. uersu 27. uisae sunt. uersu 29. in epist. ad. fol.7.b. uersu 1. Meus crimina. fol.8.a. uersu 23. Haec aut animo] fol.8.b. uersu 15. ueterum grammaticorum.

In adnotationibus in tomum III.

Fol.1.b. uersu 4 Chirographia. fol.2.b. uersu 3. respondeant. fol.3 a. uersu 19. mercari. fol.4.a. uersu 28. differentium nude proponuntur. fol.5.a. uersu 4. am. iam fuisse. fol.5.b. uersu 29. LEDVC QRO RA. fol.7.a. uersu 3. matre. uersu 30. quos illi. fol.7.b. uersu 8. usque cum. uersu 12. ZEBRIDOVIO uersu 17. quàm eum. uersu 37. IN SEVERITATEM fol.8. a. uersu 12. Enchiridij. fol. 8.b. uersu 26. AIVNT, CREAVERIT: hoc sensu. fol. 9.b. uersu 25. eum sermonem ingressus. fol.10.a. uersu 4. causa: unde. uersu 22. lib.x. fol.10.b. uersu 27. Olim. SIE EX. fol.11.a. uersu 15. ut minimum. fol.11.b. uersu antepenultimo. putabant. fol. 12.a. uersu 2. constat. uersu 10. appellata est. uide. uersu 27. Qui me sane Plinij locus uersu 29. an hic quoque. fol.12.b. uersu 9. adiectum a M. uersu 17. tum multatos. fol. 13.a. uersu 7. ut Carneadi. fol.14.a. uersu 4. indicat. uersu 14. quae iam in libro. uersu 17. faciundum. uersu 30. copiosius non. fol.14.b. uersu 7. ET CONTRA. uersu 8. IMPROBISSIMVS. uersu 29. repudio: praesertim. uersu 1. seruit, numerum. fol.15.a. uersu 34 rei ipsi. fol.16.b. uersu 26. modum. uersu 7. pi. etc. ut erat uersu ultimo, existimasset. fol.17. uersu 5. MINVS HIS. uersu 12. mirari licet. De ceteris. fol. 17.b. uersu 1. DCLXII. uersu 34. augustiora. fol.18. a. uersu 22. surripuisse. uersu 34. uel legerem. fol.18.b. uersu 19. antiquum obtinet. fol. 19.a. uersu 7. inuidorum et inimicorum meminit. uersu 34. usus tia non est. fol.19.b. uersu 2. COERCEAT, uel QVOD. uersu 4. persecutus est 11. Tusc. uersu 7. quasi duo simus. uersu 11. temeritatem. Et pergit. fol.20.a. uersu 3. importans. Atque ita quidem fere Grammatia. Cicero autem fic. III. Verr. O portentum in ultimas terras exportandum. Totum autem. uersu 24. RICLITENTVR scripsi. SED VT IPSI SEV ANI. fol. 22.a. uersu 1. acris. uersu 8. apertiore. uersu penultimo. Videbimur. fol.22 b. uersu 27. uarie. fol.23. a. uersu 32. aliud quiescendi. fol.23.b. uersu 24. Paenasque. uersu quarto a fine, uerbi sit. fol.25. 6. uersu b. lib. IX. non abuuis. uersu 17. passis. Locus sic legitur. A paruis enim Quincte didicimus, si in ius uocat, atque eas, eiusmodi leges alias nominare. Ego autem censeo sic. A paruis enim Quincte didicimus, SI IN. fol. 26.a. uersu 2. restituit. uersu antepenultimo, fuit REIPSA, legitur. fol. 26.b. uersu 6. si non est ingratus. uersu 10. pro, IPSI. uersu 22. inserebant. uersu 25. rationem. uersu ultimo, ne esse. fol.27 a. uersu 9. lib. VII. uersu 14. Tí. Graec. uersu 23. obiens uersu 25. aperto et mea. uersu 31. Quod si ista. fol.27.b. uersu 15. LAELI, fol.28.b.

uersu

uersu 2 . in quatuor. fol.29.a. uersu antepenultimo. ante illam. fol.30.a. uersu 30. ubi extat. fol.30.b. uersu 8. suos doctrina. uersu ultimo, ea se. fol.31.a. uersu 4. ignorantur. uersu 13. ipse cum commentaria. uersu 24. Ex eorum. uersu 26. auguralis disciplina; uersu ultimo et b. uersu 1. quæ pertractatur : qua ipsa inscriptione. fol. eodem 31.b. uersu 12. redolebant. uersu 31. Aut bellicæ res. numero suauiore. fol 32. a. uersu 23. DCCCIIII. fol.32.b. uersu 9. et 10. reuolutione eius anni. uersu 11. quot in. fol.33.a uersu 18 de philosophiæ. fol.34.a. uersu quarto a fine. lega it. fol.34.b. uersu 2. charum. uersu 3. charum. fol.35.a. uersu 19. possunt donne. uersu penultimo, debeat. POSSE VEL IN TEGVLIS, siue. POSSET VT IN TEGVLIS. fol.35.b. uersu 31. uide etiam. fol.36.a. uersu 33. quidem huc: uersu 34. Augustinus libro de uita. fo.38.a. uersu 13. quid, ita ut, uersu 15. attigeram. fol.38.b. uersu penultimo. habes en historiam. fol. 39.a. uersu 8. uixit autem. fo.40.a. uersu 7. Quod me ab hoc mærore. uersu penultimo, se, ut in libris. fol.41.a. uersu 18. FLABILE. fo.41.b. uersu 15. Præterea autem. uersu 17. locum. uersu 18. lib.1. Tusc. quæstionum. uersu ultimo plenus est. fol.42.a. uersu a fine quinto, sapientes. fol.42.b uersu 18. Augustini uerba infra. uersu 23. in ea positione. uersu 33. Sed ut aliqua. fol.43.a. uersu a fine tertio. bua mua ai amii. fol.45.a. uersu 10. Aristotele. Et nominatim. uer. 30. abeat. fol.45.b. uer. 2. DEMISIMVS. uer. 37. FACINOROSIS. uersu 32. DEERRASSENT, pro, DEERRAVISSENT. fol.46.b. uersu 13. Non solemus, inquit, fol 47.a. uersu 2 religionum.

In adnotationibus in tomum IIII.

Fol.1.b. uersu 21. tetrametro. uersu 20. uersibus: quod. fol.2.b. uersu 31. perelegantissime. fol.3.b. uersu 12. sed. A Ioue. uersu 29. E quibus. uersu 33. intermiscere oportuit. Etsi autem singula ea. fol.6.b. uersu 4 situs descriptio. fol.7.a. uerso. 15. nullum est fictum. fol 9.b. uersu 26. hac ratione. fol.10.a. uersu 9. ornamenta. uersu 14. fractis. uersu ultimo. Capra Aratus. fo.10.b. post uersum 8. addantur hæc Græca. πὰρ ποσὶ δ' ἡνιόχου κεραὸν πεπτηότα ταῦρον Μαίεσθαι: fol.11.b. uersu 3 (quod hic statim sequitur). alta Chelæ. uersu 26. aut uero. fol.12.b. uersu 11. ueterem lectionem. fol.13 a. uersu 16. natus Ioue. uersu 22. des humeris. fol.13.b. uersu 3. ut sub Perseo. uersu 22. mandens mortales semina terris. fol.15.a. uersu 3. nostram conformauimus. fol.16 b. uersu 18. quodammodo præ se ferre. fol.18.a. uersu 20. Curriculum nunquam. fol.18.b. uersu 21. astra perperam. fol.19 a. uersu 18. Græce est. fol.20.b. uersu 22. superius. fol.21.b. uersu 29. Hæ, malus : ut ad. fol.22.b. uersu 24. quam ipsam illam. fol.23.b. uersu 17. Præsidio. fol.24 b. uersu 8. Inde Sagittarii. uersu penultimo. possiet orbes. fol.25.a uersu 13. Quæ si hunc conuexum. fol 29.b. uersu 20. Arati, ut uidebimus. fol.34.a. uersu penultimo. Cossinio. fol.36.b. uersu 17. existimet. fol.37.a. uersu ultimo, meum suspicabar. fol.40.a. uersu 30. lib. VIII. fol.40.b. uersu 2. uniuersa in perfusione. uersu 3. sensuum. uersu 6. uideret. fol.44 a. uersu 11. senes.

Cętera lectorem exercitatum non remorabuntur.

Registrum Adnotationum.

aa bb cc dd ee. A B C D E F G H. A B C.
a b c d e f g h i k l m α β γ δ ε ζ η θ ι κ λ μ ν ξ.

Omnes sunt quaterniones præter ee. & B. qui sunt duerniones.

M. TVLLII CICERONIS

FRAGMENTORVM

TOMVS PRIMVS.

Qui continet orationes.

EX

ANDR. PATRICII

STRICECONIS

secunda editione.

ELENCHVS ORATIONVM CICERONIS, QVAE HOC TOMO CONTINENTVR.

M. TVLLII CICERONIS PRO M. TVLLIO. ORAT. I.

Deest principium. Prisc.l.6.

*

HOC iudicium sic expectatur, ut non unæ rei statui, sed omnibus constitui putetur. Quinct. l. 4. c. 2.

*

Fundum habet in agro Tigurino M. Tullius paternũ. Victorin.1.de inuent.

*

Dico, uim factã a P. Fabii familia: aduersarii nõ negãt. damnum datum esse M. Tullio concedis. uici unam rem. ui, hominibus armatis: non negas. uici alteram. dolo malo: factum negas. de hoc iudiciũ est.

*

Damnum passum esse M. Tullium, cõuenit mihi cum aduersario. hominibus armatis rem esse gestã, non inficiantur. a familia P. Fabii commissam, negare non audent. iam dolo malo factum ambigitur. Marcianus Capella l.5.

*

Quis hoc statuit unquam, aut cui concedi, sine summo omnium periculo, potest, ut eum iure potuerit occidere, a quo metuisse se dicat, ne ipse posterius occideretur. Quinct. li. 5. ca. de refutatione.

*

Si quis furem occiderit, iniuria occiderit, quamobrem? quia ius constitutum nullum est. quid si se telo defenderit? haud iniuria, quid ita? quia constitutum est. Rufinianus in apophasi.

*

Cetera desunt.

M. Tullij Ciceronis
pro L. Vareno.
Orat. II.

Deest principium.

*

Seuerian. AMICI deficiunt, cognati deserunt.

*

In inimicissima ciuitate urgent, instant, insequuntur studio, multitudine, pecunia, periurio pugnant.

*

Prisc. l. 7. C. Ancharius Rufus fuit e municipio Fulginate.

*

Prisc. l. 7. * in præfectura Fulginate.

*

Quinct. l. 5 c. 13. Cum iter per agros, & loca sola faceret, cum Populeno in familiã Anchariañam incidisse dixerunt. deinde Populenum occisum esse, illico Varenum uinctum adseruatũ, dũ hic ostenderet, quid de eo fieri uellet.

*

Quinct. l. 7. c. 1. Nam C. Varenum occidendo, Cnæum uulnerando, & Salarium item occidendo cadit.

*

Quinct. l. 4 c. 1. Tum C. Varenus, is, qui a familia Anchariana occisus est. Hoc quæso, iudices, diligenter attendite.

*

Prisc. l. 3. * L. ille Septimius diceret. etenim est ad L. Crassi eloquentiam grauis, & uehemens, & uolubilis. E-

Quinct. l. 8. c. 3. rucius hic noster Antoniaster est.

*

Ea

Ea cædes si potissimum crimini datur, detur ei, cuia interfuit, non ei, cuia nihil interfuit. Prisc.l.12.

*

Optio uobis datur, utrum uelitis, casu illo itinere Varenum esse usum, an huius persuasu, & inductu. Quin.l.5. c.10.

*

Deum fidem. * Prisc. l.7.

Desunt reliqua.

M. Tullij Ciceronis

Cum quæstor Lilybæo decederet.
Orat. III.

Prima, & extrema desunt.

*

QVOD non detrectare militiã, sed defendere prouinciam iudicata est. Fronto.

*

M. Tullij Ciceronis

pro P. Oppio.
Orat. IIII.

Deest principium.

*

VTRVM cum Cottam appetisset, aut cum ipse sese conaretur occidere, telum ei e manibus ereptũ est? Quinct.l.5. ca.10.

*

Quos educere inuitos in prouinciam non potuit, eos inuitos retinere qui potuit? Quinct.ibid.

*

Aut

Quinct.l.11. c.1. At enim uerisimile non est, tantum scelus M. Cottam esse commentum. quid? hoc uerisimile est, tantum scelus Oppium esse conatum?

*

Fronto. * questusq; mecum est.

*

Marcel. li.30. Etenim multũ posse ad salutem alterius, honori multis: parum potuisse ad exitium, probro nemini fuit.

*

Qvinct. l.9.c.2. O amorem mirum: o beneuolentiam singularem.

*

Cetera desiderantur.

M. Tullij Ciceronis

Pro C. Manilio.

orat. V.

*

Novivs. Confiteor. HOC ego non solum confiteor, uerumetiã profiteor,

*

Nimirum desunt cetera.

M. Tullij Ciceronis

Pro M. Fundanio.

orat. VI.

Deest principium.

Prisc.l.7. *

NON modo hoc a Villio Annale, sed uix mehercule a Q. Mutone factum probari potest.

*

Esset

Esset ne id, quod Meno nunciasset. Prisc. 16.

*

Arcades se proselenos esse asserunt. SERVIVS in 2. Georg.

*

* Commissura * SERVIVS in 9. Aeneid.

*

* puncta * ACRO in poet.

*

Descripsisti'ne eius necessarium, nostrum competitorem? istum ipsum, cuius nunc studio, & gratia tota accusatio ista munita est. Boet. de definit.

*

Plura desunt.

M. Tullij Ciceronis

Pro C. Cornelio I. orat. VII.

*

VT ab Ioue optimo maximo, ceterisq; diis deabusq; omnibus opem, & auxilium petamus. Prisc. l. 6.

*

* *uersu a primo circiter* CLXI.

Postulatur apud me prætorem primum de pecuniis repetundis. prospectat uidelicet Cominius, quid agatur. uidelicet homines fæneos, in medium, ad tentandum periculum, proiectos. Asc.

*

Quid Metellus summa nobilitate, ac uirtute, cum bis iurasset, semel priuatim, iterum priuatum parte publice legis deiectus est ratione, an ui, an ueri suspicionem Asc.

tum retulisse. Possum & eiusdem Cottæ legem de iudiciis priuatis, anno postquã lata sit, a fratre eius § abrogatam § legem Liciniam & Muciam de ciuibus regundis uideo constare inter omnes, quam duo consules omnium, quos uidimus, sapientissimi tulissent, non modo inutilem, sed perniciosam reip. fuisse.

*

Quattuor omnino genera sunt, iudices, in quibus per senatum, more maiorum, statuatur aliquid de legibus. unum est eiusmodi, placere legem abrogari, ut Q. Cæcilio, M. Iunio coss. quæ leges rem militarem impedirent, ut abrogarentur. alterũ, quæ lex lata esse dicatur, ea non uideri populum teneri, ut L. Marcio, Sex. Iulio coss. de legibus Liuiis. tertium est de legum derogationibus, quo de genere persæpe S. C. fiunt, ut nuper de ipsa lege Calpurnia, quæ derogaretur. Asc.

*

Nihil senatui detraxisse Cornelium. Fronto.

*

P. Africanus ille superior, ut dicitur, non solum a sapientissimis hominibus, qui tum erant, uerumetiam a se ipso sæpe accusatus est, quòd cum consul esset cum Ti. Longo, passus esset, tum primum, a populari consessu, senatoria subsellia separari. Asc.

* circa medium.

Est utiq; ius uetandi, cum ea feratur, quandiu ferundi transferuntur, id est lex * dum priuati dicunt, dum * dum sitella defertur, dum æquantur sortes, dum sortitio fit, & si qua sunt huius generis alia. Asc.

B Ex

*

Prisc.l.2. Ex promulgatione trinundinum dies ad ferendum, poteſtasque ueniſſet.

*

QVINCT. 15 c.3. Codicem attigit.

*

* *paullo poſt*.

Asc. Vnum tamen, quod hoc ipſo tribuno pl. factum eſt, prætermittendum non uidetur. neque enim maius eſt, legere codicem, cum intercedatur, quàm ſitellam ipſam cum ipſo interceſſore deferre, nec grauius incipere ferre, quàm perferre, nec uehementius oſtendere ſe laturum, inuito collega, quàm ipſi collegæ magiſtratum abrogare, nec criminoſius tribus ad legem accipiendam, quàm ad collegam reddendum priuatum introuocare. quæ uir fortis, huius collega, A. Gabinius in re optima fecit omnia, neque, cum ſalutem populo R. atque omnibus gentibus finem diuturnæ captiuitatis, turpitudinis, & ſeruitutis afferret, paſſus eſt, plus unius collegæ ſui, quàm uniuerſæ ciuitatis uocem ualere, & uoluntatem.

*

Asc. At enim de corrigenda lege retulerunt.

*

Asc. Idem, niſi hæc ipſa lex, quam C. Cornelius tulit, obſtitiſſet, decreuiſſem id, quod palam iam iſti defenſores iudiciorum pugnauerunt, ſenatui non placere, id iudicium de Syllæ bonis fieri. quam ego cauſam longe aliter prætor in concione defendi, cum id dicerem, quod iidem iudices poſtea ſtatuerunt, iudicium

iudicium æquiore tempore fieri oportere. antea uero quàm multarum rerum iudicia sublata sint, & quia scitis, prætereo, & ne quem in iudicium oratio mea reuocare uideatur.

* *paullo post.*

Non Cn. Dolabella C. Volcatium, honestissimum uirum, communi & quotidiano iure priuasset, non denique homo illorum & uita, & prudentia longe dissimilis, sed tamen nimis in gratificando iure liber L. Sisenna, bonorum Cn. Cornelii possessionem ex edicto suo P. Scipioni adolescenti summa nobilitate, eximia uirtute prædito, dedisset. Quare, cum ambitum populus Rom. uideret, &, cum a tribunis pl. doceretur, nisi pœna accessisset in diuisores, extingui nullo modo posse, legem hanc Cornelii flagitabat, illam, quæ ex S. C. ferebatur, repudiabat. idq; uir is doctissimus duorum consulum designatorum calamitate. Asc. * Asc.

*

Repugnat enim, ut diuisores, quos honoris sui ministros esse uoluerat, lege ambitus uellet affligere. MARC. CAPEL.

* *paullo post.*

Vt spectaculum illud duorum designatorum coss. calamitate, re, & tempore salubre, ac necessarium, genere, & exemplo miserum, ac funestum uideremus. Asc.

*

Quid ego nunc argumentis tibi respondeam, posse fieri, ut alius aliquis Cornelius sit, qui habeat Philerotem. res {nota est} uulgare nomen esse Philerotis, Cornelios uero ita multos, ut iam etiam collegium constitutum sit. Asc.

Qui non modo cum Sylla, uerum etiam, illo mortuo, semper hoc per se summis opibus retinendum putauerunt, inimicissimi C. Cottæ fuerunt, quòd is consul paullum tribunis pl. non potestatis, sed dignitatis addidit. Asc.

*

Quandiu quidem hoc animo erga uos illa plebs erit, quo se ostendit esse, cum legem Aureliam, cum Rosciam non modo accepit, sed etiam efflagitauit. Asc.

*

Memoria teneo, cum primum senatores cum equitibus Romanis lege Plotia iudicarēt, hominem diis, ac nobilitati perinuisum Cn. Pompeium, causam, lege Varia, de maiestate dixisse. Asc.

*

Quæ intermissa complureis annos. Prisc. l. 7.

*

Num alicui gratificabatur, aut homini, aut ordini? Prisc. l. 8.

*

Cœptum igitur per eos, qui agi uolebant, desitum est per hunc, qui decessit. Prisc. l. 10.

*

* circuitis rostris eiicerentur lapidibus homines. Prisc. l. 8.

*

* refertum tribuniciis legibus, exhaustum a quibus sit, ipsi sciunt. Aqu.

*

* qui eloquentia ceteris antecellit. Prisc. li. 10.

*

Demi medius fidius de his tormentis aliquantum malim. Fronto.

Ad

*

Fronto. Ad miserrimum, crudelissimumque dominatum dedi patiamini.

*

Cur nunc redeant, si tunc gratiæ concesserint.

Fronto.

*

Quid, quod ne cum iis quidem expertus es, quos duces operarum fuisse dixisti?

Fronto.

*

Eiusmodi mihi duos laqueos in causa esse propositos, ut si me altero expedissem, tenerer altero.

Fronto.

*

Aperuit fores scalarum.

Acro. I. Serm.

*

Legite, ut legebatis. hinc intelligetis nulla tenuissima suspicione describi, aut significari Cornelium.

BOETH. definit.

*

Cetera desunt.

M. Tullij Ciceronis

Pro C. Cornelio II.

Orat. VIII.

Deest initium.

*

Aqu. PVGNEM aperte contra nobilissimorum hominum uoluntates? studia, consilia, cogitationesque eorum aperiam?

*

Cicer. orat. O callidos homines, o rem excogitatam, o ingenia metuenda, testes dare uolumus. quem quæso nostrum fefel-

fefellit, ita uos esse facturos?

*

Num in eo, qui sint hi testes, hæsitatis? ego uobis edam duos. reliqui sunt de consularibus, inimici tribuniciæ potestatis. pauci præterea assentatores eorum, atque asseclæ subsequuntur. Asc.

*

Sed si familiariter ex Q. Catulo, sapientissimo uiro, atque humanissimo uelim quærere, utrius tandem tibi tribunatus minus probari potest, C. Cornelii, an, non dicam P. Sulpicii, non L. Saturnini, non C. Gracchi, non Tiberii neminem, quem isti seditiosum existimant, nominabo, sed auunculi tui Q. Catule, clarissimi, patriæq; amantissimi uiri, quid mihi tandem responsurum putatis? Asc.

* *post xx. uersus a præcedenti.*

Quid? auunculus tuus, clarissimus uir, clarissimo patre, auo, maioribus, credo, silentio, fauente nobilitate, nullo intercessore comparato, populo R. dedit, & potentissimorũ hominum collegiis eripuit, cooptandorum sacerdotum potestatem? Quid? idem Domitius M. Silanum, consularem hominem, quemadmodum tribunus pl. uexauit? Asc.

*

Hæc est controuersia eiusmodi, ut mihi trib. pl. Cn. Domitius, Catulo M. Terpolius contemptissimum nomen eiectum esse ex iis, qui tribuni pl. fuerunt. Asc.

*

Nam neque me diuitiæ mouent, quibus omnes Africanos, & Lælios multi uenalicii mercatoresq; superarunt, neque uestis, aut cælatum aurum & argentum, Cic. orat. Quinct. l. 9. c. 4.

tum, quo noſtros ueteres Marcellos Maximosque multi eunuchi e Syria Aegyptoq; uicerunt. neque uero mouent me ornamenta iſta uillarum, quibus L. Paullum, & L. Mummium, qui rebus his urbem, Italiamq; omnem referſerunt, ab aliquo uideo perfacile Deliaco, aut Syro potuiſſe ſuperari.

Priſc. l. 10.

*

Priſc. l. 8. Quis tam abundans copiis?

*

Fronto. Dā enim mihi poteſtatem eos, qui tum affuerūt Cornelio, nominandi.

*

Fronto. Facite, ut facitis, qui ad cauſam adeſtis.

*

Fronto. Quid enim mihi certamen eſt cum accuſatore, aut contentio?

*

Fronto. Qui commodis populi R. lingua duntaxat ac uoluntate conſuluit.

*

Fronto. Expelleret a diſpenſantibus.

*

Fronto. Sed ad urbem dierum tres fuerunt complurium.

*

Fronto. Quam diligentes libertatis uos oporteat eſſe.

*

Fronto. Si uos huius fortunas paucorum odio adiudicaueritis.

*

Extrema deſunt.

M. Tullii

M. Tullij Ciceronis contra C. Antonium & L. Catilinam competitores, in toga candida.

Orat. IX.

Deeſt principium.

*

DICO P.C. ſuperiore nocte cuiuſdam hominis nobilis, & ualde in hoc largitionis quæſtu noti, & cogniti, domum Catilinam, & Antonium, cum ſequeſtribus ſuis, conueniſſe. Omnia ex Aſconio.

*

Quem enim, aut amicum habere poteſt is, qui tot ciues trucidauit, aut clientem, qui in ſua ciuitate cum peregrino negauit ſe iudicio æquo certare poſſe?

*

{Nec} ſe iam tum reſpexit, cum grauiſſimis ueſtris decretis abſens notatus eſt.

*

In iudiciis quanta uis eſſet, didicit, cum eſt abſolutus: ſi aut illud iudicium, aut illa abſolutio nominanda eſt. *

Quem, cum in Syllanis partibus fuiſſet, crudeliter feciſſe conſtat, quòd Q. Cæcilium, M. Voluminum, L. Tantaſium occiderit. Aſcon. ibid.

*

Populum uero, cum inſpectante populo collum ſecuit hominis maxime popularis, quanti faceret, oſtendit. *

Me; qua amentia inductus est, ut contemneret, constituere non possum. utrum æquo animo laturum putauit? an in suo familiarissimo non uiderat, me ne aliorum quidem iniurias mediocriter posse ferre?

*

Alter pecore omni uendito, & saltibus prope addictis, pastores retinet, ex quibus ait, se, cum uelit, subito fugitiuorum bellum excitaturum. alter induxit eũ, quem potuit, ut repente gladiatores populo non debitos polliceretur, quos ipse consularis candidatus perspexit, & legit, & emit. præsente populo Romano factum est.

*

Quamobrem augere etiam mercedes si uultis, Q. Muciũ peruerti legem impedire, ut cœpit senten. cos. sed ego ea lege contentus sum, qua duos consules designatos uno tempore damnari uidimus.

*

Te tamen, Q. Muci, tam male de rep. existimare, moleste fero, qui hesterno die me esse dignum consulatu negabas. quid populus Romanus minus diligenter scit sibi constituere defensorem, quàm tu tibi? qui, cum te furti L. Calenus ageret, me potissimum fortunarum tuarum patronum esse uoluisti. & cuius tu consilium in tua turpissima causa delegisti, hunc honestissimarum rerum defensorem populus R. auctore te repudiare potest? nisi forte hoc dicturus es, quo tempore a L. Caleno furti delatus sis, eo tempore in me tibi parum auxilii esse uidisse?

*

Atque

*

Atque, ut istum omittam, in exercitu Syllano prædonem, in introitu gladiatorem, in uictoria quadrigarium.

*

Te uero Catilina cōsulatum sperare, aut cogitare non prodigium, atque portentum est? a quibus enim petis? a principibus ciuitatis? qui tibi, cum L. Volcatius consul in consilio fuisset, ne petendi quidem potestatem esse uoluerunt? a senatoribus? qui te auctoritate sua, spoliatum ornamentis omnibus, uinctum pene Africanis oratoribus tradiderunt? ab equestri ordine? quem trucidasti. à plebe? cui spectaculum eiusmodi tua crudelitas præbuit, ut nemo sine luctu aspicere, sine gemitu recordari posset.

*

Quod caput, etiam tum plenum animæ, & spiritus, ad Syllam, usque ab Ianiculo ad ædem Apollinis, manibus ipse suis detulit. ASCON. ibid.

*

Quid? tu potes in defensione tua dicere, quod illi ne dixerunt? quid tibi dicere non licebit. *

*

Denique illi negare potuerunt, & negauerunt, tu tibi ne inficiandi quidem impudenitæ locum reliquisti. quare præclara dicentur iudicia tulisse, si qui inficiantem Luscium condemnarunt, Catilinam absoluerint confitentem.

*

* auunculum tuum. ASCON. ibid.

*

Is ergo negat ignarum esse, cum etiam illi, imperitos se homines esse, & si quem etiam interfecissent, imperatori, ac dictatori paruisse dicerent, ac negare quoque posse: Catilinam uero inficiari non posse.

*

Hanc tu habes dignitatem, qua fretus me contemnis & despicis? an eam quam reliqua uita es consecutus? cum ita uixisti, ut non esset locus tam sanctus, quo non aduentus tuus, etiam cum culpa nulla subesset, crimen afferret.

*

Cum deprehendebare in adulteriis, cum deprehendebas adulteros ipse, cum ex eodem stupro tibi, & uxorem, & filiam inuenisti.

*

* stupris se omnibus, ac flagitiis contaminauit, cæde nefaria cruentauit, diripuit socios, leges, quæstiones, iudicia uiolauit.

*

Quid ego, ut uiolaueris prouinciam, prædicem? cuncto populo R. clamante ac resistente? nam, ut te illic gesseris, non audeo dicere, quoniam absolutus es. mentitos esse equites R. falsas fuisse tabellas honestissimæ ciuitatis existimo. mentitum Q. Metellum Pium, mentitam Africam, uidisse puto nescio quid illos iudices, qui te innocentem iudicarunt. O miser, qui non sentias, illo iudicio te non absolutum, uerum ad aliquod seuerius iudicium, ac maius supplicium reseruatum.

*

Prætereo

*

Prætereo illum nefarium conatum tuum, & pene acerbum, & luctuosum populo R. diem, cum Cn. Pisone socio, neque alio nemine, cædem optimatum facere uoluisti.

*

An oblitus es, te ex me, cum præturam peteremus, petisse, ut tibi primum locum concederem? quod cum sæpius ageres, & impudentius a me contenderes, meministi me tibi respondere, impudenter te facere, qui id a me peteres, quod auunculus nunquam impetrasset? Nescis me prætorem primum esse factum, te concessione competitorum, & collatione centuriarum, & meo maxime beneficio, e postremo in tertium locum esse sublectum?

*

Qui posteaquam illo, ut conati erant, Hispaniensi pugiunculo neruos incidere ciuium R. non potuerunt, duas uno tempore conantur in remp. sicas distringere.

*

Hunc uos scitote Licinium gladiatorem iam immisisse cupidum Catilinæ iudices, Quinctumque Curium, hominem quæstorium.

*

Extremum deest.

M. Tullii

M. Tullij Ciceronis

Pro Q. Gallio.

Orat. X.

Deest principium.

*

Aquil. & Quinct. l. 8. ca. 3. * ut clamor, ut conuiuiũ mulierum, ut symphoniæ cantus. Videbar mihi uidere alios intrantes, alios autem exeuntes partim ex uino uacillantes, partim hesterna potatione oscitantes. uersabatur inter hos Gallius unguentis oblitus, redimitus coronis: humus erat immunda, lutulenta, uino, coronis languidulis, & spinis cooperta piscium.

*

Qvinct. l. 11. ca. ultimo. An ista, si uera essent, sic a te dicerentur.

*

Cic. Brut. Tu istuc M. Callidi, nisi fingeres, sic ageres? præsertim cum ista eloquentia alienorum hominum pericula defendere acerrime soleas, tuum negligeres? ubi dolor? ubi ardor animi? qui etiam ex infantium ingeniis elicere uoces, & querelas solet. nulla perturbatio animi, nulla corporis, frons non percussa, non femur, pedis (quod minimum est) nulla supplosio. itaque (tantum abfuit, ut inflammares nostros animos) somnum isto loco uix tenebamus.

*

Non. logi. Ego te certo scio, omnes logos, qui ludis dicti sunt, animaduertisse.

*

Caris. * poematorum.

Cetera desunt.

M. Tulli

M. Tullij Ciceronis

De L. Othone.

Orat. XI.

*

HIC si se istius uiæ dedisset Fronto.

*

Desunt reliqua omnia.

M. Tullij Ciceronis

De proscriptorum liberis.

Orat. XII.

Desunt cetera, præter fragmentum, quod sequitur.

*

QVID enim crudelius, quàm homines honestis parentibus, ac maioribus natos a rep. submoueri? sed ita legibus Syllæ continetur status ciuitatis, ut his solutis, stare ipsa non possit. Quinct. l. 11. c. 1.

*

M. Tullij Ciceronis

Contra concionem Q. Metelli.

Orat. XIII.

Deest principium.

*

Sic enim, ut opinor, insequar fugientem, quoniam congredi non licet cum resistente. Fortun. l. 3.

*

permulsa

Prisc. l. 9. * permulsa, atque recreata est.

*

Prisc. l. 10. * nisi eorum exitio, non requieturam.

*

Gell. l. 18. ca. 7. Ascendi in concionem, concursus est populi factus.

*

Quinct. l. 9. c. 3. Qui indicabantur, eos uocari, custodiri, ad senatum adduci iussi: in senatu sunt positi.

*

Reliqua desunt.

M. Tullij Ciceronis

De consulatu suo.

Orat. XIIII.

*

Nonivs. Census. QVORVM luxuries fortunata censa peperit.

*

M. Tullij Ciceronis

In Clodium & Curionem.

Orat. VX.

Desunt multa, nec, quæ restant, digeri possunt in ullum ordinem.

*

Non. TV uero festiuus, tu elegans, tu solus urbanus: quem decet muliebris ornatus, quem incessus psaltriæ, qui leuare uultum, mollire uocem potes.

*

Sed

*

Sed credo, postquam tibi speculum allatum est, longe te a pulchris abesse sensisti. Non. Longus. Speculū.

*

Ac uide an facile tu fieri potueris, cum is factus non sit, cui tu concessisti. Non.

*

Tu'ne, cum uincirentur pedes fasceis, cum calanticam capiti accommodares, cum strophio accurate præcingerere. Non. Calantica.

*

Integritas tua te purgauit, mihi crede, pudor eripuit, uita anteacta seruauit. Quinct. l. 8. ca. 6.

*

* quibus iste, qui omnia sacrificia nosset, facile a se deos placari posse arbitrabatur. Quinct. l. 9. c. 2.

*

Quo ex iudicio, uelut ex incendio, nudus effugit. Quinct. li. 8. c. 3.

*

Erras Clodi: non te iudices urbi, sed carceri reseruarunt, neque retinere in ciuitate, sed exilio priuare uoluerunt. Quamobrem P. C. erigite animos, retinete uestram dignitatem: manet illa in repub. bonorum consensio: dolor accessit bonis uiris, uirtus non est imminuta: nihil est damni factum noui, sed quod erat, inuentum est in unius hominis perditi iudicio: plures similes reperti sunt. Cicero li. 1. Att.

M. Tullii Ciceronis

De Rege Ptolemæo.

Orat. XVI.

Nisi unicum id fragmentum esset, uix ipsam orationis inscriptionem teneremus.

*

Aquil. & Fortun. & Marcian.

DIFFICILIS ratio belli gerendi, at plena fidei, plena pietatis.

*

M. Tullij Ciceronis

Pro P. Vatinio.

Orat. XVII.

Et ex hac etiam, id solum superest.

*

Cicero epist. lib. 1.

FACIO quiddam, quod in Eunucho parasitus suadet militi.

Vbi nominabit Phædriam, tu Pamphilam
Continuo. si quando illa dicet, Phædriam
Commessatum intromittamus: tu, Pamphilam
Cantatum prouocemus. si laudabit hæc
Illius formam, tu huius contrà. denique
Par pro pari referto, quod eam mordeat.

Sic peto a uobis iudices, ut quoniam quidam nobiles homines, & de me optime meriti, nimis amant inimicum meum, neque inspectante, sæpe eum in senatu modo seuere seducunt, modo familiariter atque hilare amplexantur: quoniamq; illi habent suum Publium, detis mihi ipsi alium Publium, in quo

quo poſſim eorum animos mediocriter laceſſitus, leuiter repungere.

*

M. Tullij Ciceronis
Pro M. Aemilio Scauro.
Orat. XVIII.

MAXIME fuit optandũ M. Scauro, iudices, ut nullo ſuſcepto cuiuſquam odio, ſine offenſione, ac moleſtia. Fortun. & Auguſt. in Rhet.

*

Nihil Sardos Appio gratius eſſe facturos, quàm ſi de Scauri fama detraxerint. Fronto.

*

*circa uerſum a primo XL.

Subit etiam populi iudicium, inquirente Cn. Domitio tribuno pl. Reus factus eſt a Q. Seruilio Cæpione, lege Seruilia, cum iudicia penes equeſtrem ordinem eſſent, &, P. Rutilio damnato, nemo tam innocens uideretur, ut non timeret illa. Ab eodem etiam, lege Varia, cuſtos ille reip. proditionis eſt in crimen uocatus, uexatus a Q. Vario trib. pl. eſt, non multo ante. Aſc.

*

Non enim tantum admiratus ſum ego illum uirum, ſicut omnes, ſed etiam præcipue dilexi. primus enim me, flagrantem ſtudio laudis, in ſpem impulit, poſſe uirtutem, ſine præſidio fortunæ, quo contendiſſet, labore, & conſtantia peruenire. Aſc.

*

Seuer. Et quoniam congesta est accusatio magis aceruo quodam criminum, quàm distinctione aliqua generum & uarietate.

*

Seuer. Bostarem igitur quendam dixit Norensem, fugientem e Sardinia Scauri aduentum.

*

Seuer. Prius illum sepultum, quàm huic cænam esse sublatã.

*

Asc. Si me hercle, iudices, pro L. Tubulo dicerem, quem unum ex omni memoria sceleratissimum, & audacissimum fuisse accepimus, tamen non timerem, uenenum hospiti, aut conuiuæ si diceretur cænanti ab illo datum, cui neque heres, neq; iratus fuisset.

*

Quæ quidem suspicio ualuit etiam ob hanc causam, quòd, cum agerent parentalia Norenses.

*

Porph. Sat. 2. l. 2. Libertus patronum non occidit, sed duobus digitulis gulam oblisit.

*

Fronto. Copiis inops, gente fallax.

*

Circa tertiam partem a primo.

Asc. Sic inquam se iudices res habet, neque hoc a me nouum disputatur, sed quæsitum ab aliis est.

*

Asc. Illa audiuimus, hoc uero meminimus, ac pene uidimus, eiusdem stirpis, & nominis P. Crassum, ne in manus incideret inimicorum, se ipsum interemisse.

se. Ac neque illius Craſſi factum ſuperioris, iiſdem honoribus uſus, qui fortiſſimus in bellis fuiſſet, M. Aquillius potuit imitari.

** paullo poſt.*

Quid uero? alterum Craſſum temporibus eiſdem, nũ aut clariſſimi uiri Iulii, aut ſummo ingenio præditus M. Antonius potuit imitari? Aſc.

*

Cum dare nollet Aris, clam ex Sardinia eſt fugere coactus. Priſc.l.6.

*

Aris, uxorem pellicatus dolore concitatam. Priſc.l.6.

*

* Arinis uxorem. Priſc.l.7.

*

Circa medium.

Neque uero hæc ipſa quotidiana res Ap. Claudium, illa humanitate, & ſapientia præditum, per ſe ipſa mouiſſet, niſi hunc Claudii fratris ſui competitorem fore putaſſet, qui ſiue patricius, ſiue plebeius eſſet, (nondum enim certum cõſtitutum erat) cum illo ſibi contentionem fore putabat. Aſc.

*

Quem purpura regalis non commmouit, cum Sardorum maſtrucca tentauit? Iſid.l.19.c.3.

*

Vos quoque de familia nobili, cum auctoritate orbis terrarum, ſentire debetis. Marcell. li.22.

*

poſt duas partes orationis.

Nam, cum ex multis unus ei reſtaret Dolabella pa- Aſc.

ternus

ternus inimicus, qui cum Q. Cæpione propinquo ſuo contra Scaurum patrem ſuum obſignauerat ſta teras, eas ſibi inimicitias non ſuſceptas, ſed relatas.

* *poſt tres partes orationis.*

Aſc. Præſertim, cum propinquitas, & celebritas loci ſuſpicionem deſidiæ tollat, aut cupiditatis.

*

Quinct. l. 5. ca. 13. Ego porro, qui Albanas habeo columnas, clitellis eas apportaui.

*

Quinct. l. 9. c. 1. & 4. Domus tibi deerat? at habebas. pecunia ſuperabat? at egebas. Incurriſti amens in columnas, in alienos inſanus inſaniſti, depreſſam, cæcam, iacentem domum pluris, quàm te, & quàm fortunas tuas æſtimaſti.

*

eru. 1. Georgic. * redimunt ſe ea parte corporis, propter quam maxime expetuntur.

*

* ab ipſa ſtiua mecum homines loquebantur.

*

Fronto. Retineret id, quod præcipue ſemper ſtuduit.

*

Aſc. Hæc cum tu effugere non potuiſſes, contendes tamen, & poſtulabis, ut M. Aemilius, cum ſua dignitate omni, cum patris memoria, cum aui gloria, ſordidiſſimæ, leuiſſimæ, uaniſſimæ genti, ac prope dicam pellitis teſtibus condonetur.

* *uerſu a nouiſſimo* C L X.

Aſc. Vndique mihi ſuppeditat, quod pro M. Scauro dicã, quocunque non modo mens, uerum etiam oculi inciderint.

ciderint. curia illa de grauiſſimo principatu patris fortiſſimoq; teſtatur. L. ipſe Metellus, auus huius, ſanctiſſimos deos illo conſtituiſſe in templo uidetur, in ueſtro conſpectu iudices, ut ſalutem a uobis nepotis ſui deprecarentur.

*

* uniuerſe

*

Adii cauſas oratorum. Carisivs li. 2.

*

De te recordor. Fronto.

*

Hoc nomine audito, quod per omnes gentes peruagatum eſt. Fronto.

*

In illa bona inuadere nullo modo potuiſſet. Fronto.

*

Plura non habemus.

M. Tullij Ciceronis
Pro A. Gabinio, Orat. XIX.

Deſunt cetera, præter hoc.

*

EGO cum omnes amicitias tuendas ſemper putaui ſumma religione, & fide, tũ eas maxime, quæ eſſent ex inimicitiis reuocatæ in gratiam: propterea, quòd integris amicitiis officium prætermiſſum, imprudentiæ, uel (ut grauius interpretemur) negligentiæ excuſatione Hier. Apol. aduerſus Rufinum.

excusatione defenditur: post reditum in gratiam, si quid est cōmissum, id non neglectū, sed uiolatū putatur, nec imprudentiæ, sed perfidiæ assignari solet.

Ad Orat. pro P. Quinctio.

*

VLPIAN. * Turpis occultatio sui.

*

Ad Orat. pro M. Fonteio.

*

Marcell. l. 6. Galli posthac dilutius potabunt, quod illi uenenum esse arbitrabantur.

*

Quinct. l. 6. c. 4. Mater tua, dum uixit, ludum, postquam mortua est, magistros habuit.

*

AQVILA. Frumenti maximus numerus e Gallia, peditatus amplissimæ copiæ e Gallia, equites numero plurimi e Gallia.

*

Cetera in ea, quæ inter reliquas orationes extat.

Ad Orat. de Lege Agraria. Kal. Ian.

Deest initium.

*

Gell. l. 13. ca. 24. PRAEDAM, manubias, sectionem, castra denique Cn.

Cn. Pompeii, ſedente imperatore, X uiri uendent.

*

Veniet igitur ſub præcone tota Propontis, atque Helle ſpontus, addicetur communis ora Lyciorum, atque Cilicum, Myſia, & Phrygia item, conditioni legiq; parebunt. Aqu.

*

* imberba iuuentute. Cariſ.

*

Cetera in ea, quæ extat in ſenatu habita.

Ae Orat. in L. Piſonem.

PROCH dii immortales, qui hic illuxit dies. Quin&.l.9. c. 4.

*

Quæ te bellua ex utero, non hominem fudit. Diom.l. 2. Seruius.

*

Inſuber quidam fuit, id eſt mercator, & præco, is cum Romam, cum filia ueniſſet, adoleſcentem nobilem Cæſoninum, hominis fortiſſimi filium, auſus eſt appellare. filiam collocauit. Aſc.

*

* Cum tibi tota cognatio in ſerraco uehatur. Quin&.l. c. 3.

*

Circa uerſum a primo *

* quod minimum in te ſpecimen ingenii, ingenii autem ?imo ingenui hominis ac liberi, qui colore ipſo patriam aſpernaris, oratione genus, moribus nomen. Ascon. ibid.

Circa uersum a primo LXXX,

Asc. Hoc non ad contemnendam Placentiam pertinet, unde se is ortum gloriari solet. neque enim hæc mea natura fert, nec municipii, præsertim de me optime meriti, dignitas patitur.

*

Asc. Hic cum ad Padum Placentiæ forte consedisset, paucis post annis in eam ciuitatem (nam tum erat ciuitas) ascendit. prius enim Gallus, dein Gallicanus, extremo semiplacentinus haberi est cœptus.

*

Circa uersum a primo *

Asc. Lautiorem pater tuus socerum, quàm C. Piso in illo luctu, non ei filiam meam collocaui, quem ego, potestas cum omnium fuisset, unum potissimum delegissem.

*

Diomed. l. 1. Proxime Pompeium sedebam.

*

Ex Commentariis. lib. XIII.

*

Diomed. * re uendita, iterum empta.

*

M. TVLLII CICERONIS
FRAGMENTORVM
TOMVS SECVNDVS.

Qui continet epiſtolas.

EX

ANDR. PATRICII STRICECONIS

ſecunda editione.

ELENCHVS EPISTOLARVM CICERONIS, QVAE HOC TOMO CONTINENTVR.

M. TVLLII CICERONIS
AD M. TITINIVM EPISTOLA.

*

EQVIDEM memoria teneo, pueris nobis, primum Latine docere cœpisse L. Plotium quendam: ad quem cum fieret concursus, quòd studiosissimus quisque apud eum exerceretur, dolebam mihi idem non licere. continebar autem doctissimorum hominum auctoritate, qui existimabant Græcis exercitationibus ali melius ingenia posse. Suet. de Rhet.

*

M. Tullij Ciceronis ad Cornelium Nepotem epist. lib. II.

*

ITAQVE nostri cum omnia, quæ dixissemus, dicta essent, quæ facete, & breuiter, & acute locuti essemus, ea proprio nomine appellari dicteria uoluerunt. Macr. l. 2. c. 1. Satur.

*

Ad eundem, ex libro incerto.

*

HOC restiterat etiam, ut a te fictis aggrederer donis. Prisc. l. 8.

*

Qui habet, ultro appetitur: qui est pauper, aspernatur. Prisc. ibid.

*

Suet.in Cæs. Quid? oratorum quem huic antepones eorum, qui nihil aliud egerunt? quis sententijs aut acutior, aut crebrior? quis uerbis aut ornatior, aut elegantior.

*

Marcel. l. 21. Neque enim quidquam aliud est felicitas, nisi honestarum rerum prosperitas: uel, ut alio modo definiam, Felicitas est fortuna, adiutrix consiliorum bonorum; quibus qui non utitur, felix nullo pacto esse potest. Ergo in perditis, impiisq; consiliis, quibus Cæsar usus erat, nulla potuit esse felicitas: feliciorque, meo iudicio, Camillus exulans, quàm temporibus iisdem Manlius, etiamsi, id quod cupierat, regnare potuisset.

M. Tullij Ciceronis ad C. Cæsarem epist. lib. I.

M. Cicero C. Cæsari S.

*

Non. Dicare. BALBVM quanti faciam, quamq; ei me totum dicauerim, ex ipso scies.

*

Non. Consequi. Honor. Tum cum ea, quæ es ab senatu, summo cum honore, consecutus.

*

Non. Improbum. Debes odisse improbitatem eius, quia impudentissimum nomen delegerit.

*

Non. Tueri. Vt sciret maiore cura tuenda esse, quæ parta sunt.

Ad

Ad eundem epist. lib. II.

*

* uel quod locatio ipsa pretiosa. Nō. Locare.

*

Quod sapientes homines, ac boni putant. Non. Putare.

*

Neque pro cauto, ac diligente se castris continuit. Caris. l. 1.

*

Sed ego quæ monumenti ratio sit, nomine ipso admoneor. ad memoriam magis spectare debet posteritatis, quàm ad præsentis temporis gratiam. Non. Monumentum.

*

Ad eundem epist. lib. III.

*

QVAE si uideres, non de exercitu retinendo tueri, sed eo tradito, aut dimisso. Non. Dimittere.

*

* amici nonnulli te contemni, ac despici, ac pro nihilo haberi senatum uelint. Non. Contemno.

*

Ad eundem, ex lib. incerto.

*

IAM amplitudinem, gloriamq; tuam magno mihi ornamento fore existimo, quòd me leuas cura. Non. Leuare.

*

Extrema uero nec quanta, nec qualia sunt, uerbis consequi possum. Non. Consequi.

*

M. Tullij

M. Tullij Ciceronis ad Cæſ. iuniorem epiſt. lib. I.

Cicero Cæſari iuniori S.

Omnia ex Nonio. Sagum. PRIDIE non.Feb. cum ad te litteras mane dediſſem, deſcendi ad forum togatus, cum reliqui conſulares ſagati uellent deſcendere.

*

Aditus. * & aut ad conſules, aut ad te, aut ad Brutum adiſſent, his fraudi ne eſſet, quòd cum Antonio fuiſſent.

*

Relatum. Sed hæc uiderimus, cum legati reſponſa retulerint.

*

Vindicare. Quaſi ſi me ad id beneficium accerſeres, quo per te me, unà cum repub. in libertatem uindicaſſem.

*

Accipere. Rogare. Roga ipſum, quemadmodum ego eum Arimini acceperim.

*

Cunctari. Sed cito pœnituit, domum rediit, ceteri cunctabantur.

*

Opinio. Erat opinio bona de Planco, bona de Lepido.

*

Comparare. * neminem tibi profecto hominem ex omnibus aut antepoſuiſſem unquam, aut etiam cōparaſſem.

*

Expedire. Ex ceteris autem generibus tunc pecunia expedietur, cum legionibus uictricibus erunt, quæ ſpopondimus, perſoluenda.

In

*

In singulis tegulis impositis sexcentis sexcenties confici posse. Confectum.

*

Ne res duceretur, fecimus ut Hercules Antianus, in alium locum, transferretur. Ducere.

*

Sed quòd uideret nomine pacis bellum inuolutum fore. Inuoluere.

*

Quód mihi, & Philippo uacationem das, bis gaudeo. nam & præteritis ignoscis, & concedis futura. Ignoscere a concedere.

*

Itaque uereor ne ferociorem eum faciant tua { tam } præclara iudicia telo. Ferox.

Ad eundem epist. lib. II.

*

SED ita locutus insulse est, ut mirum senatus conuicium exceperit. Omnia ex Nonio.

*

In quo tua me prouocauit oratio, mea consecuta est segnis.

*

Bellum, ut opinio mea fert, { ex } consensu ciuitatis confectum iam haberemus. Confectum.

*

cum constet Cæsarem Lupercis id uectigal dedisse, qui ante poterat id constare? Constare.

*

Deijcere. Adest Albæ nescio quis Clodius, quam cum restitui iussisset, Ancone cum eo deiectus est ex senatus con sulto.

*

Insolens. *insolens, arrogans, iactans.

*

Secundum. Scriptum erat equestre prælium ualde secundum, in his potius aduersum.

*

Meret. Quem perisse ita de repub. merentem consulem uehementer doleo.

*

Præstare. Tu si meam fidem præstiteris, quod confido te esse facturum.

*

Spurcus. Cum iter facerem Claternam tempestate spurcissima.

*

Locuples. Nihil omnino certi, nec locupletem ad hoc auctorem habebamus.

*

Paludatus. Antonius demens ante lucem paludatus.

Ad eundem epist. lib. III.

*

Nō. Inuehi. ITAQVE in eum palam uehementer est inuectus.

*

NONIVS Antiquus. Ego autem antiquissimum Scythis oriundum, quibus antiquior lætitia est, quàm lucrum,

Ad

Ad eundem ex lib. incerto.

*

POSTHAC quod uoles a me fieri, scribito. uincam opinionem tuam. Non.Opinio

*

Promissa tua memoria teneas. Non.Promittere.

*

M. Tullij Ciceronis ad C. Pansam epist. lib. I.

M. Cicero C. Pansæ S.

DE Antiocho fecisti humaniter, quem quidem ego semper dilexi, meq; ab eo diligi sensi. Non.Humaniter.Prisc.l.15.

*

* quorum erupit illa uox, de qua ex te primum quiddam inaudieram. Non. Inaudire.

*

Ad eundem epist. lib. III.

*

NOS Ventidianis rumoribus concalfecimus. Non.Concalfacere.

*

M. Tullij Ciceronis ad A. Hirtium epist. lib. II.

*

Non.Error. QVA in re si mediocriter lapsus sum, defendas meũ { id } tolerabile erratum.

*

Ad eundem epist. lib. V.

*

Non.Impertio. ET quoniam, ut hoc tempus est, nihil habeo patriæ quod impertiam.

*

Ad eundem epist. lib. IX.

*

Non. Interfici. DICIS quasi istuc intereat nescio, nisi tamen * erat mihi iucundum seuerius, ne qui casum perimeret superioris.

*

Ad eundem ex lib. incerto.

*

Non.Vetuscere a ueterascere. CVM enim nobilitas sit nihil aliud, quàm cognita uirtus, quis in eo, quem ueterascentem uidet ad gloriam, generis antiquitatem desideret?

*Luta,

*

*Luta, & limum aggerebant. Nonivs Lutum.

*

M. Tullij Ciceronis ad M. Brutum epist. lib. VII.

*

HIS contraria, atque parata, ut esse solent, expertus sum. Non. Experiri.

*

Ad eundem epist. lib. VIII.

*

ET quod te tantum amat, ut uel me audeat prouocare. Non. doct. indag.

*

Ad eundem ex lib. incerto.

Cicero Bruto S.

*

QVVM hæc scribebam, res existimabatur in extremũ adducta discrimen. tristes enim de Bruto nostro litteræ, nuncijq; adferebantur. me quidem non maxime conturbabant: his enim exercitibus, ducibusq;, quos habemus, nullo modo poteram diffidere. Neque assentiebar maiori parti hominum: fidem enim consulum non condemnabam, quæ suspecta uehementer erat. Desiderabam nonnullis in rebus pru- Ex manuscripto a Germanis inuento.

 dentiam,

dentiam, & celeritatem, qua si essent usi, iam pridem rem recuperassemus. Non enim ignoras, quanta momenta sint in rep. temporum, & quid intersit idem illud utrum ante, an post decernatur, suscipiatur, agatur. Omnia quæ seuere decreta sunt hoc tumultu, si aut quo die dixi sententiam, perfecta essent, & non in diem ex die dilata, aut quo ex tempore suscepta sunt ut agerētur, non tardata & procrastinata, bellum iam nullum haberemus. Omnia Brute præstiti reip. quæ præstare debuit is, qui esset eo, quo ego sum gradu, senatus populiq; iudicio conlocatus: nec illa modo, quæ nimirum sola ab homine sunt postulanda, fidem, uigilantiam, patriæ caritatem. ea sunt enim, quæ nemo est, qui non præstare debeat. Ego autem ei, qui sententiam dicat in principibus de repub. puto etiam prudentiam esse præstandam. Nec me, quum mihi tantum sumpserim, ut gubernacula reip. prenderem, minus putarim reprehendendum, si inutiliter aliquid senatui suaserim, quam si infideliter. Acta quæ sint, quæq; agantur, scio perscribi ad te diligenter. Ex me autē illud est, quod te uelim habere cognitum, meum quidem animum in aciem esse, neque respectum ullum quærere, nisi me utilitas ciuitatis forte conuerterit. Maiores autem partes animi te, Cassiumq; respiciunt. Quamobrem ita te para Brute, ut intelligas, aut, si hoc tempore bene res gesta sit, tibi meliorem remp. esse faciendam, aut, si quid offensum sit, per te esse eandem recuperandam.

Bruto

Cicero Bruto S.

PLANCI animum in remp. egregium, legiones, auxilia, copias, ex litteris eius, quarum exemplum tibi missum arbitror, perspicere potuisti. Lepidi tui necessarij (qui secundum fratrem affines habet, quos oderit proximos) leuitatem, & incőstantiam, animumque, semper inimicum reipub. iam credo tibi ex tuorum litteris esse perspectum. nos expectatio solicitat, quæ est omnis iam in extremum adducta discrimen. est enim spes omnis in Bruto expediendo, de quo uehementer timebamus. Ego hic cum homine furioso satis habeo negotii Seruilio, quem tuli diutius, quàm dignitas mea patiebatur; sed tuli reipub. causa, ne darem perditis ciuibus hominem parum sanum illum quidem, sed tamen nobilem, quo concurrerent: quod faciunt nihilominus; sed eum alienandum a rep. non putabã. Finem feci eius ferendi: cœperat enim esse tanta insolentia, ut neminem liberum duceret. In Planci uero causa exarsit incredibili dolore, mecumq; per biduum ita contendit, & a me ita fractus est, ut eum in perpetuum modestiorem sperem fore: Atque in hac contentione ipsa, quum maxime res ageretur ad v. Id. April. litteræ mihi in senatu redditæ sunt a Lentulo nostro, de Cassio, de legionibus, de Syria: quas statim cum recitauissem, cecidit Seruilius, complures præterea: sunt enim insignes aliquot, qui improbissime sentiunt. sed acerbissime tulit Seruilius, assensum esse mihi de

de Planco. Magnum illud monstrum in rep. est, sed quo.

*

Brutus Ciceroni S.

LITTERAS tuas ualde expecto, quas scripsisti post nuncios nostrarum rerum, & de morte Trebonij: non enim dubito quin mihi consilium tuum explices. Indigno scelere & ciuem optimum amisimus, & prouinciæ possessione pulsi sumus, quam recuperari facile est. Neque minus turpe, aut flagitiosum erit, post recuperari. Antonius adhuc est nobiscum: sed mediusfidius & moueor hominis precibus, & timeo, ne illum aliquorum furor excipiat: plane æstuo. Quod si scirem, quid tibi placeret, sine solicitudine essem: id enim optimum esse persuasum esset mihi. Quare quamprimum fac me certiorem quid tibi placeat. Cassius noster Syriam, legiones Syriacas habet, ultro quidem a Murco, & a Marcio, & ab exercitu ipso accersitus. Ego scripsi ad Tertiam sororem, & ad matrem, ne prius ederent hoc, quod optime ac felicissime gessit Cassius, quàm tuum consilium cognouissent, tibiq; uisum esset. Legi orationes duas tuas, quarum altera Kal. Ian. usus es; altera de litteris meis, quæ habita est abs te contra Calenum. Nunc scilicet hoc expectas, dum eas laudem. Nescio, animi, an ingenii tui maior in his libellis laus contineatur. Iam concedo, ut uel Philippici uocentur, quod tu quadam epistola iocans scripsisti. Duabus rebus egemus Cicero, pecunia,

& supplemento: quarum altera potest abs te expediri, ut aliqua pars militum istinc mittatur nobis, uel secreto consilio aduersus Pansam, uel actione in senatu; altera, quæ magis est necessaria, neque meo exercitui magis, quàm reliquorum. Hoc magis doleo, Asiam nos amisisse, quàm sic uexari a Dolabella audio, ut iam non uideatur crudelissimum eius facinus interfectio Trebonij. Vetus Antistius me tamen pecunia subleuauit. Cicero filius tuus sic mihi se probat, industria, patientia, labore, animi magnitudine, omni denique officio, ut prorsus nunquam dimittere uideatur cogitationem cuius sit filius. Quare quoniam efficere non possum, ut pluris facias eum, qui tibi est carissimus, illud tribue iudicio meo, ut tibi persuadeas non fore illi abutendum gloria tua, ut adipiscatur honores paternos. Kalend. Aprilis, Dyrrhachio. *

Cicero Bruto S.

DATIS mane a. d. III. Id. April. Scaptio litteris, eodem die tuas accepi, Kal. April. Dyrrhachio datas, uesperi: itaque mane prid. Id. April. cum a Scaptio certior factus essem, non esse eos profectos, quibus pridie dederam, & statim ire, hoc paullulum exaraui, ipsa in turba matutinæ salutationis. De Cassio lætor, & reipub. gratulor: mihi etiam, qui repugnante, & irascente Pansa sententiam dixerim, ut Dolabellã bello Cassius persequeretur. Et quidem audacter dicebam, sine nostro S. C. iam illud eum bellum gerere. De te etiam dixi tum, quæ dicenda putaui.

taui. Hæc ad te oratio perferetur, quoniam te uideo delectari Philippicis nostris. Quod me de Antonio consulis; quoad Bruti exitum cognorimus, custodiendum puto. Ex his litteris quas mihi misisti, Dolabella Asiam uexare uidetur, & in ea se gerere teterrime. Compluribus autem scripsisti, Dolabellam à Rhodijs esse exclusum; qui si ad Rhodum accessit, uidetur mihi Asiam reliquisse. Id si ita est, istic tibi censeo commorandum; sin eam semel cepit, mihi crede, non erit, at in Asiam censeo persequendum. Nihil mihi uideris, hoc tempore, melius acturus. Quod egere te duabus necessarijs rebus scribis, supplemento, & pecunia, difficile consilium est: non enim mihi occurrunt facultates, quibus uti te posse uideam, præter illas, quas senatus decreuit, ut pecunias a ciuitatibus mutuas sumeres. De supplemento autem non uideo quid fieri possit. tantum enim abest, ut Pansa de exercitu suo, aut delectu tibi aliquid tribuat, ut etiam moleste ferat, tam multos ad te ire uoluntarios. quo modo equidem credo, quòd iis rebus, quæ in Italia decernuntur, nullas copias nimis magnas esse arbitretur; quomodo autem multi suspicantur, ne te quidem nimis firmum esse uelit, quod ego non suspicor. Quod scribis te ad Tertiam sororem scripsisse, ut ne prius ederent ea, quæ gesta a Cassio essent, quàm mihi uisum esset, uideo te ueritum esse, id quod uerendum fuit, ne animi partium Cæsaris, quomodo etiam nunc partes appellantur, uehementer commouerentur. Sed ante quàm tuas litteras accepimus, audita res erat, & peruulgata; tui etiam ta-

bellarij ad multos familiares tuos litteras attulerant. Quare neque supprimenda res erat, præsertim cum id fieri non posset, neque, si posset, non diuulgandum potius, quàm occultandum putaremus. De Cicerone meo, &, si tantũ est in eo, quantum scribis, tantum scilicet, quantum debeo, gaudeo: &, si, quòd amas eum, eo maiora facis, id ipsum incredibiliter gaudeo, a te eum diligi.

Cicero Bruto S.

QVAE litteræ tuo nomine recitatæ sunt Id. April. in senatu, eodemq; tempore Antonij, credo ad te scripsisse tuos: quorum ego nemini concedo. Sed nihil necesse erat eadem omnes; illud necesse, me ad te scribere, quid sentirem de tota constitutione huius belli, & quo iudicio essem, quaque sententia. uolũtas mea Brute de summa rep. semper eadem fuit, quæ tua: ratio quibusdam in rebus, non enim omnibus, paullò fortasse uehementior. Scis mihi semper placuisse, non rege solum, sed regno liberari remp. Tu lenius; immortali omnino cum tua laude; sed quid melius fuerit, magno dolore sentimus. Recenti illo tempore tu omnia ad pacem, quæ oratione confici non poterant, ego omnia ad libertatem, quæ sine pace nulla est. pacem ipsam bello, atque armis effici posse arbitrabar. Studia non deerant arma poscentium; quorum repressimus impetũ, ardoremq; restinximus. Itaque res in eum locum uenerat, ut, nisi Cæsari Octauiano deus quidã illam mentem dedisset, in potestatem perditissimi hominis,

& turpissimi M. Antonij ueniendum fuit; quo cum uides hoc tempore ipso quod sit, quantumq́;, certamen. Id profecto nullum esset, nisi conseruatus esset Antonius. Sed hæc omitto. res enim a te gesta memorabilis, & pene cælestis repellit omnes reprehensiones; quippe, quæ ne laude quidem satis idonea affici possit. Extitisti nuper uultu seuero; exercitum, copias, legiones idoneas per te breui tempore comparasti. Dij immortales, qui ille nuncius, quæ illæ litteræ, quæ lætitia senatus, quæ alacritas ciuitatis erat? Nihil unquam uidi tam omnium consensione laudatum. Erat expectatio reliquiarũ Antonii, quem equitatu, legionibus magna ex parte spoliaras. Ea quoque habuit exitum optabilem. Nam tuæ litteræ, quæ recitatæ in senatu sunt, & imperatoris, & militum uirtutem, & industriã tuorũ, in quibus Ciceronis mei, declarant. Quod si tuis placuisset de his litteris referri, & nisi in tempus turbulentissimum, post discessum Pansæ consulis, incidissent, honos quoque iustus, & debitus dijs immortalibus, decretus esset. Ecce tibi Id. April. aduolat mane celer Pilus, qui uir, dij boni, quam grauis, quam constans, quam bonarum in rep. partiũ? Hic epistolas affert duas, unam tuo nomine, alteram Antonij. dat Seruilio trib. pl. ille Cornuto, recitantur in senatu. ANTONIVS PROCOS. Magna admiratio, ut si esset recitatum, Dolabella imperator, a quo quidem uenerant tabellarij: sed nemo Pili similis, qui proferre litteras auderet, aut magistratibus reddere. Tuæ recitantur, breues illæ quidem, sed in Antonium admodum lenes. uehementer

menter admiratus senatus. mihi autem non erat explicatum, quid agerem. falsas dicerem? quid si tu eas approbasses? confirmarem? non erat dignitatis tuæ. itaque ille dies silentio. Postridie autem cum sermo increbuisset, Pilusq́; oculos uehementius hominum offendisset, natum omnino est principium à me. De procos. Antonio multa; Sextius causæ non defuit. Post mecum; quanto suum filium, quanto meũ in periculo futurum, diceret, si contra procos. arma tulissent. Nosti hominem, causæ nõ defuit. Dixerunt etiam alii. Labeo uerò noster, nec signum tuum in epistola, nec diem appositum: nec scripsisse ad tuos, ut soleres. Hoc cogere uolebat, falsas litteras esse, &, si quæris, probabat. Nunc tuum est consilium Brute de toto genere belli. uideo te lenitate delectari, & eum putare fructum esse maximũ, præclare quidem, sed aliis rebus, alijs temporibus locus esse solet, debetq́; clementiæ. Nunc quid agitur Brute? templis deorum immortalium imminet hominum egentium, & perditorum spes, nec quidquam aliud decernitur hoc bello, nisi utrum simus, nec ne. Cui parcimus? aut quid agimus? His ergo consulimus, quibus uictoribus uestigium nostrum nullum relinquetur? Nam quid interest inter Dolabellam, & quemuis Antoniorum trium? quorum si cui parcimus, duri fuimus in Dolabella. Hæc ut ita sentiret senatus, populusq́; Rom. & si res ipsa cogebat, tamen maxima ex parte nostro consilio, atque auctoritate perfectum est. Tu si hanc rationem non probas, tuam sententiam defendam, non relinquã meam. Neque dissolutum a te quidquam homines

expectant, nec crudele. huius rei moderatio facilis est, ut in duces uehemens sis, in milites liberalis. Ciceronem meum, mi Brute, uelim quamplurimũ tecum habeas. Virtutis disciplinam meliorem reperiet nullam, quàm contemplationem, atque imitationem tui. XVI. Kal. Mai.

*

Non Amare & diligere. Contentus. Sic igitur facies, & me aut amabis, aut, quo contentus sum, diliges.

*

Quinct. l. 5. ca. 10. Veritus fortasse, ne nos in Catonem nostrum transferamus illinc mali quid, & si argumentum simile nõ erat.

*

Quinct. l. 8. c. 3. Nam eloquentiã, quæ admirationem non habet, nullam iudico.

*

Quinct. ibid. * & cum amorem, & cum, ut hoc uerbo utar, fauorem in consilium aduocabo.

*

Quinct. l. 9. c. 3. Ego cum in gratiam redierim cum Ap. Claudio, & redierim per Cn. Pompeium. ego ergo cum redierim.

*

Quinct. ibid. Scimo nullus, scilicet nisi de te. quid enim potius? Tum Flauius. Erras, inquit, tabellarie, & ego ibidem orans inter cœnam exoraui.

*

Quinct. ibid. Præstat, enim nemini imperare, quàm alicui seruire sine illo enim uiuere honeste licet, cum hoc uiuendi nulla condicio est.

*

Sim

*

Sim ne bonus uir, si hoc suadeam? minime. Suasoris enim est finis, utilitas eius, cui quisque suadet. At recta sunt. quis negat? Sed non est semper rectis in suadendo locus. QVINCT. l.3.ca.10.

*

Populo imposuimus, & oratores uisi sumus. QVINCT. li.8.c.6.

*

Res mihi inuisæ uisæ sunt Brute. QVINCT. l.6.c.4.

*

M. Tullij Ciceronis ad

M. filium. lib. I.

*

QVARE effice, & elabora, ut excelleas. Prisc.l.8.& l. 10.

*

Ad eundem lib. II.

*

Cui ego, quibuscunque rebus potero, libentissime commodabo. Non. Commodare.

*

Ad eundem ex libro incerto.

*

Ceteris delitis. Diom.l.1.

*

Philosophiæ

*

Lactan. l.4.c.14. Philosophiæ quidem præcepta noscenda, uiuendum autem ciuiliter.

*

M. Tullij Ciceronis ad Licinium Caluum epist. lib. I.

*

Prisc.l.9. TVLI moleste, quòd litteræ delitæ sunt mihi a te redditæ.

*

Non. Auguro. Præsentit animus, atque augurat quodam modo, quæ futura sit suauitas.

M. Tullij Ciceronis ad Q. Axium epist. lib. I.

*

Fronto. AD M. Bibulum adierunt.

*

Fronto. Si tu nos aliquid adiutare potes.

*

Sueton. in Cæs. Cæsar in consulatu confirmauit regnum, de quo ædilis cogitarat.

*

M. Tullij Ciceronis ad Catonem epist.

*

Nonius NEC idcirco mihi desiderandam esse dignitatem meam,

meam, quòd eam multi impugnarint, sed eo magis recolendam, quod plus desiderarint. aufer plus & multum.

*

M. Tullij Ciceronis ad
Cerelliam epist.

*

HAEC aut animo Catonis ferenda sunt, aut Ciceronis stomacho. QVINCT. li.6.c.4.

*

M. Tullij Ciceronis ad
L. Plancum epist.

*

NAM neque deesse rei publicæ uolo, neq; superesse. GELLIVS l.1.c.22.

*

M. Tullij Ciceronis ex
epistola incerta.

*

DATA Lupercalibus, quo die Antonius Cæsari. QVINCT. li.9.c.3.

*

Ne ulli sunt pedes faceti, ac delicijs ingredienti mollius. QVINCT. li.6.c.4.

*

M. TVLLII CICERONIS

FRAGMENTORVM

TOMVS TERTIVS

Qui philoſophica continet

EX

LIBRORVM

ANDR. PATRICII

STRICECONIS

ſecunda editione.

ELENCHVS PHILOSOPHICORVM CICERONIS VOLVMINVM, QVAE HOC TOMO CONTINENTVR.

Oeconomica ex Xenophonte lib. III.
Protagoras ex Platone.
De repub. lib. VI.
De iure ciuili.
De augurijs.
Hortensius.
Laus M. Catonis.
De gloria lib. II.
De consolatione.
De suis consilijs.
De uirtutibus.
De notis.
Chorographia.

ITEM FRAGMENTA LIBRORVM.

Academicorum.
De natura deorum.
De diuinatione.
De legibus.
De fato.
Timæi ex Platone.

M. TVLLII CICERONIS

OECONOMICORVM EX XENOPHONTE LIBER I.

*

HOMO ex eo numero hominum, qui apud nos hoc nomine dignantur. Prisc.l.8.

*

Maritale coniugium sic comparatum est natura, ut non solum iucundissima, uerum etiam utilissima uitæ societas iniretur, & ne genus humanum temporis longinquitate occideret. propter hoc mas cum femina est coniunctus: deinde ut ex eadem societate mortalibus adiutoria senectutis, nec minus propugnacula præparentur: tum etiam, cum uictus, & cultus humanus non uti feris in propatulo, ac siluestribus locis, sed domi sub tecto accurandus erat, necessarium fuit alterutrum foris & sub dio esse, qui labore, & industria compararet, intus, qui tectis reconderet, atque custodiret: si quidem uel rusticari, uel nauigare, uel etiam alio genere negotiari necesse erat, ut aliquas facultates acquireremus. Cum uero paratæ res sub tectum essent congestæ, alium esse oportuit, qui & illatas custodiret, & cetera conficeret opera, quæ domi deberent administrari: nam & fruges, & cetera alimenta terrestria indigebant tecto, & ouium ceterarumque pecudum fœtus atque fructus, clauso custodienda erant, nec minus reliqua utensilia, quibus aut alitur hominum genus, aut etiam excolitur. Quare Colum. l.12. ca. 1.

cum & operam & diligentiam ea, quæ proposuimus, desiderarent, nec exigua cura foris acquirerentur, quæ domi custodiri oporteret, iure; ut dixi, a natura comparata est opera mulieris ad domesticam diligentiam, uiri autem ad exercitationem forensem, & ad extraneam: itaque uiro calores & frigora perpetienda, tum etiam itinera, & labores pacis, ac belli, id est rusticationis, & militarium stipendiorum distribuit: mulieri deinceps, quòd omnibus his rebus eam fecerat inhabilem, domestica negotia curanda tradidit. Et quoniam hunc sexum custodiæ & diligentiæ assignauerat, idcirco timidiorem reddidit, quàm uirilem: nã metus plurimum confert ad diligentiam custodiendi. Quod autem necesse erat foris, & in aperto uictum quærentibus nonnunquam iniuriam propulsare, idcirco uirum, quàm mulierem, fecit audaciorem. Quia uero partis opibus æque fuit opus memoria, & diligentia, non minorem feminæ, quàm uiro, earum rerum tribuit possessionem. Tum etiam, quòd simplex natura nõ omneis res commodas amplecti uolebat, idcirco alterum alterius indigere uoluit: quoniam, quod alteri deest, præsto plerunq; est alteri.

*

Colvm. li. 12. c. 2. Nam uetus est prouerbium, paupertatem certissimam esse, quum alicuius indigeas, uti eo non posse, quia ignoretur, ubi proiectum iaceat, quod desideretur. itaque in re familiari laboriosior est negligentia, quàm diligentia. Quis enim dubitet nihil esse pulchrius in omni ratione uitæ dispositione, atque ordine? quod etiam ludicris spectaculis licet

sæpe

sæpe cognoscere. Nam ubi chorus canentium, non ad certos modos, neque numeros præeuntis magistri consensit, dissonum quiddam ac tumultuosum audientibus canere uidetur. At ubi certis numeris ac pedibus, uelut facta conspiratione, consensit, atque concinnit, ex eiusmodi uocum concordia, non solum ipsis canentibus, amicum quiddam & dulce resonat, uerùm etiam spectantes, audientesq; lætissima uoluptate permulcentur.

*

Quid igitur proch deum immortalium, primum eam docebas, quæso. Donat.iTe.r

*

Præparatis idoneis locis, instrumentum & supellectilem distribuere cœpimus, ac primum ea secreuimus, quibus ad res diuinas uti solemus: postea mundum muliebrem, qui ad dies festos comparatur. deinde ad uirilem, item dierum solennium, ornatum, nec minus calceamenta utrique sexui conuenientia, tum iam seorsum arma ac tela seponebantur, & in altera parte instrumenta, quibus ad lanificia utuntur, post quæ ad cibum cõficiendum uasa (ut assolent) constituebantur, inde, quæ ad lauationem, quæ ad exornationem, quæ ad mensam quotidianam atque epulationem pertinerent, exponebantur. postea ex ijs, quibus quotidie utimur, quod menstruum esset, seposuimus. quod annuum quoque, in duas partes diuisimus. nam sic minus fallit, qui exitus futurus sit. Hæc postquam omnia secreuimus, tum suo quæque loco disposuimus: deinde quibus quotidie seruuli utuntur, quæ ad COLVM.

ad lanificia, quæ ad cibaria coquenda & conficienda pertinent, hæc ipsa ijs, qui uti solent, tradidimus, &, ubi ea ponerent, demonstrauimus, &, ut salua essent, præcepimus. Quibus autem ad dies festos, & ad hospitum aduentum utimur, hæc primo tradidimus, & loca singula demonstrauimus, & cuique sua adnumerauimus, atque adnumerata ipsi exscripsimus, eamq; admonuimus, ut, quodcunque opus esset, sciret unde daret: & meminisset atque adnotaret, quid, & quando, & cui dedisset, &, cum recepisset, ut quidque suo loco reponeret.

*

M.Tullij Ciceronis Oeconomicorum ex Xenophonte lib. II.

*

Colum. l. 11. c. 1. VTRVM'NE Ischomache, inquam, si res familiaris desiderasset, mercari uillicum tanquam fabrum, an ipse instituere consueuisti? Ego uero ipse instituo. Etenim qui me absente in meum locum substituitur, & uicarius meæ diligentiæ succedit, is ea, quæ ego, scire debet.

*

M.Tullij Ciceronis Oeconomicorum ex Xenophonte lib. III.

*

Non. interfici. NVLLO modo facilius arbitror posse neque herbas arescere, & interfici, neq; terram ab sole percoqui. Cum

*

Cum uero affecta iam prope æstate uuas a sole mitescere tempus est. Quinct.l. 15. c. 5. Non. Profligare.

*

Neque serit uitem, neque, quæ sata est, diligenter colit, oleum, ficus, poma non habet. Macr.l. 3. c. 20.

*

* apes in aluearium concesserunt. Caris.l.1.

*

Cum ad Cyrum minorem, regem Persarum, præstantem ingenio, atque imperii gloria, Lysander Lacedæmonius, uir summæ uirtutis, uenisset Sardis, eiq; dona a sociis attulisset: & ceteris in rebus comis erga Lysandrũ, atque humanus rex fuit, & ei quendam conseptum agrum, diligenter consitum, ostendit. Cum autem admiraretur Lysander & proceritates arborum, & directos in quincuncem ordines, & humum subactam, atque puram, & suauitatem odorum, qui efflarentur e floribus, tum dixit: Mirari se non modo diligentiam, sed etiam solertiam eius, a quo essent illa dimensa, atque descritæ. & Cyrus respondit: Atqui ego ista sum omnia dimensus, mei sunt ordines, mea descriptio: multæ etiam istarum arborum mea manu sunt satæ. Tũ Lysander intuens eius purpuram, & nitorem corporis, ornatumq; Persicum multo auro, multisq; gemmis, dixit: Recte uero te Cyre beatum ferunt, quoniam uirtuti tuæ fortuna coniuncta est. CICERO Senect.

*

* Scrobes. SERVIVS in 2. Georg.

*

M. Tullij

M. Tullij Ciceronis Protagoras ex Platone.

*

Prisc. l. 6. QVID tu, unde tandem appares o Socrate? an quidem dubium non est, quin ab Alcibiade?

*

Prisc. l. 8. Nunc a uobis Protagora, & Socrate postulo, concedatis alter alteri & inter uos de huiuscemodi rebus controuersemini, non concertetis.

*

Prisc. l. 6. Quæ igitur potest esse indignitas uoluptatis ad molestiam, nisi in magnitudine, aut longitudine alterius utrius posita?

*

Don. in Phor. Confirmandi genera compluria.

*

M. Tullij Ciceronis de rep. lib. I.

*

Fronto. NVNCIATVM est uenire Lælium, domoque iam exisse.

*

Non. Propter. Eum quoque ut salutauit, propter Tuberonem iussit assidere.

*

Fronto. * negotii publici expers.

*

Quare

*

Quare, si placet, deduc oro rationem tuam de cœlo ad hæc cituma. — Non. Cituma.

*

* Quasi alius assimulare rempublicam. — DIOMED. li. 1.

*

* expositamq; ad exemplum nostræ reipub. accommodabo ad eam, si potero, omnem illam orationem, quæ est mihi habenda de optimo ciuitatis statu. — Non. Accommodatum.

*

Quam cum locis, manuq; sepsissent, eiusmodi coniunctionem tectorum oppidum, uel urbem appellarũt, delubris distinctam, spatiisq; communibus. omnis ergo populus, qui est talis cœtus multitudinis, qualem exposui, ciuitas est; omnis ciuitas, quæ est constitutio populi, respublica. — Non. Vrbs a ciuitate.

*

Vt ad eam urbem, quam incolas, possis adnare. — Fronto.

*

* breui multitudo diuersa atque uaga, concordia ciuitas facta erat. — AVGVST. ep. 5.

*

Cognoscere mehercule, inquit, consuetudinem istam, & studium, sermonemq;. — Non. Cognoscere.

*

* duos Romanos reges esse, quorũ alter patrem non habet, alter matrẽ. Nam de Seruii matre dubitatur. Anci pater * Marcius Numæ nepos dicitur. — SENECA l. 19. ep.

*

Tum { instituti } annui consules, tum demissi populo fasces. — Non. Dimittere.

fasces.

*

Seneca li.19.epist. *prouocationem ad populum etiam a regibus fuisse.

*

Non. Horrendum ab horridum. Horum enim seueritatem dicitur inhorruisse primum ciuitas.

*

Seneca l.19.ep. Quem nos dictatorem dicimus, & in historia ita nominari legimus, apud antiquos magister populi uocatus est, quòd qui ab illo nominatur, magister equitum est.

*

Cic.6.Att. *Cn. Flauius fastos protulit.

*

Fronto. Ipsa cognitio nos delectauit.

*

Non. Aemulus. Quomodo enim iudicatur iste optimas? doctrina, artibus, studiis. audio, quando?

*

Nonius Contendo. Sed audisse te credo, tum uero Platonem, Socrate mortuo, primum in Aegyptum discendi causa, post in Italiam contendisse.

*

Non. Anima. Tum uirtute, labore, industria quæreret summi uiri indolem, nisi nimis animose ferax natura illum nescio quo pacto.

*

Non. Consitura. Quæ uidelicet ille non ex agri consitura, quam cernebat, sed ex doctrinæ indiciis interpretabatur.

*

Sed

*

Sed quoniam plurima beneficia continet patriã, & est antiquior parens, quàm is, qui, ut aiunt, creauerit, maior ei profectò, quàm parenti, debetur gratia. Non. Antiquus. 102.

*

* sed ut plurimas & maximas nostri animi, ingenij, consilij, prima ipsa sibi ad utilitatem pigneraretur. Non. Pignerari.

*

Facillimam autem in ea repub. esse posse concordiã, in qua idem conducat omnibus. Non. Conducere.

*

Habent æquabilitatem quandam, qua carere diutius uix possunt liberi, deinde firmitudinem. Non. Firmitudo.

*

Nec tantum Carthago habuisset opum sexcentos fere annos sine consiliis, & disciplina. Nõ. libro de doct. indagine.

*

Quid? tu'ne cum es iratus, permittis illi iracundiæ dominatum animi tui? Non. Dominatus.

*

Ergo non probares consilio pulsas libidines, quæ sunt innumerabiles, iracundias, quæ tenerent omnia. Ego uero nihil isto animo, nihil ita animato homine miserius ducerem. Non. Anima.

*

Denique ipsa natura non inuitaret solum: sed etiam cogeret. Non. Inuitare.

*

* populo gratificans & aliena, & sua. Fronto.

*

Nec uerò iam meo nomine abstinet. Fronto.

*

Non.Horrẽdum ab horridum. Sed ut ille, qui nauigat, cum subito mare cœpit horrescere.

*

M. Tullij Ciceronis de rep. lib. II.

*

Non. Exultare. EST igitur quiddam turbulentum in hominibus singulis, quod uel exultat uoluptate, uel molestia frangitur.

*

Non. Volutabundus. Cupido autem, & expetenti, & lubidinoso, & uolutabundo in uoluptatibus.

*

Non. Anxitudo. * quantaque anxitudo prona ad luctum, & mærens, semperq; ipsa se solicitans.

*

Non. Timor. Esse autem angores, si miseria afflictas, atque abiectas timiditate, & ignauia.

*

Non. Elidere. Vt auriga indoctus e curru trahitur, operitur, eliditur, laniatur.

*

Non. Offendere. Sed imitor Architam Tarentinum, qui cum ad uillam uenisset, & omnia aliter offendisset.

*

Non. Vrbs a ciuitate. * quo auctore, & principe uocitatur ciuitas.

*

Non. modicum. Statuo esse optime constitutam remp. quæ ex tribus generibus

generibus illis, regali, optimo, & populari, confusa modice, nec puniendo irritet animum immanem ac ferum, § nec omnia prætermittendo, licentia ciues deteriores reddat. §

*

Vt in fidibus, ac tibiis, atque cantu ipso, ac uocibus cócentus est quidam tenendus ex distinctis sonis, quem immutatum, ac discrepantem aures eruditæ ferre non possunt, isque concentus ex dissimillimarum uocum moderatione concors tamen efficitur & congruens: sic ex summis, & infimis, & mediis interiectis ordinibus, ut sonis, moderata ratione ciuitas, consensu dissimillimorum concinit, & quæ harmonia a musicis dicitur in cantu, ea est in ciuitate concordia, arctissimum atque optimum omni in repub. uinculum incolumitatis, quæ sine iustitia nullo pacto esse potest. — Aug. l. 2. c. 21 ciuit.

*

Iustitia foras spectat, & proiecta tota est, atq; eminet. — Non. Proiectum.

*

Quæ uirtus, præter ceteras, totam se ad alienas utilitates porrigit, atque explicat. — Non. Explicare.

*

* quæ sanguine alitur, atque in omni crudelitate sic exultat, ut uix hominum acerbis funeribus satietur. — Non. Exultare.

*

Itaque præterea illa institutio Romuli, cum ducentos annos & triginta fere firma mansisset. — Non. lib. de doct. indagine.

*

Ac primus agros, quos bello Romulus ceperat, diuisit — Non. Viribim.

sit uiritim ciuibus.

*

Fronto. Cùm aliud nihil domum suam deportauisset.

*

Non. Pecuniosus. * multaq; ditione ouium, & boum, quod tunc erat res in pecore, & in locorum possessionibus, ex quo pecuniosi, & locupletes uocabantur.

*

Non. Calumnia. * ut Carneadi respondeatis, qui sæpe optimas causas ingenij calumnia ludificari solebat.

*

Fronto. Neq; enim ad mare admouit, quòd ei fuit facillimũ.

*

Avgvst. l. 2. c. 21. ciuit. Nihil est quod adhuc de repub. putem dictum, & quo possim longius progredi, nisi sit confirmatum, non modo falsum esse illud, sine iniuria non posse, sed hoc uerissimum, sine summa iustitia rempub. regi non posse.

*

M. Tullij Ciceronis de repub. lib. III.

*

Aug. l. 4. contra Pelagiũ. HOMO non ut a matre, sed ut a nouerca natura editus est in uitam, corpore nudo, & fragili, & infirmo, animo autem anxio ad molestias, humili ad timores, molli ad labores, prono ad libidines; in quo tamen inesset tanquam obrutus quidam diuinus ignis ingenii, & mentis.

Quoniam

*

Quoniam ſumus ab ipſa calce eius interpellatione re-uocati. SENECA l.19.ep.

*

Nullum eſt ius naturale. itaque omnes animantes ip-ſa ducente natura commoda ſua defendunt.& ideo iuſtitia, ſi alienis utilitatibus conſulat, ſuas negli-gat, ſtultitia eſt dicenda. Quod ſi omnes populi, penes quos ſit imperium, ipſiq; Romani, qui or-bem totum poſſedere, iuſtitiam ſequi uelint, ac ſuum cuique reſtituere, quod ui & armis occupa-uerunt; ad caſas, & egeſtatem reuertentur. quod ſi fecerint, iuſtos dicemusquidem, ſed tamen ſtul-tos iudicare neceſſe eſt, qui, ut aliis proſint, ſibi no-cere contendunt. LACTAN. epit.c.1.

*

Bonus uir ſi habeat ſeruum fugitiuum, uel domum inſalubrem, ac peſtilentem, quæ uitia ſolus ſciat, & ideo proſcribat, ut uendat, utrum'ne profitebi-tur fugitiuum ſeruum, ac peſtilentem domum ſe uendere, an cælabit emptorem? ſi profitebitur em-ptori, fugitiuum eſſe, bonus quidem, quia non fallet, ſed tamen ſtultus iudicabitur, quia uel par-uo uendet, uel omnino non uendet: ſi cælauerit, erit quidem ſapiens, quia rei conſulet, ſed idem malus, quia fallet. Deinde, ſi reperiat hominem, qui aut aurum, pro aurichal, aut argentum pro plumbo uendat per errorem, atque id emere neceſ ſitas cogat, utrum diſſimulabit, & emet paruo, an potius indicabit? iuſtus utique dicetur, quia non fefellit, ſed idem ſtultus, qui alteri fecerit lucrum, ſibi damnum. ſed facile de damno eſt: quid ſi uita Lact.l.5.ca. 17.epit.c.1.

eius

eius in periculum ueniet, ut eum aliquando necesse sit, aut occupare, aut mori, quid faciet? Potest hoc euenire, ut naufragio facto inueniat aliquem imbecillum, tabulæ inhærentem: aut uicto exercitu fugiens, reperiat aliquem uulneratum, equo insidentem, utrum ne aut illum tabula, aut hunc equo deturbabit, ut ipse possit euadere? si uolet iustus esse, non faciet, sed idem stultus iudicabitur, qui, dum alterius uitæ parcit, suam perdet: si faciet, sapiens quidem uidebitur, quia sibi consulit, sed & idem malus, quia nocebit.

*

Lactan.l.5.c.12. Quæro, si duo sint, quorum alter optimus uir, æquissimus, summa iustitia, singulari fide, alter insigni scelere, & audacia, et si in eo sit errore ciuitas, ut bonũ illum uirum sceleratum, facinorosum, nefarium, putet, contra autem, qui sit improbissimus, existimet summa esse probitate, ac fide, proque hac opinione omnium ciuium, bonus ille uir uexetur, rapiatur, manus ei denique auferantur, effodiantur oculi, damnetur, uinciatur, uratur, exterminetur, egeat, postremo iure etiam optimo omnibus miserrimus esse uideatur: contra autem ille improbus laudetur, colatur, ab omnibus diligatur, omnes ad eum honores, omnia imperia, omnes opes, omnes denique copiæ conferantur: uir denique optimus omnium æstimatione, & dignissimus omni fortuna iudicetur, quis tandem erit tam demens, qui dubitet, utrum se esse malit?

*

Non.Famulatur. Est enim genus iniustæ seruitutis, cum ij sunt alterius, qui

qui sui possunt esse. cum autem hi famulantur.

*

Nam cum quæreretur ex eo, quo scelere compulsus mare haberet infestum uno myoparone, eodem, inquit, quo tu orbem terræ. Non. Infestũ mare. Myoparo.

*

Non grauarer Læli, nisi & hos uelle putarem, & ipse cuperem te quoque aliquam partem huius nostri sermonis attingere: præsertim cum heri dixeris, te nobis etiam superfuturum: uerum si id quidem fieri non potest, ne desis, omnes te rogamus. GELLIVS. l.1.c.22.

*

Est quidem uera lex recta ratio, naturæ congruens, diffusa in omnes, constans, sempiterna, quæ uocet ad officium iubendo, uetando a fraude deterreat, quæ tamen neque probos frustra iubet, aut uetat, nec improbos iubendo, aut uetando mouet. Huic legi nec obrogari fas est, neque derogari ex hac aliquid licet, neque tota abrogari potest. Nec uero aut per senatum, aut per populum, solui hac lege possumus. Neque est quærendus explanator, aut interpres eius alius: nec erit alia lex Romæ, alia Athenis, alia nunc, alia posthac. sed & omnes gentes, & omni tempore una lex, & sempiterna, & immortalis continebit, unusq; erit communis quasi magister, & imperator omnium Deus. ille legis huius inuentor, disceptator, lator, cui qui non parebit, ipse se fugiet, ac naturam hominis aspernabitur, hocq; ipso luet maximas pœnas, etiamsi cetera supplicia, quæ putantur, effugerit. Lactan. l.6. c. 8.

*

c Huic

*

Lactan. l.5.c.19. Huic tu uiro quas diuitias obiicies? quæ imperia? quæ regna? qui iſta omnia putat humana, ſua bona diuina iudicat.

*

Priſc.l.8. * quibus aſſentior ſolicitam & periculoſam iuſtitiam non eſſe ſapientis.

*

Non. Vbi genitiuus pro ablatiuo. Noſter autem populus ſociis defendendis, terrarum iam omnium potitus eſt.

*

Non. Largitas. * Pyrrhi ridetur largitas a cos. aut Samnitum copiæ Curio defuerunt.

*

Non. Apud de doct. ind. Cuius etiam focum Cato ille noſter, cum uenerat ad ſe in Sabinos, ut ex ipſo audiebamus, uiſere ſolebat, apud quem ſedens Samnitum, quondam hoſtium, tum iam clientium ſuorum, dona relegauerat.

*

Avgvst. l.22.c.6. ciuit. Nullum bellum ſuſcipitur a ciuitate optima, niſi aut pro fide, aut pro ſalute.

*

Aug. l.22. c.4. ciuit. * quorum nō corpora ſunt in cœlum elata. neque enim natura pateretur, ut id, quod eſſet de terra, niſi in terra maneret.

*

Auguſt. l.22. ca.6. ciuit. Magis eſt in Romulo admirandum, quòd ceteri, qui dii ex hominibus facti eſſe dicuntur, minus eruditis hominum ſæculis fuerunt, ut, fingendi procliuior eſſet ratio, cum imperiti facile ad credendum impellerentur. Romuli autem ætatem minus his

ſexcentis

ſexcentis annis, iam inueteratis litteris, atque doctrinis, omniq; illo antiquo ex inculta hominum uita errore ſublato, fuiſſe cernimus.

*

Ex quo intelligi poteſt, permultis annis ante Homerum fuiſſe, quàm Romulum, ut iam doctis hominibus, ac temporibus ipſis eruditis, ad fingendum uix quidquam eſſet loci. antiquitas enim recepit fabulas, fictas etiam nonnunquam incondite. Hæc ætas autem, iam exculta præſertim, eludens omne, quod fieri non poteſt, reſpuit. Aug. ibid.

*

Apud Ennium ſic loquitur Africanus: Lact. l. 5. ca. 19. Senec. l. 9. epiſt.

Si fas cedendo cœleſtia ſcandere cuiquam eſt,
Mi ſoli cœli maxima porta patet.

Eſt uero, inquit, Africane. nam & Herculi eadem ipſa porta patuit.

*

Hic eſt ille ſitus, cui nemo ciuis, neque hoſtis Seneca l. 19. ep.
Quiuit pro factis reddere operæprecium.

*

* tantum eſt conſequutus, ut, cum ſubito ſole obſcurato non comparuiſſet, deorum in numero collocatus putaretur, quam opinionem nemo unquam mortalis aſſequi potuit, ſine eximia uirtutis gloria. Au. l. 3. c. 15. ciuit.

*

Propterea & iſtum nõ creditum inter deos receptum tali morte, quia fortaſſe quod erat in Romulo probatum, Romani uulgare noluerunt, ſi hoc & alteri tribueretur. Aug. ibid.

*

*

Lact.l.5.c.19. Vult plane uirtus honorem, nec est uirtutis ulla alia merces, quam tamen illa accipit facile, exigit non acerbe: sed si aut ingrati uniuersi, aut inuidi multi, aut inimici potentes suis uirtutem præmijs spoliant, næ illa se {tamen} multis solatijs oblectat, maximeq; suo decore se ipsam sustentat.

*

Aug. l. 22. c. 6. ciuit. Sed his pœnis, quas etiam stultissimi sentiunt, egestate, exilio, uinculis, uerberibus, elabuntur sæpe priuati, oblata mortis celeritate. Ciuitatibus autem mors ipsa pœna est, quæ uidetur a pœna singulos uindicare. debet enim constituta sic esse ciuitas, ut æterna sit. Itaque nullus interitus est reipub. naturalis, ut hominis, in quo mors non modo necessaria est, uerum etiam optanda persæpe. Ciuitas autem cum tollitur, deletur, extinguitur, simile est quodammodo, ut magnis parua conferamus, ac si omnis hic mundus intereat, ac concidat.

*

Aug. l. 2. c. 21. ciuit. Resp. est res populi. Populus autem non omnis cœtus multitudinis, sed cœtus iuris consensu, & utilitatis communione sociatus.

*

Aug. l. 2. c. 21. Resp. res est populi, cum bene, ac iuste geritur, siue ab uno rege, siue a paucis optimatibus, siue ab uniuerso populo. cum uero iniustus est rex, quem tyrannum uoco, aut iniusti optimates, quorum consensus factio est, aut iniustus ipse populus, cui nomen usitatum nullum reperio, nisi ut etiam ipsum tyrannum appellem: non iam uitiosa, sed omnino nulla

nulla resp. est, quoniam non est res populi, cum tyrannus eam factio'ue capessat: nec ipse populus iam populus est, si sit iniustus, quoniam non est multitudo iuris consensu, & utilitatis communione sociata.

*

Vbi uero iustitia uera non est, nec ius potest esse. quod enim iure fit, profecto iuste fit. quod autem fit iniuste, nec iure fieri potest. non enim iura dicenda sunt, uel putanda, iniqua hominum constituta, cum illud etiam ipsi ius esse dicant, quòd de iustitiæ fonte manauerit, falsumq; sit, quod a quibusdam non recte sentientibus dici solet, id ius esse, quod ei, qui plus potest, utile est. AVGVST. li.29.c.21. ciuit.

*

An non cernimus optimo cuique dominatum ab ipsa natura cũ summa utilitate infimorum datum? Cur igitur deus homini, animus imperat corpori, ratio libidini, iracundiæq;, & ceteris uitiosis eiusdem animi partibus? Aug.l.4. contra Pelagiũ.

*

Sed & imperãdi, & seruiendi sunt dissimilitudines cognoscendæ. Nam, ut animus corpori dicitur imperare, dicitur etiam libidini, sed corpori, ut rex ciuibus suis, aut parens liberis, libidini autem, ut seruis dominus, quòd eam coercet, & frangit: sic regum, sic imperatorum, sic magistratuum, sic patrum, sic populorum imperia ciuibus, sociisq; præsunt, ut corporibus animus: domini autem seruos ita fatigant, ut optima pars animi, id est sapientia, eiusdem animi uitiosas, imbecillasq; partes, ut libidines, ut iracundias, Aug. ibid.

cundias, & perturbationes ceteras.

*

Non. Mercatura. Phœnices primi mercaturis, & mercibus suis auaritiam, & magnificentiam, & inexplebiles cupiditates omnium rerum exportauerunt in Græciam.

*

Non. Confidentia. * duas sibi res, quo minus in uulgus, & in foro diceret, confidentiam, & uocem defuisse.

*

Non. Proferre. Sapientia iubet proferre opes, amplificare diuitias.

*

Non. Periclum. * sed ut ipsi seu animum periclitentur, seu uideant, quid se putent esse facturos.

*

Non. Impigritas. Nunquam uiri fortissimi fortitudinis, impigritatis, patientiæ.

*

Prisc. l. 6. Quid ergo illa sibi uult absurda exceptio, nisi quis Athonem pro monumento uult funditus efficere? Quis enim est Athos, aut Olympus tantus?

*

Non. Vafrum. Non sunt in disputando uafri, non ueteratores, non malitiosi. *

M. Tullij Ciceronis de repub. lib. IIII.

*

Non. Vbi accusatiuus pro genitiuo. ATQVE ipsa mens, quæ futura uidet, præterita meminit.

*

Cumq;

*

Cumq; autumno terras ad concipiendas fruges patefecerit, hyeme ad concipiendas * relaxarit, a fistulæ maturitate alia mitigauerit, alia torruerit. Non. Mitis.

*

*eademq; obiectam uino, atque umbram noctemq; efficiat, cum ad numerum dierum aptam, tum ad laborum quietem. Non. Aptam.

*

Nec uoluntatem mihi defuisse, nec curam. Lact. opif. dei...

*

Nunquam comœdiæ, nisi consuetudo uitæ pateretur, probare sua theatris flagitia potuissent. Aug l. 2. c. 9. ciuit.

*

Quem illa non attigit, uel potius quem non uexauit, cui pepercit? esto: populares homines, improbos, in rep. seditiosos Cleonem, Cleophontem, Hyper bolum læsit. patiamur: etsi huiusmodi ciues a censore melius est, quàm a poeta notari. sed Periclem, cum iam suæ ciuitati maxima auctoritate plurimos annos domi & belli præfuisset, uiolari uersibus, & eos agi in scena, non plus decuit, quàm si Plautus noster uoluisset, aut Næuius, P. & Cn. Scipioni, aut Cæcilius, M. Catoni maledicere. August. ibid.

*

Nostræ contra XII tabulæ cum perpaucas res capite sanxissent, in his hanc quoque sanciendam putaue runt, si quis occentauisset, siue carmen condidisset, quod infamiam faceret, flagitium'ue alteri: præclare. iudiciis enim ac magistratuum disceptationibus legitimis propositam uitam, non poetarum ingeniis, Aug. 16.

geniis, habere debemus, nec probrum audire, nisi ea lege, ut respondere liceat, & iudicio defendere.

*

Aug. l. 2. c. 10. ciuit.

Aeschines Atheniensis, uir eloquentissimus, cum adolescens tragœdias actitauisset, remp. capessiuit, & Aristodemum tragicum item actorem, maximis de rebus pacis ac belli, legatum ad Philippum Athenienses sæpe miserunt.

*

Aug. l. 2. c. 12. ciuit.

* probris & iniuriis poetarum subiectam uitam, famamq; habere noluerunt, capite etiam puniri sancientes, tale carmen condere si quis auderet.

*

Aug. l. 2. c. 13. ciuit.

* cum artem ludicram, scenamq; totam in probro ducerent, genus id hominum non modo honore ciuium reliquorum carere, sed etiam tribu moueri, notatione censoria, uoluerunt.

*

Aug. l. 2. c. 14. ciuit.

Ad quos cum accessit clamor, & approbatio populi, quasi magni cuiusdam, & sapientis magistri, quas illi obducunt tenebras? quos inuehunt metus? quas inflammant cupiditates?

*

Non. Fingere.

Ego uero eodem, quò ille Homerum redimitum coronis & delibutũ unguentis emittit ex ea urbe, quam ipse sibi fingit.

*

Marcel. l. 30.

Cumq; nihil tam incorruptũ esse debeat in rep. quàm suffragium, quàm sententia, non intelligo cur, qui ea pecunia corruperit, pœna dignus sit, qui eloquentia, laudem etiam ferat. Mihi quidem hoc

plus

plus mali facere uidetur, qui oratione, quàm qui pretio iudicem corrumpit, quòd pecunia corrumpere prudentem nemo poteſt, dicendo poteſt.

*

* Sed iuuentuti noſtræ minime audiendus. Quippe ſi ita ſenſit, ut loquitur, eſt homo impurus, ſin aliter, quod malo, oratio eſt tamen immanis. Non. impurus. Non. Immanis.

*

Cenſoris iudicium nihil fere damnato affert, niſi ruborem. Itaque quod omnis ea iudicatio uerſatur tantummodo in nomine, animaduerſio illa ignominia dicta eſt. Non. Ignominia.

*

Néc uero mulieribus præfectus reponatur, qui apud Græcos creari ſolet, ſed ſit cenſor, qui uiros doceat moderari uxoribus. Non. Vbi datiuus pro accuſatiuo.

*

Magnam habet uim diſciplina uerecundiæ. cauent temeto omnes mulieres. Non. Temolenta.

*

* atque etiam ſi qua erat famoſa, ei cognati oſculum non ferebant. Non Fama.

*

Non modo ut Spartæ, rapere ubi pueri, & clepere diſcunt. Non. Clepere.

*

Apud Græcos opprobrio fuit adoleſcentibus, ſi amatores non haberent. Seruius.

*

* admiror, nec rerum ſolum, ſed uerborũ etiam elegantiam, SI IVRGANT (inquit) beneuolorum concertatio, non lis inimicorum, iurgium dicitur. Non. Iurgium a l. te.

d

dicitur.

*

Non. Ibidem. Iurgare igitur lex putat inter se uicinos, non litigare.

*

Non. Petulantia. Procacitas. Itaque a petendo petulantia, a procando, id est, poscendo procacitas nominata est.

*

Non. Fides. Fides enim nomen ipsum mihi uidetur habere, cum fit, quod dicitur.

*

Non. Blandimentum. In ciue excelso, atque homine nobili, blanditiam, ostentationem, ambitionem, notam esse leuitatis.

*

Non. Portitor. Nolo enim eundum populum imperatorem, & portitorem esse terrarum. optimum autem, & in priuatis familiis, & in repub. uectigal duco esse parsimoniam.

*

Non. Pecuda. * cum adhibent in pecuda pastores.

*

Non. Excipere. * quos insepultos reliquissent, eos, quos ex mari propter uim tempestatis excipere non potuissent, innocentes necauerint.

*

Non. Proprium. Et noster Plato magis etiam, quàm Lycurgus, omnia qui prorsus iubet esse communia, ne quis ciuis propriam, aut suam rem ullam queat dicere.

*

Non. de doctr. ind. Nec in hac dissensione suscepi populi causam, sed bonorum.

*

Cui

Cui quidem utinam uere fideliter abundante augura uerim. Non. Auguro.

*

* eosdem terminos hominum curæ, atque uitæ, sic pontificio iure sanctitudo sepulturæ. Non. Sanctitudo.

*

Non enim facile ualenti populo resistitur, si aut nihil impertias iuris, aut parum. Prisc. l. 15.

*

Brachialia. Prisc. carm.

*

* armentum habeo. Prisc. sup. 12. uers.

*

M. Tullij Ciceronis de repub. lib. V.

*

Ennius: Aug. l. 2. c. 21. ciuit.

Moribus antiquis res stat Romana, uirisque.

Quem quidem ille uersum, uel breuitate, uel ueritate, tanquam ex oraculo mihi quodam esse effatus uidetur. nam neque uiri, nisi ita morata ciuitas fuisset, neque mores, nisi hi uiri præfuissent, aut fundare, aut tam diu tenere potuissent tantam, & tam iuste, lateq; imperantem remp. Itaq; ante nostram memoriam & mos ipse patrius præstātes uiros adhibebat, & ueterum morem ac maiorum instituta, retinebant excellentes uiri. nostra uero ætas, cum remp. sicut picturam accepisset egregiam, sed iam

euanescentem uetustate, non modo eam coloribus ijsdem, quibus fuerat, renouare neglexit, sed ne id quidem curauit, ut formam saltem eius, & extrema tanquam lineamenta seruaret. quid enim manet ex antiquis moribus, quibus ille dixit rem stare Romanam? quos ita obliuione obsoletos uidemus, ut non modo non colantur, sed etiam ignorentur? Nam de uiris quid dicam? mores enim ipsi interierunt uirorum penuria. cuius tanti mali non modo reddenda ratio nobis, sed etiam tanquam rei capitis, quodammodo dicenda causa est. nostris enim uitiis, non casu aliquo rempub. uerbo retinemus, reapse uero iampridem amisimus.

*

Cic. 8. Atticum. Vt enim gubernatori cursus secundus, medico salus, imperatori uictoria, sic huic moderatori reip. beata ciuium uita proposita est, ut opibus firma, copiis locuples, gloria ampla, uirtute honesta sit. huius enim operis maximi inter homines, atque optimi illum esse effectorem uolo.

*

Diomed. li. I. * excellunt.

*

Non. Contemptio. Quæ uirtus fortitudo uocatur, in qua est magnitudo animi, mortis dolorisq; magna contemptio.

*

Non. Lentum. Marcellus ut acer, & pugnax. Maximus, ut consideratus, & lentus.

*

Non. Vbi nominatiuus uel. Sed tamen ut bono patrifamilias colendi, ædificandi, ratiocinandi quidam usus opus est.

Menelao.

*

Menelao Laconi quædam fuit suauiloquens iucunditas. Gell.l.12. ca. 2.

*

Breuiloquentiam in dicendo colat. Gell.ibid.

*

Quæ cum Scipio dixisset, admodum probans. nimis enim erat odio rhetorum imbutus. Non. Imbuere.

*

Qui comperit eius uim, & effrenatam illam ferociam. Non. Ferocia.

*

*orbi terrarum comprehensos. Caris.

*

*quod molestias senectutis suæ uestris familiis impertire posset. Non. Impertire.

*

M. Tullij Ciceronis de rep. lib. VI.

*

TOTAM igitur expectas prudentiam huius rectoris, quæ ipsum nomen hoc nacta est ex prouidẽdo. Non. Prudentia.

*

Qui numero optimatum, & principum obtulit his uocibus, & grauitatis suæ liquit illum tristem, & plenum dignitatis sonum. Non. Tristis.

*

Graues enim dominæ cogitationum libidines infinita quædam cogunt atque imperant: quæ quia expleri Non. Expleri a satiari.

pleri atque satiari nullo modo possunt, ad omne facinus impellunt eos, qui illecebris suis incenduntur.

*

Non. Samium. Oratio extat Lælii, quam omnes habemus in manibus, quàm simpuuia pontificum diis immortalibus grata sint, Samiæque, ut hic scribit, capedines.

*

Non. Firmiter. Priscianus. Firmiter enim maiores nostri stabilita matrimonia esse uoluerunt.

*

Non. Comparare. Quamobrem se comparet hic ciuis ita necesse est, ut sit contra hæc, quæ ciuitatis statum peruertunt, semper armatus.

*

Non. Seditio. Eaq; dissensio ciuium, quòd seorsum eunt alii ad alios, seditio dicitur.

*

Non. de doctr. ind. Et uero in dissensione ciuili, cũ boni plus, quàm multi ualent, expendendos ab his, non numerandos puto.

*

Gell. l. 6. c. 16 Quod quidem eo fuit maius, quia cum in causa pari collegæ essent, non modo inuidia pari non erant, sed etiam Claudii inuidiam Gracchi caritas deprecabatur.

Non. Deprecari.

*

Non. Mactare. Ferunt hoc laudibus, mactant honoribus.

*

Avgvst. l. 5. c. 13. ciuit. Alendus hic est gloria.

*

*in his

*

* in his, ut meministis, concursu leuissimæ multitudinis ære congesto funus desubito esset ornatũ. Non. Desubito.

*

Vt quemadmodum scribit ille, quotidiano in forum mille hominum cum palliis conchylio tinctis descenderent. Non. Vbi genitiuus pro nominatiuo.

*

Sed quanquam sapientibus conscientia ipsa factorum egregiorum amplissimum uirtutis præmium est, tamen illa diuina uirtus non statuas plumbo inhærentes, nec triumphos arescentibus laureis, sed stabiliora quædam, & uiridiora præmiorum genera desiderat. Quæ tandem ista sunt? inquit Lælius. tum Scipio, Patimini me, (inquit) quoniam tertium diem feriati sumus. Macr. l. 1. Som.

*

Cum in Africam uenissem, M. Manilio cos. ad quartam legionem tribunus (ut scitis) militum, nihil mihi potius fuit, quàm ut Masinissam conuenirem, regem familiæ nostræ iustis de causis amicissimũ. ad quem ut ueni, complexus me senex collachrymauit, aliquantoq; post suspexit in cœlũ, &, Grates, inquit, tibi ago summe sol, uobisq; reliqui cœlites, quòd antequã ex hac uita migro, conspicio in meo regno, & his tectis P. Cornelium Scipionem, cuius ego nomine ipso recreor. Ita nunquam ex animo meo discedit illius optimi atque inuictissimi uiri memoria. Deinde ego illum de suo regno, ille me de nostra R. P. percunctatus est, multisq; uerbis ultro citroq; habitis, ille nobis consumptus est dies. Macrobius.

Post

Post autem regio apparatu accepti, sermonem in multā noctem produximus, cum senex nihil nisi de Africano loqueretur, omniaq; eius non solum facta, sed etiam dicta meminisset. Deinde ut cubitum discessimus, me, & fessum de uia, & qui ad multam noctem uigilassem, arctior quàm solebat somnus amplexus est. Hic mihi (credo equidem, ex hoc quod eramus locuti: fit enim fere, ut cogitationes, sermonesq; nostri pariant aliquid in somno tale, quale de Homero scribit Ennius, de quo uidelicet sæpissime uigilans solebat cogitare, & loqui) Africanus se ostendit illa forma, quæ mihi ex imagine eius, quàm ex ipso, erat notior. Quem ut agnoui, equidem cohorrui. Sed ille, ades, inquit, animo, & omitte timorem Scipio, &, quæ dicam, trade memoriæ. Vides'ne illam urbem, quæ parere P. Ro. coacta per me, renouat pristina bella, nec potest quiescere? (ostendebat autem Carthaginem de excelso, & pleno stellarum, illustri & claro quodam loco) ad quam tu oppugnandam nunc uenis pene miles: hāc hoc biennio consul euertes, eritque cognomen id tibi per te partum, quod habes ex nobis adhuc hereditarium. Cum autem Carthaginem deleueris, triumphum egeris, censorq; fueris, & obieris legatus Aegyptum, Syriam, Asiam, Græciam, deligêre iterum absens consul, bellumq; maximum conficies, Numantiam excindens.

Sed, cum eris curru Capitolium inuectus, offendes remp. perturbatam consiliis nepotis mei. Hic tu Africane ostendas oportebit patriæ lumen animi, ingenij, consilijq; tui. Sed eius temporis ancipitem

tem uideo quasi fatorum uiam. Nam cum ætas tua septenos octies solis anfractus, reditusq; conuerterit, duoq; hi numeri, quorum uterque plenus, alter altera de causa habetur, circuitu naturali summam tibi fatalem confecerint, in te unum atque tuum nomen se tota conuertet ciuitas; te senatus, te omnes boni, te socii, te Latini intuebuntur. tu eris unus, in quo nitatur ciuitatis salus. Ac ne multa: dictator remp. constituas oportet, si impias propinquorum manus effugeris. Hic cum exclamasset Lælius, ingemuissentq; ceteri uehementius, leniter arridens Scipio, quæso inquit, ne me e somno excitetis: & pax sit rebus. audite cetera. Sed quo sis Africane alacrior ad tutandam rempub. sic habeto, omnibus, qui patriam conseruauerint, adiuuerint, auxerint, certum esse in cœlo, ac definitum locum, ubi beati æuo sempiterno fruantur. Nihil est enim illi principi deo, qui omnem hunc mundum regit, quod quidem in terris fiat acceptius, quàm concilia, cœtusq; hominum iure sociati, quæ ciuitates appellantur. harum rectores & conseruatores hinc profecti huc reuertentur. Hic ego, etsi eram perterritus non tam metu mortis, quàm insidiarũ a meis, quæsiui tamen, uiueret'ne ipse pater Paullus, & alii, quos nos extinctos arbitremur. Immo uero, inquit, hi uiuunt, qui ex corporum uinculis tanquam e carcere euolauerunt. Vestra uerò, quæ dicitur uita, mors est. Quin tu aspicias ad te uenientem Paullum patrem. quem ut uidi, equidem uim lachrymarum profudi. Ille autem me amplexus atque osculans flere prohibebat. Atque ego ut pri-

mum fletu repressо loqui posse cœpi, quæso, inquam, pater sanctissime, atque optime, quoniam hæc est uita, (ut Africanum audio dicere) quid moror in terris, quin huc ad uos uenire propero? Non est ita, inquit ille. Nisi enim deus is, cuius hoc templum est omne quod conspicis, istis te corporis custodiis liberauerit, huc tibi aditus patere non potest. Homines enim sunt hac lege generati, qui tuerentur illum globum, quem in hoc templo medium uides, quæ dicitur terra. Hisq; animus datus est ex illis sempiternis ignibus, quæ sidera & stellas uocatis, quæ globosæ & rotundæ, diuinis animatæ mentibus, circulos suos orbesq; conficiunt celeritate mirabili. Quare & tibi Publi, & piis omnibus retinendus est animus in custodia corporis, nec iniussu eius, a quo ille est uobis datus, ex hominum uita migrandum est, ne munus humanum assignatum a Deo defugisse uideamini. Sed sic Scipio, ut auus hic tuus, ut ego, qui te genui, iustitiam cole, & pietatem, quæ cum sit magna in parentibus, & propinquis, tum in patria maxima est: quia ea uita uia est in cœlum, & in hunc cœtum eorum, qui iam uixerunt, & corpore laxati illum incolunt locum, quem uides. Erat autem is splendidissimo candore inter flammas circulus elucens, quem uos (ut a Graiis accepistis) orbem lacteum nuncupatis. Ex quo omnia mihi contemplanti præclara cetera & mirabilia uidebantur. Erant autem eæ stellæ, quas nunquam ex hoc loco
Prisc.l.3. uidimus, & eæ magnitudines omnium quas esse nunquam suspicati sumus: ex quibus erat illa minima,

nima, quæ ultima cœlo, citima terris luce lucebat aliena. ſtellarum autem globi terrarum magnitudinem facile uincebant. Iam uero ipſa terra ita mihi parua uiſa eſt, ut me imperij noſtri, quo quaſi eius punctum attingimus, pœniteret. Quam cum magis intuerer, quæſo, inquit Africanus quouſque humi defixa tua mens erit? num ne aſpicis quæ in templa ueneris? nouem tibi orbibus, uel potius globis conuexa ſunt omnia, quorum unus eſt cœleſtis extimus, qui reliquos omnes complectitur, ſummus ipſe deus, arcens & continens ceteros: in quo infixi ſunt illi, qui uoluuntur, ſtellarum curſus ſempiterni, cui ſubiecti ſunt ſeptem qui uerſantur retro contrario motu atque cœlum. Ex quibus unum globum poſſidet illa, quam in terris Saturniam nominant. deinde eſt hominum generi proſperus & ſalutaris ille fulgor, qui dicitur Iouis. tum rutilus, horribiliſque terris, quem Martem dicitis, ſubter mediã fere regionem Sol obtinet, dux & princeps, & moderator luminũ reliquorum, mens mundi, & temperatio, tanta magnitudine, ut cuncta ſua luce luſtret, & compleat. Hunc ut comites conſequuntur, alter Veneris, alter Mercurii curſus. In infimoq; orbe Luna radiis Solis accenſa conuertitur. Infra autem iam nihil eſt niſi mortale, & caducum, præpter animos generi hominum munere deorum datos. ſupra Lunam ſunt omnia æterna. Nam ea quæ eſt media, & nona, tellus, neque mouetur, & infima eſt, & in eam feruntur omnia ſuo nutu pondera. Quæ cum intuerer ſtupens, ut me recepi, quis hic inquam, quis eſt, qui complet aures meas, tan-

Priſc. l 6.

tus & tam dulcis sonus? Hic est, inquit ille, qui interuallis coniunctus imparibus, sed tamen pro rata portione distinctis, impulsu & motu ipsorum orbium efficitur, qui acuta cum grauibus temperans, uarios æquabiliter concentus efficit. nec enim silentio tanti motus incitari possunt. & natura fert, ut extrema ex altera parte grauiter, ex altera autem acute sonent. Quam ob causam summus ille, cœli stelliferi cursus, cuius conuersio est concitatior, acuto & excitato mouetur sono, grauissimo autem hic lunaris, atque infimus. Nam terra nona immobilis manens, ima sede semper hæret, complexa medium mundi locum. Illi autem octo cursus, in quibus eadem uis est duorum, Mercurij & Veneris, modorum septem efficiunt distinctos interuallis sonos, qui numerus rerum omnium fere nodus est. quod docti homines neruis imitati atque cantibus, aperuere sibi reditum ad hunc locum: sicut alij, qui præstantibus ingeniis in uita humana diuina studia coluerunt. Hoc sonitu completæ aures obsurduerunt. nec est ullus hebetior sensus in uobis, sicut in illis, ubi Nilus ad illa, quæ catadupa nominantur, præcipitat ex altissimis montibus, ea gens, quæ illum locum accolit, propter magnitudinem sonitus sensu audiendi caret. Hic uero tantus est totius mundi incitatissima conuersione sonitus, ut cum aures hominum capere non possint. sicut intueri solem nequitis aduersum, eiusq; radiis acies uestra, sensusq; uincitur. Hæc ego admirans, referebam tamen oculos ad terrã identidem. Tum Africanus inquit: Sentio te sedem etiam nunc hominũ conten-

contemplari, ac domum. quæ si tibi parua (ut est) ita uidetur, hæc cœlestia semper spectato, illa humana contemnito. Tu enim quam celebritatem sermonis hominum, aut quam expetendam gloriam consequi potes? Vides habitari in terra raris, & angustis in locis, & in ipsis quasi maculis, ubi habitatur, uastas solitudines interiectas: hosque, qui incolunt terram, non modo interruptos ita esse, ut nihil inter ipsos ab aliis ad alios manare possit, sed partim obliquos, partim transuersos, partim etiam aduersos stare uobis, a quibus sperare gloriam certe nullam potestis. Cernis autem terrã eandem, quasi quibusdam redimitam & circundatam cingulis, e quibus duos maxime inter se diuersos, & cœli uerticibus ipsis ex utraque parte subnixos obriguisse pruina uides; medium autem illum, & maximum solis ardore torreri. Duo sunt habitabiles, quorum Australis ille, in quo qui insistunt, ad uersa uobis urgent uestigia, nihil ad uestrũ genus. Hic autem alter subiectus Aquiloni, quem incolitis; cerne quàm uos tenui parte contingat. Omnis enim terra, quæ colitur uobis, angusta uerticibus, lateribus latior, parua quædam insula est, circumfusa illo mari, quod Atlanticũ, quod magnum, quod Oceanum appellatis in terris, qui tamen, tanto nomine, quàm sit paruus, uides. Ex his ipsis cultis, notisq; terris, num aut tuum, aut cuiusquam nostrum nomen, uel Caucasum hunc, quem cernis, transcendere potuit, uel illum Gangem transnare. Quis in reliquis orientis, aut obeuntibus solis ultimis, aut Aquilonis, Austriue partibus tuum nomen audiet?

quibus

quibus amputatis, cernis profecto quantis in angustiis uestra gloria se dilatari uelit. ipsi autem, qui de uobis loquuntur, quàm diu loquentur? quin etiam si cupiat, proles illa futurorum hominum, deinceps laudes uniuscuiusque nostrum à patribus acceptas posteris prodere, tamen propter eluuiones, exustiones q; terrarum, quas accidere tempore certo necesse est, non modo non æternam, sed ne diuturnam quidem gloriam assequi possumus. Quid autem interest, ab his, qui postea nascentur, sermonem fore de te, cum ab his nullus fuerit, qui ante nati sint? qui nec pauciores, & certe meliores fuerunt uiri, cum præsertim apud eos ipsos, a quibus nomen nostrum potest audiri, nemo unius anni memoriam consequi possit. homines enim populariter annum tantummodo solis, idest unius astri reditu metiuntur. cum autem ad idem, unde semel profecta sunt, cuncta astra redierint, eandemq; totius cœli descriptionem longis interuallis retulerint, tum ille uere uertens annus appellari potest, in quo uix dicere audeo quàm multa sæcula hominum teneantur. Nanque ut olim deficere sol hominibus extinguiq; uisus est, cum Romuli animus hæc ipsa in templa penetrauit, ita quandocunque eadem parte sol, eodemq; tempore iterum defecerit, tum signis omnibus ad idem principium stellisq; reuocatis, expletum annum habeto. Huius quidem anni nondum uigesimam partem scito esse conuersam. Quocirca si reditum in hunc locum desperaueris, in quo omnia sunt magnis & præstantibus uiris, quanti tandem est ista hominum gloria, quæ pertinere uix ad

unius

unius partem anni exiguam poteſt? igitur alte ſpectare ſi uoles, atque ad hanc ſedem & æternam domum cõtueri, neque ſermonibus uulgi dederis te, nec in præmiis humanis ſpem poſueris rerum tuarum, ſuis te illecebris oportet ipſa uirtus trahat ad uerum decus. Quid de te alii loquantur, ipſi uideant, ſed loquentur tamen. Sermo autem omnis ille & anguſtiis cingitur his regionum, quas uides, nec unquam de ullo perennis fuit, & obruitur hominum interitu, & obliuione poſteritatis extinguitur. Quæ cum dixiſſet, ego uero, inquam, o Africane, ſi quidem bene meritis de patria quaſi limes ad cœli aditum patet, quanquam a pueritia ueſtigiis ingreſſus patris & tuis, decori ueſtro non defui, nunc tamen tanto præmio propoſito enitar multo uigilantius. Et ille. Tu uero enitere, & ſic habeto, te non eſſe mortalem, ſed corpus hoc. nec enim is es, quem forma iſta declarat, ſed mens cuiuſque is eſt quiſq;, non ea figura, quæ digito demõſtrari poteſt. Deum te igitur ſcito eſſe: ſi quidem deus eſt, qui uiget, qui ſentit, qui meminit, qui præuidet, qui tam regit, & moderatur, & mouet id corpus, cui præpoſitus eſt, quàm hunc mundum princeps ille deus: & ut ipſe mundum ex quadam parte mortalem, ipſe deus æternus, ſic fragile corpus animus ſempiternus mouet. nam quod ſemper mouetur, æternum eſt, quod autem motum affert alicui, quod ipſum agitatur aliunde, quando finem habet motus, uiuendi finem habeat neceſſe eſt. Solum igitur quod ſeſe mouet, quia nunquam deſeritur a ſe, nunquam ne moueri quidem deſinit: quin etiam ceteris, quæ

mouentur, hic fons, hoc principium eſt mouendi. principio autem nulla eſt origo. nam ex principio oriuntur omnia. ipſum autem nulla ex re fieri poteſt. Nec enim eſſet hoc principiũ, quod gigneretur aliunde. Quod ſi nunquam oritur, nec occidit quidem unquam. Nam principium extinctum nec ipſum ab alio renaſcetur, nec ex ſe aliud creabit. Siquidem neceſſe eſt a principio omnia oriri. Ita fit, ut motus principium ex eo ſit, quod ipſum a ſe mouetur. Id autem nec naſci poteſt, nec mori; uel concidat omne cœlum, omniſq; natura conſiſtat neceſſe eſt, nec uim ullam nanciſcatur, qua primo impulſu moueatur. Cum pateat igitur æternum id eſſe, quod a ſe ipſo moueatur, quis eſt hic, qui hanc naturam animis eſſe tributam neget? Inanimatum eſt enim omne, quod impulſu agitatur externo. Quod autem anima eſt, id motu cietur interiore, & ſuo. Nam hæc eſt natura propria animæ, atque uis: quæ ſi eſt una ex omnibus, quæ ſeſe moueat, neque nata eſt certe, & æterna eſt. Hanc tu exerce in optimis rebus. Sunt autem optimæ curæ de ſalute patriæ: quibus agitatus & exercitatus animus uelociter in hanc ſedem, & domum ſuam peruolabit. idq; ocyus faciet, ſi iam tum, cum erit incluſus in corpore, eminebit foras, & ea, quæ extra erunt, contemplans, quammaxime ſe a corpore abſtrahet. Nam eorum animi, qui ſe corporis uoluptatibus dediderunt, earumque quaſi ſe miniſtros præbuerunt, impulſuq; libidinum uoluptatibus obedientium, deorum & hominum iura uiolauerunt, corporibus elapſi circa terram ipſam uolu

tantur

tantur, nec in hunc locum, nisi multis exagitati sæculis, reuertuntur. Ille discessit: ego somno statim solutus sum.

M. Tullij Ciceronis de iure ciuili.

*

ALIQVO excellente, ac nobile uiro. Caris.

*

Nec uero scientia iuris maioribus suis Q. Aelius Tubero defuit, doctrina etiam superfuit. GELLIVS li. 1. c. 22.

*

M. Tullij Ciceronis de auguriis.

*

AVI incerta. Vtrunque ex Carisio.

*

Oscinis.

M. Tullij Ciceronis de philosophia liber, siue Hortensius.

*

* Et Paullum Marcelli occupauisse. Non. Occupare.

*

f Quod

*

Non. Annuere. Quod cum uterque nostrum annuisset, omnesq; ad id tempus, quod erat dictum, postero die uenissemus.

*

Fronto. * Lucullo quidem noster aduentus, & gratus & iucundus fuisse.

*

Fronto. Hic primum Catulus delectatus ipso loco.

*

Non. Inanima. Nam cum omnis solertia admiranda est, tum ea, quæ efficit, ut, inanima quæ sunt, uiuere, & spirare uideantur.

*

Non. Efferre. * præter ceteras nostra extulit ciuitas.

*

Non. Lentus. * hunc Crassum, qui lentus (ut scitis) dicere solebat, ad imitationem quasi nostri generis contendisse.

*

Non. Imbuere. Sufficere. Vt ij, qui purpuram uolunt, sufficiunt prius lanam medicamentis quibusdam, sic litteris, talibusq; doctrinis ante excoli animos, & ad sapientiam concipiendam imbui, & præparari decet.

*

Non. Subigere. Seges. Vt enim segetes agricolæ subigunt aratris multo ante quàm serant.

*

Non. Graue. Non. Acre. Non. mite. Quid enim aut Herodoto dulcius, aut Thucydide grauius, aut Philisto breuius, aut Theopompo acrius, aut Theophrasto mitius inueniri potest?

Vnde

*

Vnde autem facilius, quàm ex annalium monumentis, aut res bellica, aut omnis reip. disciplina cognoscitur? unde ad agendum, aut dicendum copia depromi maior grauissimorum exemplorum, quasi incorruptorum testimoniorum, potest? Non. Cognoscere. Non. Graue.

*

Perge quæso: nec enim imperite exorsus es. Non. Exorsum.

*

Magna etiam animi contentio adhibenda est, explicando Aristotelem si legeris. Non. Contendere.

*

Sed ad extremum pollicetur probaturum quæ se ipsa comest, quod efficit dialecticorum ratio. Nonivs. Comest.

*

Quæro enim, non quibus intendam rebus animum, sed quibus relaxem, & remittam. Non. Relaxo. Remitto.

*

Quando philosophi esse cœperunt? Thales, ut opinor, primus, recens hæc quidem ætas. Lactant. l. 3. c. 15.

*

Id enim est sapientis prouidere, ex quo sapientia est appellata prudentia. Aug. l. 3. contra Acad.

*

Epicuri plures uolunt esse cœlos. Seruius.

*

Itaque tunc Democriti manus urgebatur, est enim non magna. Non. Vrgeo.

*

* annum magnum esse uoluerunt omnibus planetis in eundem recurrentibus locum, quod fit XII Seruius in I. & 2. Aen.

 millia

millia nongentos quinquaginta quattuor annos.

*

AVGVST. l. 13. c. 4. trin. Beati certe omnes esse uolumus.

*

Non. Differre. Quantum inter se homines studentes moribus & omni uitæ ratione differant.

* *

Non. Præfractum. Hic contrarius Aristo Chius, præfractus, ferreus, nihil bonum, nisi quod rectum & honestum est.

*

AVGVST. l. 13. c. 5. tri. Ecce autem non philosophi quidem, sed prompti tamen ad disputandum homines, omnes aiunt esse beatos, qui uiuant, ut ipsi uelint. Falsum id quidem. Velle enim quod non deceat, id ipsum miserrimum est: nec tam miserum est non adipisci quod uelis, quàm adipisci uelle quod non oporteat.

*

Lactant. l. 1. ca. 7. Si deus unus est, quæ esse beata solitudo queat.

*

Non. Præcipere. Præcipiunt hoc isti, & facit nemo.

*

Lact. l. 3. c. 16. Profecto omnis istorum disputatio, quanquam uberrimos fontes uirtutis,& scientiæ contineat,tamẽ,collata cum horum actis,perfectisq; rebus,uereor ne tantum uideatur attulisse negotijs hominum quandam oblectationem otii.

*

Non. Lautum. Quæ est igitur philosophia Socrate, nec dubito,qui quæcunque sit lautitia, qui uictum elegantem magnifice, neque minus quàm deceret, colere instituisset.

*

Vidi

*

Vidi in dolore podagræ nihilo ipsum, uel omnium maximum Stoicorum Possidonium, quàm Nicomachum Tyrium, hospitem meum, fortiorem. Non de doctr.ind.

*

* eloquentiam tueri, quam tu in cœlum Hortensi, credo, ut ipse cum ea simul ascenderes, sustulisses. Non. Sublatum.

*

Tu me & alias nonnunquam, & paullo ante adhortatus es, aliorum facta & euenta conquiram. Non. Euentus.

*

Qui cum hodie bellum cum mortuo gerant. Fronto.

*

Quare uelim dari mihi, Luculle, iubeas indicem tragicorum, ut sumam, qui forte mihi desunt. Non. Sumo.

*

Facessant igitur omnes, qui docere nihil possunt, quo melius, sapientiusq; uiuamus. Non. Facesse.

*

* prudentiæ partes sunt, memoria, intelligentia, prouidentia. AVGVST. li. 14. c. 11. trin.

*

Si nobis, cum ex hac uita migrauerimus, in beatorum insulis immortale æuum, ut fabulæ ferunt, degere liceret, quid opus esset eloquentia? cum iudicia nulla fierent: aut ipsis etiam uirtutibus? nec enim fortitudinis egeremus, nullo proposito aut labore, aut periculo: nec iustitia, cum esset nihil, quod appeteretur alieni: nec temperantia, quæ regeret eas, quæ nullæ essent, libidines: nec prudentiæ quidem egeremus,

remus, nullo delectu proposito bonorum, & malorum. Vna igitur essemus beati cognitione naturæ, & scientia, quæ sola etiam deorum est uita laudanda. Ex quo intelligi potest, cetera necessitatis esse, unū hoc uoluptatis.

*

Non. Capere. * deinde boni mores, & modestiores, & ad capienda præcepta molliores.

*

Non. Aptum Altera est nexa cum superiore, & inde apteque pendens.

*

Non. Spectare. * Cœli signorum admirabilem ordinem, insatiabilemq; pulchritudinem magis spectant.

*

Aug. l. 4. ca. 15. ciuit. * Vt easdem tenebras efficiat, quas effecit in interitu Romuli, qui in obscuratione solis factus est.

*

NONIVS. Increpito. Tu ne pseudomenos, & soritam, & totam dialecticam aut illudis, aut increpas.

*

Non. Pressum. Quis te aut est, aut fuit unquam in partiundis rebus, in definiendis, in explanandis pressior?

*

Lact. l. 6. c. 2. Malo uel unum paruum de officio libellum, quàm longam orationem pro seditioso homine Cornelio.

*

Non. Conuenire. Nam quod uereris, ne non conueniat nostris ætatibus ista oratio, quæ spectat ad hortandum.

*

Non. Cædere. Aut tibi id ipsum peruertendum fuit, quod tu ne attigisti

gisti quidem: aut qua si eius partes, membra quædam, cædendæ.

*

Quid tu, inquam, soles, cum rationem ab dispensatore accipis, si æra singula probasti, summam, quæ ex his confecta sit, non probare? Non. Aera.

*

Itaque tibi concedo, quod in duodecim scriptis solemus, ut calculum reducas, si te alicuius dati pœnitet. Non. Scrita.

*

Quare egredere quæso, & gratificare reipub. Non. Gratificari.

*

* nihil tamen esse, in quo se animus excellens tollat. Non. Tollere.

*

Captum me fortasse, inquit, tu putas, & id quod nollem, confiteri coactum. Non. Capere.

*

An cum uideat me, & meos comites, fortitudinem, magnitudinem animi, patientiam, constantiam, grauitatem, fidem, ipsa se subducat? Non. Subducere.

*

* ut ait Ennius: Refugiat timido sanguen, atque exalbescat metu. Prisc. l. 6.

*

Itaque nec in philosophia cuiquam cessit, & uitæ grauitate præstitit. Non. Præstare.

*

* magnitudo animi, patientia laborum, mortis denique contemptio. * Non. Contemptus.

*

Non. Detrahere. * ut ea ſibi ratio uera reſtituat, quæ conſuetudo uitioſa detraxerit.

*

Non. Deſpicere. Conſolabitur eum magnitudo animi, & humanarum opinionum alta quædam deſpectio.

*

Non. Deductum. Habet enim ipſam certã definitam uiam, & ex ea multis uitiis, & erroribus deprauata deducitur.

*

Non. Vindicare. * deinde imitator, ut ſibi quidem uidetur, naturæ mos uindicat.

*

Non. Exulcare. Imbecillis autem eſt pudoris magiſter timor, qui ſi quando paululum aberrauerit, ſpe impunitatis exultat.

*

SERVIVS in 9. Aen. Sufficit ad gloriam benefacti conſcientia.

*

NONIVS Redundo. Tum intelligas, quàm illud non ſit neceſſarium, quod redundat.

*

Non. Gliſco. * ad iuuenilem libidinem. Copia uoluptatum gliſcit illa, ut ignis oleo.

*

Non. Verecundantur. Hi noſtri amici uerecundantur cápti ſplendore uirtutis.

*

Auguſtinus uita beata. Oratæ, homini ditiſſimo, amœniſſimo, delicatiſſimo, neq; ad uoluptatem quidquam defuit, neq; ad gratiam, neque ad bonam, integramq́ue ualetudinem.

Nam

Nam & prædiis quæſtuóſiſſimis, amicis iucundiſſimis, quantum libuit, abundauit, & illis omnibus aptiſſime ad ſalutem corporis uſus eſt: eiusq́; (ut breuiter totum explicem) omne inſtitutum, uoluntatemq́; omnem ſucceſſio proſpera conſecuta eſt. AVGVS biid.

*

Primus balneola ſuſpendit, incluſit piſces. Non. Balneæ.

*

* & amœnitate ſumma perfructus eſt. Priſc.l.10.

*

* ſolertiamq́; eam poſſet, uel in tegulis proſeminare, oſtreas. NONIVS Oſtrea.

*

Vixit ad ſummam ſenectutem ualetudine optima. Non. Summus.

*

Voluptates autem nulla ad res neceſſarias inuitamenta afferunt ſenibus. Non. Inuitare.

*

An uero uoluptates corporis expetendæ, quæ uere & grauiter, a Platone dictæ ſunt illecebræ eſſe atque eſcæ malorum? quæ enim confectio eſt ualetudinis, quæ deformatio coloris, & corporis, quod turpe damnum, quod dedecus, quod non euocetur, atque eliciatur uoluptate? cuius motus ut quiſque eſt maximus, ita eſt inimiciſſimus philoſophiæ. congruere enim cum cogitatione, magna uoluptas corporis non poteſt. quis enim, cum utatur uoluptate ea, qua nulla poſſit maior eſſe, attendere animo, inire rationem, cogitare omnino quidquam poteſt? quis autem tantus eſt gurges, qui dies & noctes ſine ulla minimi temporis intermiſſione uelit ira mo Aug.l.4. contra Pelagiū. Non. Conficere.

g ueri

ueri suos sensus, ut mouentur in summis uoluptatibus? quis autem bona mente præditus non mallet nullas omnino nobis a natura uoluptates datas?

*

AVGVST. contra Pel. l. 5. c. 5.

* tunc obsequatur naturæ, cum sine magistro senserit, quid natura desideret.

*

Non. Vbi genitiuus pro ablatiuo.

Et qui expectat, pendet animi, quia semper, quid futurum sit, incertum est.

*

Non. Noxia a noxa.

Et ceteris quidem in rebus, in quibus peccata nō maxime differunt, noxias tamen insciunt, attingunt.

*

Non. Equuleus.

Vt igitur domitores equorum non uerbera solum adhibent ad domandum, sed cibum etiam sæpe subtrahunt, ut fame debilitetur equuleorum nimis effrenata uis.

*

Non. Lentum.

Qui cum publicas iniurias lente tulisset, suam non tulit.

*

Non. Continens.

In continentibus quidem terris uestrum nomen dilatari potest.

*

Non. Conficere.

Ea facultas nostris maioribus erat, qui confectis senatusconsultis.

*

Non. Acre.

* quod alterius ingenium, sic dulce, ut acetum Aegyptium, alterius sic acre, ut mel Hymettium dicimus.

*

Ponendæ

Ponendæ ſunt fides, & tibiæ. Non. Fides.

*

Aliud ex ſiluis ſeuerum, & triſte. Non. Seuerum.

*

Eundem enim non modo mediocri pecunia, ſed etiã tenui percipere poſſumus. Non. Tenue.

*

Qui ijdem neſcio quid, quod in primoribus habent, ut aiunt, labris. Non Priores a primores.

*

* non & ſine ea cogitatione ineundis ſubducendisq; rationibus. Non. Subducere.

*

Ex quibus humanæ uitæ erroribus, & ærumnis fit, ut interdum ueteres illi, ſiue uates, ſiue in ſacris; initiisq; tradendis diuinæ mentis interpretes, qui nos ob aliqua ſcelera ſuſcepta in uita ſuperiore, pœnarum luendarum cauſa natos eſſe dixerunt, aliquid uidiſſe uideantur, uerumque ſit illud, quod eſt apud Ariſtotelem, ſimili nos affectos eſſe ſupplicio, atque eos, qui quondam, quum in prædonum Etruſcorum manus incidiſſent, crudelitate excogitata necabantur: quorum corpora uiua cum mortuis, aduerſa aduerſis accõmodata, quàm aptiſſime colligabantur: ita noſtros animos cum corporibus copulatos, ut uiuos cum mortuis eſſe coniunctos. Aug. l. 4. contra Pelagiũ.

*

Vidit enim, quod uidendum fuit, appendicem animi eſſe corpus, nihilq; in eo eſſe magnum. Non. Appendix.

*

Quæ nobis dies noctesque conſiderantibus, acuentibusq; AVGVST. li. 14. c. ult. trin.

busq; intelligentiam, quæ est mentis acies, cauentibusq;, ne quando illa hebescat, magna spes est, aut si hoc, quod sentimus & sapimus, mortale & caducum est, iucundum nobis, perfunctis muneribus humanis, occasum, neque molestam extinctionem, & quasi quietem uitæ fore: aut si, ut antiquis philosophis, hisq; maximis longeq; clarissimis placuit, æternos animos ac diuinos habemus, sic existimandum est, quo magis hi fuerint semper in suo cursu, id est, in ratione & inuestigandi cupiditate, & quo minus se admiscuerint atque implicuerint hominum uitiis atque erroribus, hoc illis faciliorem ascensum & reditum in cœlum fore. Quapropter ut aliquando terminetur oratio, si aut extingui tranquille uolumus, cum his artibus uixerimus, aut si ex hac in aliam haud paullo meliorem domum sine mora demigrare, in his studiis nobis omnis opera & cura ponenda est.

M. Tullij Ciceronis laus M. Catonis.

*

GELLIVS l.13.c.18. * pronepos M. Catonis Censorii.

*

Mac. l.6.c.2. Contingebat in eo, quod plerisque contra solet, ut maiora omnia re, quàm fama uiderentur; id quod non sæpe euenit, ut expectatio cognitione, aures ab oculis uincerentur.

*

*

M. Tullij Ciceronis de Gloria lib. I.

*

IN Tusculanum mihi nunciabantur gladiatorii sibili. Caris.

*

Oppidorum appellationem usurpatione appellatam esse existimo, quod opem darent. FESTVS l.13.

*

M. Tullij Ciceronis de Gloria lib. II.

*

APVD eundem poetam Aiax cum Hectore congrediens depugnandi causa agit, ut sepeliatur, si sit forte uictus, declaratq; se uelle, ut suum tumulum multis etiam post sæculis prætereũtes, sic loquãtur. Gell.l.15.c.6.

Hic situs est uitæ iampridem lumina linquens,
Qui quondam Hectoreo perculsus concidit ense.
Fabitur hoc aliquis, mea semper gloria uiuet.

*

Quo stante, & incolume. CARISIVS

*

M.Tullii

M. Tullij Ciceronis de consolatione liber.

*

Plinivs præfat. CRATOREM ſequor.

*

Lactant. l.3.c.18. Idcirco nati ſumus, ut ſcelerum pœnas lueremus.

*

Lact. l.3.c.19. Non naſci longe optimum, nec in hos ſcopulos incidere uitæ. Proximum autem, ſi natus ſis, quamprimum mori, & tanquam ex incendio effugere fortunæ.

*

Lact. l.3.c.14. Sed neſcio, qui nos teneat error, aut miſerabilis ignoratio ueri.

*

Cic. Tuſc.1. Lact. ira. c.10.l.1.c.5. inſtit. Animorum nulla in terris origo inueniri poteſt. Nihil enim eſt in animis mixtum, atque concretum, aut quod ex terra natum, atque fictum eſſe uideatur; nihil ne aut humidum quidem, aut flabile, aut igneum. his enim in naturis nihil ineſt, quod uim memoriæ, mentis, cogitationis habeat, quod & præterita teneat, & futura prouideat, & complecti poſſit præſentia: quæ ſola diuina ſunt. Nec inuenietur unquam unde, ad hominem uenire poſſint, niſi a deo. Singularis eſt igitur quædam natura, atque uis animi, ſeiuncta ab his uſitatis, notiſque naturis. Ita quidquid eſt illud, quod ſapit, quod uult, quod uiget, cœleſte, & diuinũ eſt, ob eamq; rem

rem æternum sit necesse est. Nec uero deus ipse, qui intelligitur a nobis, alio modo intelligi potest, nisi mens soluta quædam, & libera, segregata ab omni concretione mortali, omnia sentiens, & mouens, ipsaq; prædita motu sempiterno.

**

Cum uero & mares, & feminas complures ex hominibus in deorum numero esse uideamus, & eorum in urbibus, atque agris augustissima templa ueneremur, assentiamur eorum sapientiæ, quorum ingeniis, & inuentis omnem uitam legibus, & institutis excultam constitutamq; habemus. Quòd si ullum unquam animal consecrandum fuit, illud profecto fuit. si Cadmi, aut Amphitryonis progenies, aut Tyndari in cœlum tollenda fama fuit, huic idem honos certe dicandus est: quod quidem faciam, teq; omnium optimam, doctissimamque, approbantibus diis immortalibus ipsis, in eorum cœtu locatam, ad opinionem omnium mortalium consecrabo. Lact. l. 1. c. 15.

*

Non enim omnibus iidem illi sapientes arbitrati sunt eundem cursum in cœlum patere. Nam uitiis, & sceleribus contaminatos deprimi in tenebras, atque in cœno iacere docuerunt; castos autem animos, puros, integros, incorruptos, bonis etiam studijs, atque artibus expolitos, leni quodam ac facili lapsu ad deos, id est ad naturam sui similem peruolare. Lact. l. 3. c. 19.

*

Cedo, & manum tollo. Lact. l. 3. ca. 28.

*

M.Tullij

*

M. Tullij Ciceronis liber de

ſuis conſilijs, uel expoſitio ſuorum conſiliorum.

*

BOETH. l.1. muſic. SED ut aliqua ſimilitudine adductus, maximis minima conferam, ut cum uinolenti adoleſcentes tibiarum etiam cantu, ut fit, inſtincti, mulieris pudicæ fores frangerent, admonuiſſe tibicinam, ut ſpondæum caneret, Pythagoras dicitur: quod cum illa feciſſet, tarditate modorum, & grauitate cantus illorum furentem petulantiam reſediſſe.

*

M. Tullij Ciceronis de

uirtutibus liber.

*

Cariſ. l.2. ILLVD neutiquam probares.

*

M. Tullij Ciceronis de notis liber.

Tritem. polygr.

adprobat
cõprobat
improbus
probus
probitas
improbitas
probabilis
reprobat
modus
modulus

modestus
immodestus
modicus
immodicus
commodus
incommodus
accommodat
in modum
ad modum
quemadmodũ

epistola
littera
litteræ
syllaba
tempus
per tempus
peridẽ tempus
temporalis
extemporalis
homo

M. Tullij Ciceronis Chorographia.

*

IBI quercorum rami ad terram iacent, ut sues quasi capræ ex ramis glande pascantur. Prisc. l.6.

*

Ad M. Tullij Ciceronis ad Varronem Academicorum lib. I.

*

QVID autem stomachetur Mnesarchus, qui Antipater digladietur cum Carneade tot uoluminibus? Non. Digladiari.

Ad lib. II. Academicorum ad Varronem.

*

Non. Adhamare. QVI enim serius honores adhamauerunt, uix admittuntur ad eos, nec satis commendati multitudini possunt esse.

*

Non. Exponere. Frangere auaritiam, scelera ponere, uitam suam exponere ad imitandum iuuentuti.

*

Non. Hebes. Quid? lunæ quæ lineamenta sunt: potes ne dicere, cur eius nascentis alias hebetiora, alias acutiora uideantur cornua?

*

Non. Purpurascit. Quid? mare non ne cæruleum? at eius unda, cum est pulsa remis, purpurascit, & quidem aqua tinctum quodammodo, & infectum.

*

Non. Aequor. Quid tam planum uidetur, quàm mare? ex quo etiam æquor illud poetæ uocant.

*

Non. Alabaster. Quibus etiã alabaster plenus unguẽti putere uideatur.

*

Non. Siccũ. Alius adultis, alius senibus, alius ægris, alius siccis, alius uinolentis.

*

Non. Vrinari. Si quando enim nos demersimus, ut qui urinantur, aut nihil superũ, aut obscure admodum cernimus.

*

Non. Perpendiculi. Atqui, si id crederemus, non egeremus perpendiculis, non normis, non regulis.

*

Cum

*

Cum ouum inſpexerant, quæ gallina peperiſſet, dicere ſolebant. Non. Gallina.

*

Opera affixa. Diomed.

*

Ad lib. III. Academicorum ad Varronem.

*

IN tanta animalium uarietate homini ut ſoli cupiditas ingeneraretur cognitionis & ſcientiæ. Non. Ingenerari.

*

Aliqua poteſtas ſi ſit, uindicet ſe in libertatem. Non. Vindico.

*

Digladiari autem ſemper, depugnare cum facinoroſis, & audacibus, quis non cum miſerrimum, tum etiam ſtultiſſimum dixerit? Non. Digladiari.

*

Et ut nos nunc ſedemus ad Lucrinum, piſciculosq́; exultantes uidemus. Non. Exulto.

*

Quod ſi liceret ut iis, qui in itinere deerrauiſſent, ſic uitam deuiam ſecutis corrigere errorem pœnitendo, facilior eſſet emendatio temeritatis. Lact. l. 6. 24.

*

Ad librum incertum Academicorum ad Varronem.

*

MIHI autem non modo ad ſapientiam cæci uidemur, Lact. l. 3. c. 15.

mur, sed ad ea ipsa, quæ aliqua ex parte cerni uideantur, hebetesq; & obtusi.

*

Martian. l. 5. Fortun. l. 3. Latent ista omnia Varro, magnis obscurata, & circumfusa tenebris.

*

AVGVST. li. 3. contra Acad. Academico sapienti ab omnibus ceterarum sectarum qui sibi sapientes uiderentur, secundæ partes dantur, cum primas sibi quenque uendicare necesse sit, ex quo potest probabiliter confici, eum recte primum esse iudicio suo, qui omnium ceterorum iudicio sit secundus. Fac enim, uerbi causa, Stoicum adesse sapientem. nam contra eos potissimum Academicorũ exarsit ingenium. Ergo Zeno, uel Chrysippus si interrogentur, quid sit sapiens, respondebit eum esse, quem ipse descripserit. Contra Epicurus, uel quis alius aduersariorum negabit, suumq; potius peritissimum uoluptatum aucupem sapientem esse contendet. Inde ad iurgium. Clamat Zeno, & tota illa porticus tumultuatur, hominem natum ad nihil esse aliud, quàm honestatem: ipsam suo splendore in se animos ducere, nullo prorsus commodo extrinsecus posito, & quasi lenocinante mercede, uoluptatemq; illam Epicuri solis inter se pecoribus esse communem, in quorum societatem & hominem, & sapientem trudere nefas esse. Contra ille, conuocata de hortulis in auxilium quasi libera turba temulentorum, quærentium tantum, quem incomptis unguibus bacchantes asperoque ore discerpant, uoluptatis nomen, suauitatem, quietem teste populo exaggerans, instat acriter, ut, nisi ea,

ea, beatus nemo esse posse uideatur. In quorum rixam si Academicus incurrerit, utrosque audiet trahentes se ad suas partes. sed si in illos, aut in istos cõcesserit, ab eis, quos deserit, insanus, imperitus, temerariusque clamabitur. Itaque cum & hac, & illac aurem diligenter admouerit, interrogatus quid ei uideatur, dubitare se dicet. Roga nunc Stoicum, qui sit melior, Epicurus ne, qui delirare illum clamat, an Academicus, qui sibi adhuc de re tanta deliberandum esse pronunciat? nemo dubitat Academicum prælatum iri. Rursus te ad illum conuerte, & quære, quem magis amet, Zenonem, a quo bestia nominatur, an Arcesilam, a quo audit, tu fortasse uerum dicis, sed requiram diligentius. non'ne apertum est totam illam porticum insanam, Academicos autem præ illis modestos, cautosq; homines uideri Epicuro.

*

Talia mihi uidentur omnia, quæ probabilia, uel uerisimilia putaui nominanda: quæ tu si alio nomine uis uocare, nihil repugno, satis enim mihi est, te iam bene accepisse quid dicam, id est quibus rebus hæc nomina imponam. non enim uocabulorum opificem, sed rerum inquisitorem, decet esse sapientem. Aug. l. 2. contra Acad.

*

Mos fuit Academicis occultandi sententiam suam, nec eam cuiquam, nisi qui secum ad senectutem usque uixissent, aperiendi. AVGVST. l. 3. contra Academ.

M. Tullij

M. Tullij Ciceronis ad librum de natura deorum III.

*

Lact. l.2.c.9. PRIMVM igitur non est probabile, eam materiam rerum, unde orta sunt omnia, esse diuina prouidentia effectam, sed habere & habuisse uim, & naturam suam. Vt igitur faber, cum quid ædificaturus est, non ipse facit materiam, sed ea utitur, quæ sit parata, fictorq; item cera, sic isti prouidentiæ diuinæ materiam præsto esse oportuit, non quam ipse faceret, sed quam haberet paratam. quod si non est a deo materia facta, ne terra quidem, & aqua, & aer, & ignis a deo factus est.

*

Lactant. l.2.c.3. Non sunt ista uulgo disputanda, ne susceptas publice religiones disputatio talis extinguat.

M. Tullij Ciceronis ad lib. I. de diuinatione.

*

Diomed. lib.1. PRAETEREA similiter cohortatione circum conciliabula antecellunt.

*

M. Tullij Ciceronis ad lib. I. de legibus.

*

Lact.l.5.c.8. SICVT una eademq; natura mundus omnibus partibus inter se congruentibus cohæret, ac nititur,

sic

ſic omnes homines inter ſe natura confuſi prauitate diſſentiunt, nec ſe intelligunt eſſe conſanguineos, & ſubiectos omnes ſub unam, eandemque tutelam: quod ſi teneretur, deorum profecto uitam omnes uiuerent.

Ad lib. II. de legibus.

*

MAGNVM, audaxque conſilium Græcia ſuſcepit, quòd Cupidinum, & Amorum ſimulacra in gymnaſiis conſecrauit. Lact. l. 1. ca. 20.

*

Ad lib. V. de legibus

*

VIS ne igitur, quoniam ſol paullulum a meridie iam deuexus uidetur, neque dum ſatis ab his nouellis arboribus omnis hic locus opacatur, deſcendamus ad Lirim, eaque quæ reſtant, in illis aluorum umbraculis perſequamur? Macr. l. 6.

Ad librum incertum de legibus.

*

GRATVLEMVR'QVE nobis, quoniam mors aut meliorem, quàm qui eſt in uita, aut certe non deteriorem eſt allatura ſtatum. nam ſine corpore animo uigente diuina eſt uita, ſenſu carente nihil profecto eſt mali. Lact. l. 3. c. 19.

*

Octo

*

Avgvst. l.21.c.11.ciuit. Octo pœnarum genera in legibus continentur, damnum, uincula, uerbera, talio, ignominia, exilium, mors, seruitus.

M. Tullij Ciceronis ad lib. de fato.

*

Gellius l.5. c.3. CHRYSIPPVS æstuans, laboransq; quonam pacto explicet, & fato omnia fieri, & esse aliquid in nobis, intricatur hoc modo.

*

Macr.l.3. Nam cum esset apud se ad Lauernium Scipio, unaq; Pontius, allatus forte Scipioni acipenser, qui admodum raro capitur, sed est piscis, ut ferunt, in primis nobilis. Cum autem Scipio unum & alterum ex ijs, qui eum salutatum uenerant, inuitasset, pluresque etiam inuitaturus uideretur, in aurem Pontius, Scipio, inquit, uide quid agas. acipenser iste paucorum hominum est.

M. Tullij Ciceronis ad Timæum ex Platone.

*

Non. Curriculum. RATIONE igitur, & mente diuina ad originem temporis curriculum inuentum est solis, & lunæ.

*

Prisc. l.1.part. * Defenstrix.

*

M. TVLLII CICERONIS

FRAGMENTORVM TOMVS QVARTVS.

Qui poemata continet, & quædam incerta.

EX

ANDR. PATRICII STRICECONIS

secunda editione.

ELENCHVS POEMATVM CICERONIS, QVAE HOC TOMO CONTINENTVR.

M. TVLLII CICERONIS
PHAENOMENA
EX ARATO.

A IOVE Musarum primordia. * Cicero 2. leg.

*

Cetera labuntur celeri cœlestia motu, Cicero 2. nat. deorũ.
Cum cœloq; simul noctesq; diesq; feruntur.

*

Extremusq; adeò duplici de cardine uertex
Dicitur esse polus. *

*

Ex his altera apud Graios Cynosura uocatur,
Altera dicitur esse Helice. *
Quas nostri septem soliti uocitare triones.

*

Hac fidunt duce nocturna Phœnices in alto,
Sed prior illa magis stellis distincta refulget,
Et late prima confestim a nocte uidetur,
Hæc uero parua est: sed nautis usus in hac est.
Nam cursu interiore breui conuertitur orbe.
Has inter, ueluti rapido cum gurgite flumen,
Toruu' Draco serpit, subter supraq; reuoluens
Sese, conficiensq; sinus e corpore flexos.

*

Huic non una modo caput ornans stella relucet,
Verum tempora sunt duplici fulgore notata,
E trucibusq; oculis duo feruida lumina flagrant.
Atque uno mentum radianti sidere lucet:
Obstipum caput & tereti ceruice reflexum,
Obtutum in cauda maioris figere dicas.

*

Hoc caput hic paullum ſeſe ſubitoq; recondit
Ortus ubi atque obitus parte admiſcentur in una.

* id caput autem

Attingens defeſſa uelut mœrentis imago
Vertitur.

*

Engonaſim uocitant, genibus quia nixa feratur.

*

Hic illa eximio poſita eſt fulgore Corona.

*

Quem claro perhibent Ophiuchum nomine Graii.

*

Hic preſſu duplici palmarum continet Anguem,
Eius & ipſe manet religatus corpore toto.
Nanque uirum medium ſerpens ſub pectora cingit,
Ille tamen nitens grauiter ueſtigia ponit,
PRISC. l. 7. Atque oculos urget pedibus, pectusq; Nepai

*

CICERO 2. de nat. deorum. Arctophylax uulgo qui dicitur eſſe Bootes:
Quòd quaſi temone adiunctam præ ſe quatit Arctum.

*

* ſubter præcordia fixa uidetur
Stella micans radiis Arcturus nomine claro.

*

PRISC. l. 6. * ſub pedibus profert finita Booti
CIC. 2. nat. deor. Spicum illuſtre tenens ſplendenti corpore Virgo.

*

LACT. l. 5. c. 5. Malebant tenui contenti uiuere cultu.

*

CIC. 2. de na. deor. Ferrea tum uerò proles exorta repente eſt,
Auſaq; funeſtum prima eſt fabricarier enſem,

Et

Et gustare manu uictum domitumq; iuuencum.

*

Et Iouis in regno cœliq; in parte resedit — Lact. l. 5. c. 5.

*

Huic supera duplices humeros affixa uidetur — Prisc. l 14.
Stella, micans tali specie taliq; nitore

*

Tertia sub caudam & genus ipsum lumina pandit. — Prisc. l. 6.

*

Et natos Geminos inuises sub caput Arcti: — Cic. 2. nat. deor.
Subiectus mediæ est Cancer, pedibusq; tenetur
Magnu' Leo, tremulam quatiens e corpore flammam.

*

Hoc motu radiantis Etesiæ in uada ponti — Cicero in orator.

*

Nauibus assumptis fluitantia quærere aplustra — Prisc. l. 7.

*

Sub læua Geminorum obductus parte feretur. — Cicero 2. nat.
Aduersũ m caput huic Helice truculenta tuetur.
At Capra læuum humerum clara obtinet *

*

Verum hæc est magno atque illustri prædita signo
Contrà Hœdi exiguum iaciunt mortalibus ignem
Cuius sub pedibus *

*

Corniger est ualido connexus corpore Taurus.

*

Has Græci stellas Hyadas uocitare suerunt:

*

Nanque ipsum ad tergum Cynosuræ uertitur Arcti

*

Obscura

Obſcura ſpecie ſtellarum Caſſiopea.

*

Hanc autem illuſtri uerſatur corpore propter
Andromeda, aufugiens aſpectum mœſta parentis.

*

Huic Equus ille iubam quatiens fulgore micanti
Summum contingit caput aluo: ſtellaq; iungens
Vna, tenet duplices communi lumine formas,
Aeternum ex aſtris cupiens connectere nodum.

*

Exin contortis Aries cum cornibus hæret.

*

Ex fragmentis Arati, quæ extant.

E quibus hinc ſubter poſſis cognoſcere fultum:
Iam cœli mediam partem terit, ut prius illæ
Chelæ, quum pectus quod cernitur Orionis.
Et prope conſpicies paruum, ſub pectore claro
Andromedæ, ſignum, Deltoton dicere Graii
Quod ſoliti, ſimili quia forma littera claret:
Huic ſpatio ductum ſimili latus extat utrunque.
At non tertia pars lateris: nam non minor illis,
Sed ſtellis longe denſis præclara relucet.
Inferior paullo eſt Aries, & flamen ad Auſtri
Inclinatior. atque etiam uehementius illo
Piſces, quorum alter paullo prælabitur antè,
Et magis horriſonis Aquilonis tangitur alis,
At quæ horum e caudis duplices uelut eſſet catenæ
Dicuntur, ſua diuerſæ per limina ſerpunt,
Atque una tamen in ſtella communiter hærent,
Quam ueteres ſoliti Cœleſtem dicere Nodum.
Andromedæ læuo ex humero, ſi quæſere perges,
Adpoſitum poteris ſupra cognoſcere Piſcem.

E pedibus

E pedibus uatum summo natus Ioue Perseus.
Quem summa ab regione Aquilonis flamina pulsant.
Hic dextram ad sedes intendit Cassiopeæ,
Diuersosq; pedes uinctos talaribus aptis
Puluerulentus, uti de terra lapsu' repente,
In cœlum uictor magnum sub culmina portat.
At propter læuum genus omni ex parte locatas Prisc.l.6.
Paruas Vergilias tenui cum luce uidebis,
Hæ septem uulgo perhibentur more uetusto
Stellæ, cernuntur uero sex undique paruæ,
At non interiisse putari conuenit unam,
Sed frustra temere a uulgo ratione sine ulla
Septem dicier, ut ueteres statuere poetæ,
Aeterno cunctas æuo qui nomine dignant,
Alcyone, Meropeque, Celeno, Taygeteque,
Electra, Steropeque, simul sanctissima Maia:
Hæ tenues paruo labentes lumine lucent.
At magnum nomen signi, clarumq; uocatur,
Propterea quòd ad æstatis primordia clarent,
Et post hiberni præpandens temporis ortus
Admonet ut mandent mortales semina terris.
Inde Fides leuiter posita, & conuexa uidetur
Mercurius paruus manibus quam dicitur olim
Infirmis fabricatus in alta sede locasse,
Hæc genus ad læuum Nisi delapsa resedit, Prisc.l.6.
Atque inter flexum genus & caput Alitis hæsit.
Nanque est Ales auis lato sub tegmine cœli
Quæ uolat, & serpens geminis secat aera pennis.
Altera pars huic obscura est, & luminis expers,
Altera nec paruis, nec claris lucibus ardet,
Sed mediocre iacit quatiens e corpore lumen.

Hæc

Hæc dextram Cephei dextro pede pellere palmam
Geſtit: iam uero clinata eſt ungula uehemens
Fortis equi, propter pennati corporis alam,
Ipſe autem labens geminis equus ille tenetur
Piſcibus: huic ceruix dextra mulcetur Aquari.
Priſc. l. 7. initio. Serius hæc obitus terrai uiſſit equinis
Quàm gelidum ualido de corpore frigus anhelans
Priſc. l. 6. Corpore ſemifero magno Capricornus in orbe.
Quem quum perpetuo ueſtiuit lumine Titan,
Brumali flectens contorquet tempore curſum:
Hoc caue te ponto ſtudeas committere menſe:
Nam non longinquum ſpatium labere diurnum:
Non hiberna cito uoluetur curriculo nox:
Humida non ſeſe ueſtris Aurora querelis
Ocyus oſtendet clari prænuntia ſolis.
At ualidis æquor pulſabit uiribus Auſter,
Tum fixum tremulo quatietur frigore corpus.
Sed tamen anni iam labuntur tempore toto,
Nec cui ſignorum cedunt, neque flamina uitant,
Nec metuunt canos minitanti murmure fluctus:
Atque etiam ſupero naui pelagoq; uacato
Menſe, ſagittipotens ſolis cum ſuſtinet orbem.
Nam iam tum minus exiguo lux tempore præſto eſt.
Hoc ſignum ueniens poteruut prænoſcere nautæ,
Nam prope præcipiti ante licebit uiſere nocte,
Vt ſeſe oſtendens emergit Scorpios alte,
Poſteriore trahens flexum ui corporis arcum.
Iam ſupera cernes Arcti caput eſſe minoris,
Et magis erectum ad ſummum uerſarier orbem.
Tum ſeſe Orion toto iam corpore condit
Extrema prope nocte, & Cepheus conditur ante,

Lumbo-

Lumb orum tenus a palma depulſus ad undas.
Hic miſſore uacans fulgens iacet una Sagitta
Quam propter nitens penna conuoluitur Ales,
Et clinata magis paullo eſt Aquilonis ad auras.
At propter ſe Aquila ar denti cum corpore portat
Igniferum mulcens tremebundis æthera pennis,
Non nimis ingenti cum corpore, ſed graue mœſtis
Oſtendit nautis, perturbans æquora, ſignum.
Tum magni curuus Capricorni corpora propter Priſc. l. 6.
Delphinus iacet, haud nimio luſtratu' nitore,
Præter quadruplices ſtellas in fronte locatas,
Quas interuallum binas diſterminat unum:
Cetera pars latè tenui cum lumine ſerpit.
Illæ quæ fulgent luces ex ore coruſco,
Sunt inter partes gelidas Aquilone locatæ
Atque inter ſpatium & læti ueſtigia ſolis:
At pars inferior Delphini fuſca uidetur
Inter ſolis iter, ſimul inter flamina uenti
Viribus erumpit qua ſummi ſpiritus Auſtri.
Exinde Orion obliquo corpore nitens
Inferiora tenet truculenti corpora Tauri:
Quem qui ſuſpiciet in cœlum nocte ſerena
Latè diſperſum non uiderit, abdita uero
Cetera ſe ſperet cognoſcere ſigna poteſſe.
Nanque pedes ſubter, rutilo cum lumine claret
Feruidus ille Canis ſtellarum luce refulgens.
Hunc tegit obſcurus ſubter præcordia Veſper:
Nec toto ſpirans rabido de corpore flamma
Aeſtiferos ualidis erumpit flatibus ignes.
Totus ab ore micans iacitur mortalibus ardor.
Hic ubi ſe pariter cum ſole in culmina cœli

Nanque etiam Eridanum cernes in parte locatum
Cœli, funestum magnis cum uiribus amnem.
Quem lachrymis mœstæ Phaethontis sæpe sorores
Sparseruut, lætum mœrenti uoce canentes
Hunc Orionis sub læua cernere planta
Serpentem poteris, proceraq; uincla uidebis,
Quæ retinent Pisces caudarum a parte locata,
Flumine mixta retro ad Pistricis terga reuerti.
Hic una stella nectuntur, quam iacit ex se
Pistrix e spina ualida cum luce refulgens.
Exinde exiguæ tenui cum lumine multæ
Inter Pistricem fusæ sparsæq; uidentur.
Atque gubernaclum stellæ: quas contegit omneis
Formidans acrem morsum Lepus: his neque nomen
Nec formam ueteres certam statuisse uidentur.
Nam quæ sideribus claris natura poliuit,
Et uario pinxit distinguens lumine formas,
Hæc ille astrorum custos ratione notauit,
Signaq; signauit cœlestia nomine uero.
Has autem quæ sunt paruo sub culmine fusæ
Consimili specie stellas, parilique nitore,
Non potuit nobis nota clarare figura.
Exinde, Australem soliti quem dicere Piscem,
Voluitur inferior Capricorno, uersus ad Austrum,
Pistricem obseruans, procul illis Piscibus hærens.
At prope conspicies experteis nominis omnes,
Inter Pistricem & Piscem quem diximus Austri,
Stellas, sub pedibus stratas radiantis Aquari.
Propter Aquarius obscurum dextra rigat amnem,
Exiguo qui stellarum candore nitescit.
E multis tamen his duo late lumina fulgent:

Vnum ſub magni pedibus cernetur Aquari,
Quod ſupereſt, gelido delapſum flumine fontis,
Spiniferam ſubter caudam Piſtricis adhæſit.
Aſt omnes ſtellæ perhibentur nomine aquai
Hic aliæ uolitant paruo cum lumine claræ,
Atque priora pedum ſubeunt ueſtigia magni
Arcitenentis, & obſcuræ ſine nomine condunt.
Inde Nepæ cernes propter fulgentis acumen
Aram, quam flatu permulcet ſpiritus Auſtri,
Exiguo ſuperum quæ lumina tempore tranat:
Nam procul Arcturo eſt aduerſa parte locata,
Arcturo magnum ſpatium ſupra dedit: orbem
Iupiter hunc paruum inferiore in parte locauit.
Hic tamen æterno inuiſens loca curriculo nox,
Signa dedit nautis, cuncti quæ noſcere poſſent,
Commiſerans hominum metuendos undique caſus.
Nam quum fulgentem cernes ſine nubibus atris
Aram ſub media cœli regione locatam,
A ſumma parte obſcura caligine tectam,
Tum ualidis fugito deuitans uiribus Auſtrum:
Quem ſi proſpiciens uitaueris, omnia caute
Armamenta locans, tuto labere per undas,
Sin grauis inciderit uehementi flamine uentus,
Perfringet celſos defixo robore malos:
Vt res nulla feras poſſit mulcere procellas,
Ni parte ex Aquilonis opacam pellere nubem
Cœperit, & ſubitis auris diduxerit Ara.
Sin humeros medio in cœlo Centaurus habebit,
Ipſeque cærulea contectus nube feretur,
Atque Aram tenui caligans ueſtiet umbra
Ad ſignorum obitum uis eſt me tuenda Fauoni.

Ille autem Centaurus in alta ſede locatus,
Qua ſeſe clarum collucens Scorpios infert,
Hac ſubter, partem præportans ipſe uirilem,
Cedit, Equi parteis properat coniungere Chelis.
Hic dextram porgens, quadrupes qua uaſta tenetur,
Quam nemo certo donauit nomine Graium,
Tendit, & illuſtrem truculentus cædit ad Aram.
Hic ſeſe infernis e partibus erigit Hydra,
Præcipiti lapſu flexo cum corpore ſerpens.
Hæc caput atque oculos torquens ad terga Nepai,
Conuexoq; ſinu ſubiens inferna Leonis
Centaurum leni contingit lubrica cauda.
In medioq; ſinu fulgens cratera relucet,
Extremam nitens plumato corpore Coruus
Roſtro tundit. & hic, Geminis eſt ille ſub ipſis
Antecanem, Graio Procyon qui nomine fertur.
Hæc ſunt quæ uiſens nocturno tempore ſigna
Aeternumq; uolens mundi pernoſcere motum,
Legitimo cernes cœlum luſtrantia curſu.
Nam quæ per bis ſex ſignorum labier orbem
Quinque ſolent ſtellæ, ſimili ratione notari
Non poſſunt: quia quæ faciunt ueſtigia curſu,
Non eodem ſemper ſpatio portata teruntur:
Sic malunt errare uagæ per nubila cœli
Atque ſuos uario motu metirier orbes.
Hæ faciunt magnos longinqui temporis annos,
Quum redeunt ad idem cœli ſub tegmine ſignum.
Quare ego nunc nequeo totos euoluere curſus.
Verum hæc quæ ſemper certo uoluuntur in orbe
Fixa ſimul magno ſedem gentibus orbes.
Quattuor æterno luſtrantes lumine mundum,

Orbes

Si potes, inuenies supero conuertier orbe
Quinque pari spatio, partes tres esse relictas,
Tempore nocturno quas uis inferna freqúentet.
Alter ab infernis Austri conuertitur auris,
Distribuens medium subter secat hic Capricornum,
Atque pedes gelidum riuum fundentis Aquari,
Cæruleæq; feram caudam Pistricis, & illum
Fulgentem Leporē, inde pedes Canis, & simul amplā
Argolicam retinet crebro cum lumine Nauem,
Tergaq; Centauri atque Nepai portat acumen:
Inde Sagittari defixum possidet arcum,
Hunc a clarisonis auris Aquilonis, ad Austrum,
Condens postremum tangit rota feruida solis,
Exinde in superas brumali tempore flexu
Se recipit sedes: huic orbi quinque tributæ
Nocturnæ partes, supera tres luce dicantur.
Hosce inter mediam partem retinere uidetur
Tantus, quantus erit collucens lacteus orbis,
In quo autumnali atque iterum sol lumine uernó
Exæquat spatium lucis cum tempore noctis.
Hunc retinens Aries sublucet corpore totus,
Atque genu flexo Taurus connititur ingens.
Orion claro contingens corpore fertur.
Hydra tenet flexu Crateram, Coruus adhæret.
Et paucæ Chelis stellæ simul Anguitenentis
Sunt genua, & summi Iouis Ales nuntius instat.
Propter Equus capite & ceruicum lumine tangit.
Hosce æquo spatio deuinctos sustinet axis,
Per medios summo cœli de uertice tranans.
Ille autem claro quartus cum lumine circus
Partibus extremis extremos continet orbes,

Et ſimul a medio media de parte ſecatur,
Atque obliquus in his nitens cum lumine fertur:
Vt nemo, cui ſancta manu doctiſſima Pallas
Solertem ipſa dedit fabricæ rationibus artem.
Tam tornare cate contortos poſſiet orbes,
Quàm ſunt in cœlo diuino lumine flexi,
Terram cingentes, ornantes lumine mundum,
Culmine tranſuerſo retinentes ſidera fulta.
Quattuor hi motu cuncti uoluuntur eodem:
Sed tantum ſupra terras ſemper tenet ille
Curriculum, oblique inflexus tribus orbibus unus,
Quanto eſt diuiſus Cancer ſpatio a Capricorno,
Ac ſubter terras ſpatium par eſſe neceſſe eſt,
Et quantos radios iacimus de lumine noſtro,
Queis lunæ conuexum cœli contingimus orbem,
Sex tantæ poterunt ſub eum ſuccedere partes,
Bina pari ſpatio cœleſtia ſigna tenentes.
Zodiacum hunc Græci uocitant, noſtriq; Latini
Orbem Signiferum perhibebunt nomine uero:
Nam gerit hic uoluens bis ſex ardentia ſigna.
Aeſtifer eſt pandens feruentia ſidera Cancer.
Hunc ſubter fulgens cedit uis torua Leonis,
Quem rutilo ſequitur collucens corpore Virgo.
Exin proiectæ claro cum lumine Chelæ.
Ipſaq; conſequitur lucens uis magna Nepai:
Inde Sagittipotens dextra flexum tenet arcum.
Poſt hunc ore fero Capricornus uadere pergit.
Humidus inde loci collucet Aquarius orbem.
Exin ſquamiferi ſerpentes ludere Piſces,
Queis comes eſt Aries obſcuro lumine labens,
Inflexo q; genu proiecto corpore Taurus,

Et

Et Gemini clarum iactantes lucibus ignem,
Hæc sol æterno conuestit lumine lustrans,
Annua conficiens uertentia tempora cursus.
Hic quantum terris conuexus pellitur orbis,
Tantundem ille patens supra mortalibus extat,
Sex omni semper cedunt labentia nocte,
Totq; cœlum iussus fugientia signa reuisunt,
Hoc spatium tranans cæcis nox conficit umbris
Quod supera terras prima de nocte relictum est
Signifero ex orbis & signorum ordine fultum.
Quod si solis aues certos cognoscere cursus,
Ortus signorum nocturno tempore uises.
Nam semper signum exoriens Titan trahit unum.
Sin autem officiens signis mons obstruet altus,
Aut adiment lucem cæca caligine nubes,
Certas ipse notas cœli de tegmine sumes,
Ortus atque obitus omneis cognoscere possis.
Quæ simul existant cernes, quæ tempore eodem
Præcipitent obitum, nocturno tempore nosces.
Iam simul ut supero se toto lumine Cancer
Extulit, extemplo cedit delapsa Corona,
Et loca conuisit cauda tenus infera Piscis.
Dimidiam retinens stellis distincta Corona
Partem etiam supera, atque alia de parte repulsa est:
Quam tamen insequitur Piscis, nec totus ad umbras
Tractus, sed supero contectus corpore cedit,
Atque humeros usque a genibus, cancrumq; recondit
Anguitenens ualidis magnum a ceruicibus Anguem.
Iam uerò Arctophylax non æqua parte secatur:
Nam breuior clara cœli de parte uidetur,
Amplior infernas depulsus possidet umbras.

Quattuor hic obiens secum deducere signa
Signifero solet ex orbi, tum serius ille
Quum supera sese satiauit luce, recedit,
Post mediam labens claro cum corpore noctem.
Hæc obscura tenens conuestit sidera tellus,
At parte ex alia claris cum lucibus errat
Orion, humeris & lato pectore fulgens,
Et dextra retinens non cassum luminis ensem.
  Sed quum de terris uis est patefacta Leonis,
Omnia, quæ Cancer præclaro detulit ortu,
Cedunt obscurata, simul uis maior Aëti.
Pellitur, ac flexo confidens corpore Nisus.
Iam supero ferme depulsus lumine cedit.
Sed læuum genus atque illustrem linquit in altum
Plantam, tum contra exoritur clarum caput Hydræ,
Et Lepus, & Procyon, qui sese feruidus infert
Ante Canem: inde Canis uestigia prima uidentur.
  Non pauca e cœlo depellens signa, repente
Exoritur candens illustria lumina Virgo.
Cedit clara Fides Cyllenia, mergitur unda
Delphinus, simul obtegitur depulsa Sagitta,
Atque Auis ad summam caudam, primasq; recedit
Pinnas, & magnus pariter delabitur Amnis.
Hic Equus a capite & longa ceruice latescit,
Longius exoritur iam claro corpore Serpens,
Crateraq; tenus lucet mortalibus Hydra,
Inde pedes Canis ostendit iam posteriores,
Et post ipse trahit claro cum lumine Puppim,
Insequitur labens per cœli lumina Nauis.
Hæc medium ostendit radiato stipite malum.
Et iamiam toto processit corpore Virgo:

At

At quum procedunt obſcuro corpore Chelæ,
Exiſtit pariter larga cum luce Bootes.
Cuius in aduerſum eſt Arcturus corpore fixus,
Totaq; iam ſupera fulgens prolabitur Argo:
Hydraq;, quòd late cœlo diſperſa tenetur,
Nondum tota latet, non caudam contegit umbra.
Iam dextrum genus,& decoratam lumine ſuram
Erigit ille, uacans uulgato nomine, Niſus,
Quem nocte extinctum atque exortum uidimus una,
Perſæpe ut paruum tranans geminauerit orbem.
Hic genus & ſuram cum Chelis erigit alte,
Ipſe autem præceps obſcura nocte tenetur,
Dum Nepa & Arcitenens inuiſant lumina cœli.
Nam ſecum medium pandet Nepa, tollere uero
In cœlum totum exoriens conabitur arcus.
Hic tribus elatus cum ſignis corpore toto
Lucet: at exoritur media de parte Corona,
Caudaq; Centauri extremo candore refulget.
Hic ſe iam totum cæcas Equus abdit in umbras;
Quem rutila fulgens pluma præteruolat Ales.
Occidit Andromedæ clarum caput, & fera Piſtrix
Labitur, horribileis epulas funeſta requirens.
Hanc contra Cepheus non ceſſat tendere palmas,
Illa uſque ad ſpinam mergens ſe cærula condit.
At Cepheus caput atque humeros, palmasq; reclinat.
Quum uero uis eſt uehemens exorta Nepai,
Late fuſa uolat: per terras fama uagatur,
Vt quondam Orion manibus uiolaſſe Dianam
Dicitur, excelſis errans in collibus amens,
Quos tenet Aegæo defixa in gurgite Echineis,
Brachia quæ uiridi conueſtit tegmine uitis:

Ille feras uecors amenti corde necabat
Oenopionis auens epulas cœnare nitentis.
At uero pedibus subito perculsa Dianæ
Insula discessit, disiectaq; saxa reuellens
Perculit, & cæcas lustrauit luce lacunas.
E quibus ingenti existit cum corpore præ se
Scorpios infestus, præportans flebile acumen.
Hic ualido cupide uenantem perculit ictu,
Mortiferum in uenas figens per uulnera uirus:
Ille graui moriens constrauit corpore terram.
Quare cum magnis sese Nepa lucibus effert,
Orion fugiens commendat corpora terris.
Tum uero fugit Andromeda, & Neptunia Pistrix
Tota latet, cedit conuerso corpore Cepheus,
Extremas medio contingens corpore terras.
Hic caput & superas potis est demergere partes:
Infera lumborum nunquam conuestiet umbra:
Nam retinent arcti lustrantes lumine suras:
Labitur illa simul gnatam lachrymosa requirens
Cassiepea, neque ex cœlo depulsa decore
Fertur: nam uerso contingens uertice primum
Terras post humeros euersa sede refertur.
Hanc illi tribuunt pœnam Nereides almæ,
Cū quibus (ut perhibent) ausa est contendere forma.
Hæc obit inclinata: at pars exorta Coronæ est
Altera, cum caudaq; omnis iam panditur Hydra.
At caput & totum sese Centaurus opacis
Eripit e tenebris, linquens uestigia parua
Antepedum contecta: simul cum lumina pandit
Ipse feram dextra retinet. prolabitur inde
Anguitenēs capite & manibus, profert simul Anguis

Iam caput, & summum flexo de corpore lumen.
Hic ille exoritur conuerso corpore Nisus,
Aluum, crura, humeros, simul & præcordia lustrans,
Et dextra radios læto cum lumine iactans.
Inde Sagittipotens superas conuisere luces
Institit, & mergit Nixi caput, & simul effert
Sese clara Fides, & promit corpore Cepheus,
Feruidus ille Canis toto cum corpore cedit,
Abditur Orion, obit & Lepus abditus umbra.
Inferiora cadunt Aurigæ lumina lapsu.
Inde obiens Capricornus ab alto lumine pellit
Aurigam, instantemq; Capram, paruos simul Hœdos,
Et magnam antiquo depellit nomine Nauem:
Crus dextrumq; pedem linquens obit infera Perseus
In loca, tum cedens a puppi linquitur Argo:
Obruitur Procyon, emergunt Alite lapsum,
Et terris uolucris existit clara Sagitta.

*

Quem neque tempestas perimet, neq; longa uetustas Prisc. l. 10.
Interimet, stinguens præclara insignia cœli.

*

M. Tullij Ciceronis Alcyones.

*

ALCYON genuit claris delapsus ab astris Nonivs. præuius.
Præuius auroræ solis, noctisq; satelles.

*

M. Tullii

M. Tullii Ciceronis Limon.

*

Donatvs in uita Terét.

Tv quoque, qui solus lecto sermone Terenti,
Conuersum expressumq; Latina uoce Menandrum
In medio populi sedatis uocibus effers,
Quidquid come loquens, ac omnia dulcia linquens.

*

M. Tullii Ciceronis Marius.

*

Cicero. 1. leg.

Nvntia fulua Iouis, miranda uisa figura.

*

Cicero. 1. diuin.

Hic Iouis altisoni subito pinnata satelles,
Arboris e trunco serpentis saucia morsu,
Ipsa feris subigit transfigens unguibus anguem
Semianimum, & uaria grauiter ceruice micantem,
Quem se intorquentem lanians, rostroq; cruentans,
Iam satiata animos, iam duros ulta dolores,
Abiicit efflantem, & laceratum affligit in unda,
Seq; obitu a solis nitidos conuertit ad ortus.
Hanc ubi præpetibus pennis, lapsuq; uolantem
Conspexit Marius diuini numinis augur,
Faustaq; signa suæ laudis reditusq; notauit:
Partibus intonuit cœli pater ipse sinistris.
Sic aquilæ clarum firmauit Iupiter omen.

M. Tullii

M. Tullij Ciceronis Prognost.

*

VT cum Luna means Hyperionis officit orbi, Prisci.l. 10.
Stinguntur radij cæca caligine tecti.

*

Ast autem tenui quæ candet lumine Phatne, Prisc.l. 18. & 18.

*

Atque etiam uentos præmonstrat sæpe futuros Cicero 1. diuin.
Inflatum mare, cum subito penitusq; tumescit
Saxaq; cana, salis niueo spumata liquore,
Tristificas certant Neptuno reddere uoces:
Aut densus stridor cum celso e uertice montis
Ortus adaugescit scopulorum sæpe repulsu.
Cana fulix itidem fugiens e gurgite ponti,
Nunciat horribiles clamans instare procellas
Haud modicos tremulo fundens e gutture cantus.

*

Sæpe etiam pertriste canit de pectore carmen,
Et matutinis Acredula uocibus instat,
Vocibus instat, & assiduas iacit ore querelas,
Cum primum gelidos rores auröra remittit.
Fuscaq; nonnunquam cursans per littora cornix
Demersit caput, & fluctum ceruice recepit.
Vos quoque signa uidetis aquai dulcis alumnæ,
Cum clamore paratis inanes fundere uoces,
Absurdoq; sono fontes & stagna cietis.
Mollipedesq; boues spectantes lumina cœli
Naribus humiferum duxere ex aere succum.

*

Iam uero semper uiridis, semperq; grauata

Lentiscus

Lentiſcus triplici ſolita eſt grandeſcere fœtu,
Ter fruges fundens, tria tempora monſtrat arandi.

*

Priſc. l.6. Caprigeni pecoris cuſtos de gurgite uaſto.

*

M. Tullii Ciceronis de ſuo conſulatu lib. II.

Cicero 1. Diuin. PRINCIPIO ætherio flammatus Iupiter igni
Vertitur, & totum colluſtrat lumine mundum,
Menteq; diuina cœlum terraſq; peteſſit:
Quæ penitus ſenſus hominum, uitaſq; retentat,
Aetheris æterni ſepta, atque incluſa cauernis.
Et, ſi ſtellarum motus curſuſq; uagantes
Noſſe uelis, quæ ſint ſignorum in ſede locatæ,
Quæ uerbo, & falſis Graiorum uocibus errant,
Re uera certo lapſu, ſpatioq; feruntur:
Omnia iam cernes diuina mente notata
Nam primum aſtrorum uolucres te conſule motus,
Concurſuſq; graues ſtellarum ardore micantes
Tu quoque, cum tumulos Albano in monte niuales
Luſtraſti, & læto mactaſti lacte Latinas,
Vidiſti, & claro tremulos ardore cometas,
Multaq; miſceri nocturna ſtrage putaſti,
Quod ferme dirum in tempus cecinere Latinæ,
Cum claram ſpeciem concreto lumine luna
Abdidit, & ſubito ſtellanti nocte perempta eſt.
Quid uero Phœbi fax triſtis nuntia belli,
Quæ magnum ad columen flãmato ardore uolabat,

Præcipites

Præcipites cœli partes, obitusq; petiſſet:
Aut cum terribili perculſus fulmine ciuis
Luce ſerenanti uitalia lumina liquit:
Aut cum ſe grauido tremefecit corpore tellus.
Iam uero uariæ nocturno tempore uiſæ
Terribiles formæ bellum, motusq; monebant:
Multaque per terras uates oracla furenti
Pectore fundebant triſtes minitantia caſus.
Atque ea, quæ lapſu tandem cecidere uetuſto,
Hæc fore, perpetuis ſignis clarisque frequentans
Ipſe deum genitor cœlo, terrisque canebat.
Nunc ea, Torquato quæ quondam, & conſule Cotta
Lydius ediderat Tyrrhenæ gentis haruſpex,
Omnia fixa tuus glomerans determinat annus.
Nam pater altitonans ſtellanti nixus Olympo,
Ipſe ſuos quondam tumulos ac templa petiuit,
Et Capitolinis iniecit ſedibus ignes.
Tum ſpecies ex ære uetus, generataque Nattæ
Concidit, elapſæque uetuſto numine leges:
Et diuum ſimulacra peremit fulminis ardor.
Hic ſiluestris erat, Romani nominis altrix
Martia, quæ paruos Mauortis ſemine natos
Vberibus grauidis uitali rore rigabat:
Quæ tum cum pueris flammato fulminis ictu
Concidit, atque auulſa pedum ueſtigia liquit.
Tum quis non, artis ſcripta ac monumenta uolutans,
Voces triſtificas chartis promebat Etruſcis?
Omnes ciuili generoſam ſtirpe profectam
Vitare ingentem cladem, peſtemq; monebant:
Vel legum exitium conſtanti uoce ferebant,
Templa deumq; adeo flammis, urbesq; iubebant

Eripere

Eripere, & stragem horribilem, cædemq; uereri,
Atque hæc fixa graui fato, ac fundata teneri,
Ni post excisum ad columen formata decore
Sancta Iouis species claros spectaret in ortus:
Tum fore, ut occultos populus, sanctusque senatus
Cernere conatus posset, si solis ad ortum
Conuersa, inde patrum sedes, populique uideret.
Hæc tardata diu species, multumque morata,
Consule te tandem celsa est in sede locata:
Atque una fixi ac signati temporis hora
Iupiter excelsa clarabat sceptra columna:
Ac clades patriæ flamma, ferroque parata,
Vocibus Allobrogum patribus populoque patebat.
Rite igitur ueteres, quorum monumenta tenetis,
Qui populos, urbesque modo ac uirtute regebant,
Rite etiam uestri, quorum pietasque, fidesque
Præstitit, ac longe uicit sapientia cunctos,
Præcipue ingenti coluerunt numine diuos.
Hæc adeo penitus cura uidere sagaci,
Otia qui studiis læti tenuere decoris,
Inque Academia umbrifera, nitidoque Lyceo
Fuderunt claras fœcundi pectoris artes.
E quibus ereptum primo iam a flore iuuentæ,
Te patria in media uirtutum mole locauit,
Tu tamen anxiferas curas requiete relaxas,
Quod patriæ uoces studiis, nobisq; sacrasti.

*

NONIVS. Euentus. Atque animo pendens noctis euenta timebat.

*

M. Tullii

M. Tullij Ciceronis de suo consulatu lib. III.

*

Interea cursus, quos prima a parte iuuentæ,
Quosque adeò consul uirtute animoque petisti,
Hos retine, atque auge famam laudesque bonorum.

CICERO 2. Att.

*

M. Tullij Ciceronis de suis temporibus.

*

Cedant arma togæ, concedat laurea linguæ.

QVINCT. li. 11. ca. 1.

*

O fortunatam natam me consule Romam.

QVINCT. li. 9. ca. 4.

*

M. Tullij Ciceronis elegia Tamelastis.

*

Iam mare Tyrrhenum longe penitusque palumbes
Relliquit.

SERVIVS in 1. Aeneid.

*

M. Tullij Ciceronis Homeri conuersio.

*

Tales sunt hominum mentes, qualis pater ipse
Iupiter auctiferas lustrauit lumine terras.

AVGVST. li. 5. ca. 8. ciu.

M. Tullij Ciceronis

iocularis libellus.

*

Qvinct. li. 8. ca. ultimo. Fundum Varro uocat, quem possim mittere funda:
Ni tamen exciderit, qua caua funda patet.

*

M. Tullij Ciceronis

FRAGMENTA LIBRORVM INCERTORVM.

Ex Augustino

epist. I.

*

Nullum unquã uerbum, quod reuocare uellet, emisit.

*

lib. 2. contra Iulianum Pel.

*

Avg. De plebeia fece sellulariorum.

*

lib. 4. contra eundem.

*

Eorum quippe opinioni conuenienter ait quodam loco Tullius, se non putare idem esse arietis, & P. Africani bonum.

*

Hippocrates

lib. 5. ca. 2. ciuit.

*

Hippocrates nobilissimus medicus scriptum reliquit, quosdam fratres, cum simul ægrotare cœpissent, & eorum morbus eodem tempore ingrauesceret, eodem leuaretur, geminos esse suspicatum. AVG.

*

lib. 5. ca. 27. ciuit.

*

O miserum, cui peccare licebat. AVG.

*

lib. 22. ca. 22. ciuit.

*

Philosophiam dii paucis quibusdam ueram dederūt. AVG.

*

Ex Ausonio

lib. de monosyllab.

*

Seps AVSON.

*

Ex Columella

lib.3.ca.8.

*

Romanum fuisse ciuem Næuium Pollionem, pede longiorem quàm quenquam longissimum. COL.

*

Ex

Ex Diomede

lib. 2.

*

Dion. Qui ſuit locus religioſiſſimus, is erit deſertiſſimus, & cuſtodia caſtrorum non honoris, ſed oneris exiſtimatur.

*

Ex Donato

in uita Terent.

*

Comedia eſt imitatio uitæ, ſpeculum conſuetudinis, imago ueritatis.

*

In Andr.

*

Non ſolū uideam, ſed etiam audiam, pleneq; ſentiam.

*

Ex Feſto

lib. 16.

*

Fest. Ructaretur

*

lib. 18.

Fest. Teſqua

*

Ex

Ex Fortunatiano.

*
Ferem
*

Fort.

Ex Gellio

lib. 10. ca. 18.

*
Mausolus Rex terræ Cariæ Gel.
*

Ex Hieronymo

super obitum Paullinæ.

*
Cæsar cum quosdam ornare uoluit, non illos honestauit, sed ornamenta ipsa turpauit.
*

Ex Isidoro

lib. 19. ca. 1.

*
Tunc se fluctigero tradit mandatq; paroni. Isid.
*

Ex

Ex Lactantio

lib. 1. ca. 15.

*

Lact. Atque adeo in plerisque ciuitatibus intelligi potest, acuendæ uirtutis gratia, aut quo libentius reipub. causa periculum adiret optimus quisque, uirorum fortium memoriam honore deorum immortalium consecratam.

*

lib. 3. ca. 6.

*

Recteque Tullius ciuiles uiros qui remp. gubernant, qui urbes aut nouas constituant, aut constitutas æquitate tueantur, qui salutem, libertatem ciuium, uel bonis legibus, uel salubribus consiliis, uel iudiciis grauibus conseruent, philosophiæ doctoribus præfert.

*

lib. 5. ca. 11.

*

Etenim si nemo est, qui non mori malit, quàm conuerti in aliquam figuram bestiæ, quamuis mentem hominis habiturus, quanto est miserius, in hominis figura animo esse efferato? mihi quidem tanto uidetur, quanto est præstabilior animus corpore.

*

lib. 6. ca. 24. in fine.

*

Lact. Lex dei præclara & diuina semper, quæ recta & honesta iubet, uetat praua & turpia: cui parentem sanctissimæ

ctisſimæ ac certiſsimæ legi, iuſte ac legitime neceſſe eſt uiuere.

*

lib. 7. ca. 8.

*

Quoniam utraque earum ſententiarum doctiſsimos habuit auctores, nec, quid certi ſit, diuinari poteſt.

*

lib. 7. ca. 11.

*

Nihil eſt, quod ſit manibus humanis laboratum, quod non aliquando ad interitum redigatur, uel iniuria hominum, vel ipſa confectrice omnium vetuſtate.

*

Ex Marcellino

lib. 15.

*

Et quanquam optatiſsimum eſt, perpetuo fortunam quàm florentiſsimam permanere: illa tamen æqualitas vitæ non tantum habet ſenſum, quantum cum ex ſæuis & perditis rebus ad meliorem ſtatum fortuna reuocatur.

*

lib. 19. in fine.

*

Cum parcere vel lædere potuiſſem, ignoſcendi quærebam cauſas, non puniendi occaſiones: quod iudicis lenti & conſiderati eſt proprium.

lib. 26.

lib. 26. propè finem

*

Infelices esse, qui omnia sibi licere existimarunt.

*

lib. 31.

*

Erithreo oppido superpositum montem Mimanta.

*

Ex Nonio

*

* Arcera

*

Ex Plinio

in præfat.

*

In libris de repub. Platónis me comitem profiteor: in Consolatione filiæ Crantorem sequor: item Panætium de officijs.

*

lib. 3. ca. 2.

*

Feminas omnes uisu nocere, quæ duplices pupillas habent.

*

lib. 7. ca. 21.

*

In

In nuce inclusam Iliada Homeri carmen in membrana scriptum.

*

lib. 7. ca. 21.

*

Fuisse qui peruideret CXXXVM. passuum.

*

lib. 7. ca. 43.

*

P. Ventidiũ mulionem castrẽsem suffarraneum fuisse.

*

lib. 29. ca. 4.

*

Formicas soliuagas.

*

lib. 29 ca. 4.

*

Mustela catulos suos quotidie transfert, mutatque sedem.

*

lib. 30. ca. 5. in fine.

*

Animalia byturos uocari, qui uites in Campania erodant.

*

lib. 31. cap. 2.

*

Cicero in admirandis posuit, Reatinis tantum paludibus vngulas iumentorũ indurari.

*

lib. 31. ca. 4.

Quædam terræ imbribus ficciores fiunt, veluti in Nar uiens agro, quod admirandis suis inseruit M. Cicero, ficcitate lutum fieri prodens, imbre puluerem.

*

Ex Quintiliano

lib. 8. ca. 6.

*

Hoc miror enim, querorq; hominem ita pessundare verbis alterum uelle, vt etiam nauem perforet, in qua ipse nauiget.

*

lib. 11. ca. 1.

*

Non se id egisse, ut ita diceret quo modo se quilibet posse confideret, sed quo modo nemo.

*

Ex Seneca

lib. 1. Tranq.

*

Gladiatores inuisos habemus, si omni modo vitam impetrare cupiunt, fauemus, si contemptum eius præ se ferunt.

*

in epist.

*

Si mihi uitæ spatium duplicetur, uel iis tantummodo

poëtis

poëtis percurrendis, qui λυρικοὶ à Græcis uocantur, non esset suffecturum.

*

Ex Seruio

in 3. Georg.

*

De accusatore lege quincta dicta.

*

in 5. Aeneid.

*

Ad militiam euntibus dari solebant custodes, quibus primo anno regerentur.

*

in 6. Aeneid.

Est autem causa difficilis, laudare puerum, non enim res laudanda, sed spes est.

*

Ex Solino

ca. 2.

*

Romam conditam olympiadis sextæ anno tertio.


*



ANDR. PATRICII
STRICECONIS
AD TOMOS IIII
FRAGMENTORVM
M. TVLLII CICERONIS
ADNOTATIONES
EDITIONIS SECVNDAE.

Index auctorum, & rerum memorabilium.

CVM PRIVILEGIO.



Venetijs, ex officina Stellæ Iordani Zileti,
M D L X V.

ANDR. PATRICII STRICECONIS

In adnotationes ad tomos IIII. Fragmentorum M. Tullij Ciceronis,

PRAEFATIO.



TRUM ne conuicium uetustati fieri, quæ ipsam eorum Ciceronis librorum quasi uitam extinxerit, & integritatem ac soliditatem illorum quasi fœdissima quadam tempestate lacerarit: an gratia haberi debeat, quòd quasdam utique reliquias, uelut ex naufragio tabulas, conseruarit, ad nosque transmiserit, non est, mea quidem sententia, de quo magnopere possit dubitari. Etsi sint enim, qui amissarum rerum desiderio æstuantes, a conuicijs uix abstineant, bene tamen gratus, & mundana omnia, ea mortalitate, qua constant, metiens animus, non uereor, quin gratias sit potius illi habiturus, quæ pleraque seruauerit, quàm frustra obtrectaturus, quæ nonnulla sustulerit. Cum enim ipsius tanta sit uis & potestas, ut omnia, quæ aliquando orta sunt, possit, cum libuerit, iure quodam suo abolere, ad idemque illud principium, unde prodierant, deducere, profectò, si quando ex hac ista legis suæ acerbitate remittit, & quippiam, cum perimere uniuersum potuisset, excipit, parteque saltem ex aliqua retinet in uita, ac tuetur, in eo magis illam debemus beneficio quodam præcipuo, quàm iure & potestate communi uti censere, nosque etiam propterea magis ad gratiam, quàm ad contumeliam excitare. Ac mihi quidem de ijs rebus attentius cogitanti, omniumq; momenta diligentius perpendenti; quanquam immortale illud & diuinum M. Tullij ingenium tanti est, ut uestigia etiam ipsius omnia immortalitate dignissima existimem, tamen, cum chartas ipsas & membranulas intueor, rem unam fragilem intimis & caducam, in qua hæc ista uestigia fixa ad posteritatem

impreſſaq; fuerunt, magis mehercle mirandum uidetur, aliquid ad nos, ex iis, in tanta imperiorum omniumque rerum uarietate & mutatione, perueniſſe, quam aliquid interire potuiſſe. Quid enim eſſe ad diuturnitatem inſtabilius potuit, iis rebus, in quibus ea relicta & conſignata fuerunt? Et tamen diuino quodam beneficio, atque miraculo ſingulari ad nos uſque deuenerunt. Et erimus ſic ingrati & maligni, ut cum aliorum ſcriptorum æque nobilium multa librorum millia cum ipſo nomine, immo cum ueſtigio amiſſa, cum tot ſtatuas, arcus, templa, trophæa, æra, marmora abſumpta: parum dico: cum tot, inquam, urbiū, regionum, prouinciarum, regnorum, imperiorum, ipſa etiam cadauera, quæ diu proiecta iacuerunt, e medio ſublata uideamus, in Cicerone tamen, non deorum prouidentiam, in conſeruatis multis, agnoſcere, ſed iacturam noſtram in paucis amiſsis deplorare uideamur? quorum ſanè imbecillitas, & a marmorum ac urbium firmitate longè aberat, & ea fuit, ut omnia uno atque ſimili interitu inuoluere potuerit. Quod quia certe factum non eſt, cum fieri potuerit, grata magis beneuolentia proſequi, quàm conuicio & maledicto excipere debemus, magisq; id quod reliquum factum eſt, cum præſertim plura reliqua facta ſint, in lucro deputare, quam id quod amiſſum eſt, cum amiſſa non nimis multa ſint, in damnis ducere debemus. Fatendum eſt enim, & quidem cum grati animi ſignificatione fatendum, eorum, quæ a M. Cicerone conſcripta olim litterisq; tradita fuerunt, plura fere his adhuc noſtris temporibus extare integra, ad uſum utilitatemq; noſtram, quàm tempus & uetuſtas uiolarit. Ad Tarquinium ſanè olim Rom. regem Sibylla ueniſſe dicitur cum nouem libris uenalibus, maxima multarum rerum & reipub. Rom. neceſſariarum cognitione pleniſsimis. Quos cum carius indicaſſe regi uideretur, ſpreta ab eo irriſaq;, tres ex ijs confeſtim in ipſius conſpectu exuſsit, & nunquid ſex reliquos tantidem uellet emere, rogauit. Quod cum rex multo etiam quàm antea magis irridens recuſaret, tres item alios libros de reliquo illo numero in ignem e ueſtigio anus coniecit, regemq; an poſtremos tres tantidem uellet emere, quæſiuit. Cuius rex conſtantiam admiratus, quod antea uniuerſorum librorum pretium nimis grande fuiſſe reputabat, id reliquiis illis perſoluendis, ſumma cum animi alacritate,

critate, iussit numerare. Quid iam nobis faciendum existimamus, quibus profecto uetustas in Ciceronis conseruandis libris, multo magis quàm Sibylla suis ipsa monumentis fauisse uidetur atque indulsisse. Equidem non tam muliebriter lamentandum, quàm uiriliter agendum est, nec tam uetustas ipsa maledictis uexanda, quàm danda opera est, ut, id quod in reficiendis euersis urbibus statuisq; quotidie fieri uidemus, nos quoque, quâ possumus, in istis a uetustate uiolatis ruinis Ciceronis instaurandis, aliquando elaboremus, studiumque & operam nostram cum ad præsentium temporum commoditatem referamus, tum posteritati etiam ipsi approbemus: quod est bonorum uirorum, & de genere humano optime merentium maxime proprium. Ex quo fit, ut præclare sanè mihi fecisse uideatur Carolus Sigonius Mutinensis, quem ego uirum ob communem amicitiam, nisi iucundissime, ob illius autem eruditionem & doctrinam, nisi honestissime, nominare non possum: qui cum superioribus temporibus fractos & conuulsos consulares fastos marmoreos incredibili labore & uigilantia consolidasset, dimidiata autem plus minus parte mutilatos restituisset, nuper etiam ad medicinam amissis his Ciceronis libris faciendam animum conuertit, tantumq; effecit, ut primus, post paucos quosdam, qui ad eam rem uoluntatem magis & conatum, quàm uires aut facultatem attulerant, dignum nomine & existimatione sua operæpretium fecisse uideri possit, tot fragmentis ex tenebris in lucem producendis, tot etiam productis in ordinem redigẽdis, & redactis explicandis. Qui cum ex nobis quoque ipsis, qui tunc cum Venetiis familiariter, cũ Andr. Duditio Sbardellato Episcopo Quinqueecclesiensi. & St. Fogeluedrio philosopho ac medico excellenti, familiaribus tunc nostris, conueneramus, atque ex Italia iam tum in Poloniam redeũtes ualere iubebamus, audiuisset, operam quoq; nostram aliquãdo iisdem meditandis rebus non defuisse, magnopere sanè nobis auctor fuit, ut quidquid id esset, quod nostro studio confectum in hoc genere haberemus, ad se ex Polonia mitteremus. Itaq; nos etiam auctoritate ipsius adducti, cum in Poloniam pestilentiæ tunc terroribus agitatam, ita uenissemus, ut proprer solitudinem Cracouiæ urbis, rusticari ipsi quoq; maxime necesse haberemus, inchoata tũ & rudia adhuc nostra illa e uestigio recognouimus,

quæq;

quæq; nos post ipsum quidem, præstare tunc posse putauimus, quantum licuit præstitimus, librosq; aut per eum institutos fragmentis plerisq; locupletauimus, aut nos ipsi quoque, ex reconditis maxime & abditis locis erutos, instituimus: omnes autem in quattuor tomos contulimus, in iisq; omnia quæ potuimus, uel ex libris, uel ex coniectura ipsa certe quidem emendauimus, scholiis etiam, quod illustrari oportere putauimus, illustrauimus, in omnibusque, si non ingenium, aut eruditionem, at diligentiam certe nostram præstare conati sumus: sicuti in priore editione nostra potuit apparere. Quæ tamen ipsa diligentia, cum magnis quibusdam, & eruditis uiris augeri deinceps posse uideretur, idque nobis sanè per epistolas eorum significaretur, incensi præterea inflammatiq; sumus, ut ad ueteres in hoc genere cogitationes illas nostras, aliquid, si modo quid euiusmodi, in his nostris, a studio litterarum alienis occupationibus, præstare possemus, recentioris cumuli adiiceremus. Quod quidem partim iam nonnulla ex parte fecimus, cum fragmenta, quæ post maximorum uirorum industriam, ipsi opera & studio nostro eruere alicunde potuimus, unà cum aliis mixtim posuimus, partim etiã, id quod ad omnia illa perpolienda & uberius aliquando explicanda pertinere uidebitur, deinceps facturi sumus. Interea modo, quæ accessio in fragmentis ipsis, peculiari nostro labore & diligentia recuperandis, facta fuerit, tam priore, quàm posteriore hac editione, peculiariter hoc loco & speciatim exponamus.

FRAGMENTA,
PER ANDR. PATRICIVM STRICECONEM ALLATA, POST CETEROS, EDITIONE PRIORE.

EX TOMO PRIMO.

Pro Vareno.

*

Deum fidem. PRISC. lib.7.

*

Pro Oppio.

*

Etenim multum posse ad salutem alterius, honori multis: parum potuisse ad exitium probro nemini fuit. MARCEL. lib.30.

*

O amorem mirum: o beneuolentiam singularem. QVINCT. l.9.cap.2.

*

Pro Fundanio.

*

Arcades se proselenos esse asserunt. SERVIVS in 2. Georg.

*

Pro

*

Pro Cornelio I.

*

QVINCT. l.5.c.13. Codicem attigit.

*

PRISC. l.10. Qui eloquentia ceteris antecellit.

In toga.

*

ASCON. ib. Quod caput etiam tum plenum animæ & ſpiritus, ad Syllam uſque ab Ianiculo ad ædem Apollinis, manibus ipſe ſuis detulit.

*

Pro Gallio.

*

QVINCT. l.11.c.ultimo An iſta ſi uera eſſent, ſic a te dicerentur?

*

De proſcrip. lib.

*

QVINCTIL. lib.11.c.1. Sed ita legibus Syllæ continetur ſtatus ciuitatis, ut, his ſolutis, ſtare ipſa non poſſit.

*

De consulatu:

*

Quorum luxuries fortunata acensa peperit. Nonivs. censas.

*

In Clodium & Curionem.

*

Quo ex iudicio, uelut ex incendio, nudus effugit. Qvinct. lib.8.ca.3.

*

Erras Clodi: non te iudices urbi, sed carceri reseruarunt, neque retinere in ciuitate, sed exilio priuare uoluerunt. Quamobrem P. C. erigite animos, retinete uestram dignitatem: manet illa in repub. bonorum consensio: dolor accessit bonis uiris, uirtus non est imminuta: nihil est damni factum noui, sed quod erat, inuentum est in unius hominis perditi iudicio, plures similes reperti sunt. Cicero lib.1.Atti.

*

Pro Scauro.

*

Vos quoque de familia nobili cum auctoritate orbis terrarum sentire debetis. Marcel. lib.32.

*

Vniuerse. Carisivs lib.2.

*

Ex orat. pro Quinctio.

*

VLPIAN. l. 7. §. quid sit D. Quib. ex cau. in poss. Turpis occultatio sui.

*

Pro Fonteio.

*

AQVILA. Frumenti maximus numerus e Gallia, peditatus amplissimæ copiæ e Gallia, equites numero plurimi e Gallia.

*

In Pisonem.

*

ASCON. ib. Quod minimum in te specimen ingenii, ingenii autem? immo ingenui hominis ac liberi, qui colore ipso patriam aspernaris, oratione genus, moribus nomen.

*

DIOMED. lib. 1. Proxime Pompeium sedebam.

*

EX TOMO SECVNDO.

ad Cornelium.

*

MARCEL. Neque enim quidquam aliud est felicitas, nisi hone-
starum

ſtarum rerum proſperitas. uel, ut alio modo definiam, Felicitas eſt fortuna, adiutrix conſiliorum bonorum, quibus qui non utitur, felix nullo pacto eſſe poteſt. Ergo in perditis impiisq; conſiliis, quibus Cæſar uſus erat, nulla potuit eſſe felicitas: feliciorq; meo iudicio Camillus exulans, quàm temporibus iiſdem Manlius, etiamſi, id quod cupierat, regnare potuiſſet.

*

Ad Hirtium.

*

Luta & limum aggerebant. NONIVS.

*

Ad Brutum.

*

Sine illo enim uiuere honeſte licet, cum hoc uiuendi nulla conditio eſt. QVINCT.

*

Sim ne bonus uir ſi hoc ſuadeam? minime. Suaſoris enim eſt finis, utilitas eius, cui quiſque ſuadet. At recta ſunt. quis negat? ſed non eſt ſemper rectis in ſuadendo locus. QVINCT.

*

Populo impoſuimus, & oratores uiſi ſumus. QVINCT.

*

Res mihi inuiſæ uiſæ ſunt Brute. QVINCT.

*

Ad filium.

*

LACTAN. Philosophiæ quidem præcepta noscenda, uiuendum autem ciuiliter.

*

Ad Catonem.

*

NONIVS. Nec idcirco desiderandam esse dignitatem meã, quod eam multi impugnarint, sed eo magis recolendam, quod plures desiderarint.

*

Ad Cerelliam.

*

QVINCT. Hæc aut animo Catonis ferenda sunt, aut Ciceronis stomacho.

*

Ad Plancum.

*

GELLIVS. Nam neque deesse reipub. uolo, neque superesse.

*

Incerta epiſtola.

*

Ne ulli ſunt pedes faceti, ac deliciis ingredienti mollius. QVINCT.

*

EX TOMO TERTIO.

Oeconomico.

*

Nam uetus eſt prouerbium, paupertatem certiſſimam eſſe, quum alicuius indigeas, uti eo non poſſe, quia ignoretur, ubi proiectum iaceat, quod deſideretur. Itaque in re familiari laborosior eſt negligentia quàm diligentia. Quis enim dubitet nihil eſſe pulchrius in omni ratione uitæ, diſpoſitione atque ordine? quod etiam ludicris ſpectaculis licet ſæpe cognoſcere. Nã ubi chorus canentium, non ad certos modos, neque numeris præeuntis magiſtri conſenſit, diſſonũ quiddam ac tumultuoſum audientibus canere uidetur. at, ubi certis numeris ac pedibus uelut facta conſpiratione conſenſit atque concinnit, ex eiuſmodi uocum concordia, non ſolum ipſis canentibus, amicum quiddam & dulce reſonat, uerum etiã ſpectantes audientesq; lætiſſima uolupta te permulcentur. COLVM. li.12.c.2.

*

Præparatis idoneis locis inſtrumentum & ſupellectilem diſtribuere cœpimus, ac primum ea ſecreuimus, COLVM. l.12.c.3.

mus, quibus ad res diuinas uti ſolemus: poſtea mūdum muliebrem, qui ad dies feſtos comparatur, deinde ad uirilem item dierum ſolennium ornatum, nec minus calceamenta utriq; ſexui conuenientia, tum iam ſeorſum arma ac tela ſeponebantur, & in altera parte inſtrumenta, quibus ad lanificia utuntur: poſt quæ, ad cibum conficiendam uaſa (ut aſſolent) conſtituebantur: inde, quæ ad lauationem, quæ ad exornationem, quæ ad menſam quotidianam atque epulationem pertinerent, reponebantur. Poſtea ex iis, quibus quotidie utimur, quod menſtruum eſſet, ſepoſuimus, quod annuum quoque in duas partes diuiſimus: nam ſic minus fallit qui exitus futurus ſit. Hæc poſtquam omnia ſecreuimus, tū ſuo quæq; loco diſpoſuimus: deinde quibus quotidie ſeruuli utuntur, quæ ad lanificia, quæ ad cibaria coquēda & cōficienda pertinent, hæc ipſa iis, qui uti ſolent, tradidimus, & ubi ea ponerent demōſtrauimus, & ut ſalua eſſent præcepimus. Quibus autem ad dies feſtos, & ad hoſpitum aduentum utimur, hæc promo tradidimus, & loca ſingula demonſtrauimus, & cuiq; ſua annumerauimus, atq; annumerata ipſi exſcripſimus, eamq́ue admonuimus, ut quodcunque opus eſſet, ſciret unde daret: & meminiſſet, atque adnotaret, quid, & quando, & cui dediſſet, & cum recepiſſet, ut quidq; ſuo loco reponeret.

*

Colvm. l.11.c.1. Vtrum'ne Iſchomache, inquam, ſi res familiaris deſideraſſet, mercari uillicum tanquam fabrum, an ipſe inſtituere conſueuiſti?

*

Cum

*

Cum ad Cyrum minorem, regem Perſarum, præſtantem ingenio atque imperij gloria, Lyſander Lacedæmonius, uir ſummæ uirtutis, ueniſſet Sardis, eiq́;dona a ſocijs attuliſſet:& ceteris in rebus comis erga Lyſandrum atq; humanus rex fuit, & ei quendam conſeptum agrum diligenter conſitum oſtendit. Cum autem admiraretur Lyſander & proceritates arborum,& directos in quincuncem ordines, & humum ſubactam, atque puram, & ſuauitatem odorum, qui efflarentur e floribus, tum dixit: mirari ſe non modo diligentiam, ſed etiam ſolertiam eius, à quo eſſent illa dimenſa, atque deſcripta. & Cyrus reſpondit: At qui ego iſta ſum omnia dimenſus, mei ſunt ordines, mea deſcriptio, multæ etiam iſtarum arborum mea manu ſunt ſatæ. Tum Lyſander intuens eius purpuram, & nitorem corporis, ornatumq́; Perſicum multo auro, multisq́; gemmis, dixit: Recte uerò te Cyre beatum ferunt, quoniam uirtuti tuæ fortuna coniuncta eſt. CICERO Senect.

*

Scrobes. SERVIVS. in 2. Georg.

*

De rep. I.

*

QVASI alius aſſimulare rempub. DIOMED. l. 1.

*

Breui multitudo diuerſa atque uaga, concordia ciuitas facta erat. AVGVST. ep. 5.

*

Duos

ideo iustitia, si alicuius utilitatibus consulat, suas negligat, stultitia est dicenda. Quod si omnes populi, penes quos sit imperium, ipsiq; Romani, qui orbem totum possedere, iustitiam sequi uelint, ac suum cuiq; restituere, quod ui & armis occupauerunt, ad casas & egestatem reuertentur. quod si fecerint, iustos dicemus quidem, sed tamen stultos iudicare necesse est, qui ut aliis prosint, sibi nocere contendunt.

*

Non grauarer Læli, nisi & hos uelle putarem, & ipse cuperem te quoque aliquam partem huius nostri sermonis attingere: præsertim cum heri dixeris, te nobis etiam superfuturum. Verum si id quidem fieri non potest, ne desis omnes te rogamus. GELLIVS. l.1.c.22.

*

Huic tu uiro quas diuitias obiicies? quæ imperia? quæ regna? qui ista omnia putat humana, sua bona diuina iudicat. LACTAN. l.5.c.19.

*

Nullum bellum suscipitur a ciuitate optima, nisi aut pro fide, aut pro salute. AVGVST. l.22.c.6.ciu.

*

Hic est ille situs, cui nemo ciuis neque hostis
Quiuit pro factis reddere operæpretium. CICERO 2.leg. SENECA. l.19.ep.

*

Vbi uero iustitia uera non est, nec ius potest esse. quod enim iure fit, profecto iuste fit. quod autem fit iniuste, nec iure fieri potest. Non enim iura dicenda sunt, uel putanda, iniqua hominum constituta: cum illud etiam ipsi ius esse dicant, quod de iusti- AVGVST. l.19.c.21.ciuit.

tiæ fonte manauerit: falsumq́; sit, quod a quibusdā non recte sentientibus dici solet, id ius esse, quod ei, qui plus potest, utile est.

*

De rep. IIII.

*

LACTAN. opif. dei. Nec uoluntatem mihi defuisse, nec curam.

*

MARCEL. l.30. Cumq́; nihil tam incorruptum esse debeat in repub. quàm suffragium, quàm sententia, non intelligo cur, qui ea pecunia corruperit, pœna dignus sit, qui eloquentia, laudem etiam ferat. Mihi quidem hoc plus mali facere uidetur, qui oratione, quàm qui pretio iudicem corrumpit, quòd pecunia corrumpere prudentem nemo potest, dicendo potest.

*

PRISC. l.15. Non enim facile ualenti populo resistitur, si aut nihil impertias iuris, aut parum.

*

PRISC. de carm. Brachialia.

*

PRISC. sup.12.uers. Armentum habeo.

*

De rep. V.

*

DIOMED. l.1. Excellunt.

De

De rep. VI.

*

Alendus hic est gloria. AVGVST. l.5.c 13. ciuit.

*

De iure ciuili.

*

Nec uero scientia iuris maioribus suis Q. Aelius Tubero defuit, doctrina etiam superfuit. GELLIVS lib.7.c.22.

*

Hortensio.

*

Sed ad extremum pollicetur probaturum, quæ se ipsa comest, quod efficit dialecticorum ratio. NONIVS. Comest.

*

Beati certe omnes esse uolumus. AVGVST. l.13.trin.c.4.

*

Falsum id quidem. uelle enim quod non deceat, id ipsum miserrimum est: nec tam miserum est non adipisci quod uelis, quàm adipisci uelle, quod non oporteat. AVGVST. l.13.trin.c.5.

*

Prudentiæ partes sunt, memoria, intelligentia, prouidentia. AVGVST. l.14. trin. c. 11.

*

Tu'ne pseudomenos, & soritam, & totam dialecticam NONIVS. Increpito.

aliquando terminetur oratio, si aut extingui tranquille uolumus, cum his artibus uixerimus, aut si ex hac in aliam haud paullo meliorem domum sine mora demigrare, in his studiis nobis omnis opera & cura ponenda est.

*

De gloria.

*

Oppidorum appellationem usurpatione appellatam esse existimo, quòd opem darent. FESTVS. l.13.

*

Quo stante, & incolume. CARISIVS.

*

De consolatione.

*

Crantorem sequor. PLINIVS. præfat.

*

Idcirco nati sumus, ut scelerum pœnas lueremus. LACTAN. l.3.c.18.

*

De suis consiliis.

*

Sed ut aliqua similitudine adductus, maximis minima conferam, ut cum uinolenti adolescentes, tibiarum etiam cantu, ut fit, instincti, mulieris pudicæ fores frangerent, admonuisse tibicinam, ut spon- BOETH. l.1.de musica

dæum caneret, Pythagoras dicitur: quod cum illa fecisset, tarditate modorum & grauitate cantus illorum furentem petulantiam resedisse.

*

Academica.

*

AVGVST. l.3. contra Acad. Academico sapiēti ab omnibus ceterarum sectarum, qui sibi sapientes uidentur, secundæ partes dantur: cum primas sibi quenque uendicare necesse sit. ex quo potest probabiliter confici, eum recte primum esse iudicio suo, qui omnium ceterorum iudicio sit secundus.

*

AVGVST. l.3. contra Acad. Mos fuit Academicis occultandi sententiam suam, nec eam cuiquam, nisi qui secum ad senectutem usque uixissent, aperiendi.

*

De natura deorum.

*

LACTAN. l.2.c.3. Non sunt ista ulugo disputanda, ne susceptas publice religiones disputatio talis extinguat.

*

De diuinatione.

*

DIOMED. l.1. Præterea similiter cohortatione circum conciliabula antecellunt.

antecellunt.

*

De legibus.

*

Octo pœnarum genera in legibus continentur, damnum, uincula, uerbera, talio, ignominia, exilium, mors, seruitus. AVGVST. li.21.c.11. ci uit.

*

Timæo.

*

Defenstrix. PRISC. l.1.part.

*

EX TOMO QVARTO.

Poetica omnia.

Qui sunt sexcenti quinquaginta amplius uersus.

INCERTORVM LIBRORVM.

Ex Augustino

lib.2. contra Iulianum Pelag.

* de ple-

*

lib. 6. ca. 24.

Lex dei præclara & diuina semper, quæ recta & honesta iubet, uetat praua & turpia: cui parentem sanctissimæ ac certissimæ legi, iuste ac legitime necesse est uiuere.

*

Ex Marcellino.

lib. 19.

*

Cum parcere uel lædere potuissem, ignoscendi quærebam causas, non puniendi occasiones: quod iudicis lenti, & considerati est proprium.

*

lib. 26.

Infelices esse, qui omnia sibi licere existimarunt.

*

lib. 31.

*

Erythræo oppido superpositum montem Mimanta.

*

Ex Nonio.

*

* arcera *

*

Ex Plinio.

in præfatione.

*

In libris de repub. Platonis me comitem profiteor: in consolatione filiæ Crantorem sequor: item Panætium de officiis.

*

Ex Seruio.

in 5. Aeneid.

*

Ad militiam euntibus dari solebant custodes, quibus primo anno regerentur.

*

ALLATA PER EVNDEM, ALTERA HAC EDITIONE.

EX TOMO PRIMO.

Quum quæstor Lilybæo decederet.

*

Quod non detrectare militiam, sed defendere prouinciam iudicata est. FRONTO. Detrect.

*

Pro Manilio.

*

Hoc ego non solum confiteor, uerumetiam profiteor. NONIVS. Confiteor.

*

Pro Fundanio.

*

* commissura * SERVIVS 9. Aeneid.

*

* puncta ACRO in poet.

*

Pro Cornelio I.

*

* idque uiris doctissimus duorum coss. dess. calamitate. ASCON.

*

CAPELLA Repugnat enim ut diuisores, quos honoris sui ministros esse uoluerat, lege ambitus uellet affligere.

*

BOETH. definit. Legite ut legebatis, hinc intelligetis nulla tenuissima suspicione describi aut significari Cornelium.

*

In Toga cand.

*

ASCON. ibid. Quem, cum in Syllanis partibus fuisset, crudeliter fecisse constat, quòd Q. Cæcilium, M. Voluminum, L. Tantasium occiderit.

*

ASCON. ibid. * auunculum tuum *

*

Pro Vatinio.

*

CICERO ep. ist. lib. 1. Facio quiddam, quod in Eunucho parasitus suadet militi.

Vbi nominabit Phædriam, tu Pamphilam
Continuo. si quando illa dicet, Phædriam
Commessatum intromittamus: tu Pamphilam
Cantatum prouocemus. si laudabit hæc
Illius formam, tu huius contra. denique
Par pro pari referto, quod eam mordeat.
Sic peto a uobis iudices, ut quoniam quidam nobiles homi-

homines,& de me optime meriti,nimis amãt inimicum meũ,meq; inspectante,sæpe eum in senatu modo seuere seducunt, modo familiariter, atque hilare amplexantur: quoniamq; illi habent suum Publium, detis mihi ipsi alium Publium, in quo possim eorum animos mediocriter lacessitus leuiter repungere. * *

Pro Scauro.

*

* Arinis uxorem *

*

Prisc. l.1.

EX TOMO SECVNDO.

Ad Cæs iuniorem.

*

Ego autem antiquissimum Scythis oriundum,quibus antiquior lætitia est, quàm lucrum.

Nonius. Antiquus.

*

EX TOMO TERTIO.

Ex libro II. de repub.

*

Nihil est quod adhuc de repub.putem dictum,& quo possim longius progredi, nisi sit confirmatum, non modo falsum esse illud, sine iniuria non posse, sed hoc uerissimum; sine summa iustitia rempub. regi

Avgvst. li.21.ciuit.

non

non posse.

Laus M. Catonis.

*

Gellius l.13.c.18. * Pronepos M. Catonis Censorii.

*

Lib. de notis.

*

Tiron.

adprobat	modestus	epistola
comprobat	immodestus	littera
improbus	modicus	litteræ
probus	immodicus	syllaba
probitas	commodus	tempus
improbitas	incommodus	per tempus
probabilis	accommodat	per idẽ tẽpus
reprobat	in modum	temporalis
modus	ad modum	extemporalis
modulus	quemadmodũ	homo

Chorographia.

Prisc. lib.6. Ibi quercorum rami ad terram iacent, ut sues, quasi capræ,

capræ, ex ramis glande pascantur.

*

EX TOMO QVARTO.

Phænomenis.

*

Ferrea tum uero proles exorta repente est. Cicero 2.nat.deorũ.
Ausaq; funestum prima est fabricarier ensem,
Et gustare manu uinctum domitumq; iuuencum.

*

Ex eleg. Tamelasti.

*

Iam mare Tyrrhenum longe penitusque palumbes. Servivs in.1.Aeneid.
Relliquit.

*

Ex Homeri conuersione.

*

Tales sunt hominum mentes, qualis pater ipse Avgvst. l.5.c.8. ciuit.
Iupiter auctiferas lustrauit lumine terras.

*

Incert.

INCERTORVM LIBRORVM.

*

Ex Auguſtino

lib. 5. ciuit. c. 2.

*

Hippocrates nobiliſſimus medicus ſcriptum reliquit, quoſdam fratres cum ſimul ægrotare cæpiſſent, & eorum morbus eodem tempore ingraueſceret, eodem leuaretur, geminos ſe eſſe ſuſpicatum.

*

lib. 5. c. 27. ciuit.

*

O miſerum, cui peccare licebat.

*

lib. 22. ciuit. c. 22.

*

Philoſophiam dii paucis quibuſdam ueram dederũt.

*

Ex Auſonio.

*

Seps

*

Ex Feſto.

lib. 18.

*

Teſqua

*

Ex

Ex Carisio

*

* plure uenit.

*

Ex Gellio

lib. 10. & 18.

*

Mausolus rex terræ Cariæ.

*

Ex Isidoro

lib. 19. ca. 1.

*

Tunc se fluctigero tradit, mandatq; paroni.

*

Ex Plinio

lib. 7. ca. 2.

*

Feminas omnes uisu nocere, quæ duplices pupillas habent.

*

lib. 7. ca. 16.

*

Romanum fuisse ciuem Mæuium Pollionem pede longiorem, quàm quenquam longissimum.

*

lib. 7. ca. 21.

In nuce inclusam Iliada Homeri carmen in membrana scriptum.

*

lib. & cap. eodem.

Fuisse qui peruideret C XXXV. M. passuum.

*

lib. 7. ca. 43.

*

P. Ventidiũ mulionem castrẽsem suffarraneum fuisse.

*

lib. 29. ca. 4.

*

Formicas soliuagas

*

lib. & ca. eodem.

*

Mustella catulos suos quotidie transfert, mutatq; sedem.

*

lib. 30. ca. 5. in fine.

*

Animalia byturos uocari, qui uites in Campania erodant.

*

Ex Seneca

in epistolis.

*

Si mihi uitæ spatium duplicetur, uel iis tantummodo poetis percurrendis, qui λυρικοὶ a Græcis uocantur, non esset suffecturum.

*

Ex Seruio

in 3. Georg.

*

De accuſatore lege quincta dicta.

*

Ex Solino

ca. 11.

*

Romam conditam olympiadis ſextæ anno tertio.

*

HAEC ſunt, quæ nos ad ueterem cumulum adijcienda putaui mus, quæ ſanè in contextu etiã ipſo, illa non obſcura demon ſtratione indicare uoluimus, ut ad ſingula eorum capita, no men auctoris ipſius, maioribus notatum characteribus, præ figẽdum curaremus. Quidquid autem in hoc genere ſiue no ſtro, ſiue alieno labore, partum eſt, id nos hoc tempore æqui boni conſulamus, hisq; interea fruſtis atque particulis con- tenti ſimus, dum aliquis rem ipſam totam, aut bonam ſanè il lius partem, quam premit fortaſsis hactenus & occulit, in lu cem proferat, ſtudioſisq; eorum ſtudiorum planè ſatisfaciat. Qui ſi eſt ſanè eiuſmodi uir, ut publicam utilitatem, ſine ſuo præſertim ullo incõmodo amet, ſicut debet, cordiq; habeat, næ is nobis, pro ſua integritate, theſaurum hunc diutius iam nõ inuidebit: qui illi etiam profectò maiori gloriæ erit, com municatus cum omnibus, quàm nunc eſt uoluptati, uni ſibi aſſeruatus. Sin eſt, ut aut is nulla publicæ utilitatis, nulla pri uatæ ſuæ gloriæ ratione adduci ſe ad rem honeſtiſsimam pa tiatur, aut uerò potius res ipſa, quam tãtopere deſideramus, æternis eſt immerſa & circunfuſa tenebris, illis, unde negant redire quenquam: tum nos quidem, quemadmodum ſimiam olim feciſſe ferunt, quæ pulchello amiſſo puero, minus ſci- tum deinceps, prioris amore delinita, deperibat, deſiderium no-

noſtrum reliquijs iſtis conſolemur: illum autem, ſi quis eiuſmodi eſt, qui hoc tanto bono genus humanum per inuidentiã defraudet, omnibus illis probris atque maledictis digniſſimum iudicemus, quæ hoc nomine in ipſam uetuſtatem immerito, ut ego quidem exiſtimo, a nonnullis conferuntur. Sed tempus eſt, ut hæc qualiacunque extant, ſcholijs noſtris, quod promiſimus, perpoliamus.